UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

# R. P. Sebast. Izqvierdo Alcarazensis Soc. Iesv, svpremis Inqvisitionis Senatvs Censoris, Et Olim Complvti SS. Theologiæ Professoris. Pharvs Scientiarvm

**Izquierdo, Sebastián**

**Lugduni, 1659**

Tractatvs III. De obiecto intellectionis humanæ.

urn:nbn:de:hbz:466:1-95620

Visual Library

# TRACTATVS III.

## DE OBIECTO INTELLECTIONIS humanæ.

1 QVAMQVAM *de obiecto intellectionis humanæ multa sparsim in superioribus dicta sunt, multò tamen plura dicenda restant, adeò vt hic Tractatus non possit non esse cæteris longior. Oportet enim in eo aliquot disputationes ex vniuersaliore Metaphysicæ parte, quam Primam Philosophiam dicunt, petitas inferere; vtpote, quarum doctrina tum ad ea, quæ deinceps statuenda sunt, tum ad præsentis operis integritatem, & perfectionem omninò necessaria videtur. Sunt autem disputationes de Actu, & potentiâ in vniuersum: de Ente, Essentiâ, & Existentiâ: de statibus rerum: de Ente possibili, impossibili, necessario, & contingente: de Distinctione, & identitate: de Connexione, & oppositione, &c.*

### DISPVTATIO VIII.

### *De obiecto humanæ intellectionis. Et primum de actu obiectiuo in vniuersum.*

QVONIAM actus obiectiuus, qualis per omne verbum significatur potissimum nostri intellectus obiectum est, vtpote in quem vnicè tendit potissima eius operatio nempe iudicium, iuxta doctrinam supra statutam *disp. 2. q. 4.* ab eo duximus exordiendum. Etsi enim disputatio de illo bona ex parte sit metaphysica, aliena ab hoc loco non est, tum quia bona etiam ex parte præsentis instituti est propria; tum maximè quia ad cæteras, quæ deinceps sequentur valde est prærequisita.

### QVÆSTIO I.

#### *Quodnam sit obiectum humanæ intellectionis in vniuersum?*

2 SErmo est de intellectione, quam intellectus humanus pro statu præsenti, quoquo modo potest habere oriundam ab speciebus sensibilium, per quas intelligit quæcumque ab ipso pro statu isto veniunt intelligenda, vt *supra disputatione 1. quæst. 1.* statutum est.

#### *Propositio 1.*

Omne verum obiectuum, quod Deus intelligit, 3
ab intellectu humano suo modo intelligibile est pro statu præsenti.

Ita omnes. Et ratione probari potest. Quia hoc ipso quod intellectus humanus cognoscit aliqua, quorum non habet proprias species, vtendo ad id speciebus alienis, quas habet acquisitas per sensus, vt experientia monstrat, conficitur, cætera cuncta pariter per species alienas posse ab illo cognosci: quia de omnibus est eadē ratio. Si tamen ad omnia cognoscenda principia habere possit idonea, per quæ ad specierum alienarum vsum pro cognoscendis omnibus possit induci; qualia potest habere quidem. Quia nihil est pro quo nequeat saltem habere testimonium Dei; aut aliud quodpiam sufficientissimum principium ad cognoscendum illud. Et sane sub conceptus vniuersales, quos intellectus humanus format, teste experientia, omnia verè intelligibilia cadere, manifestum est. Ea enim cuncta comprehendunt conceptus entis veri, entis intelligibilis, & cæteri huiusmodi.

Ex quo patet, omnia omnino possibilia, & im- 4
possibilia ab intellectu humano intelligi posse, quia in omnibus sunt veritates obiectiuæ intelligibiles à Deo seu per assensum, seu per dissensum, vt est certiss.

certissimum. Addo tamen hoc ipso, quod intellectus humanus cognoscit per species alienas, qualiter Deus non potest, multas posse illum excogitare chymeras, quæ in mentem Dei non possunt cadere formaliter, sed æquivalenter dumtaxat, vt *infra disput.* 11. exponemus.

## *Propositio 2.*

5 Non solum vera, sed falsa etiam sunt ab intellectu humano intelligibilia.

Quatenus ille perinde ac vera falsa etiam iudicare potest deceptus, vt est notissimum. In quo ab intellectu diuino differt, qui falsa hoc pacto iudicare non potest: quia nullomodo potest decipi. Tametsi de illis quasi reflexè iudicet falsa esse, quia hoc est verum.

6 Porro intellectus noster, sicut & quiuis alius, non tangit obiectum quoduis eorum, quæ cognoscere potest, sub ratione veri formaliter siue falsi, sed materialiter id, quod verum, aut falsum est quamuis etiam formalem denominationem veri & falsi cognoscat oriundam à cognitione possibili eius, quod verum aut falsum dicitur, iuxta dicta *suprà disput. 3. quæst. 7.* In quo nulla controuersia, quæ de re sit existere potest.

7 Esse autem ab intellectu nostro aut verè, aut falsè iudicabilia obiecta tum per assensum siue iudicium affirmatiuum; tum per dissensum, siue iudicium negatiuum indubitatum omnino est. Quomodo autem per iudicium negatiuum non in carentiam rei negatæ per modum accessus, sed in rem ipsam per modum recessus tendat intellectus humanus, sicut etiam diuinus. Quomodo item carentiæ, seu negationes rerum nihil sint in se cognoscibile. Tametsi à nobis in substitutis alienis ad instar entium cognoscantur superius *disp. 1. quæst. 4. proposit. 4.* expoluimus explicaturi amplius & probaturi *disput. 9. quæst. 3.*

---

## QVÆSTIO II.

### *Quid sit actus in vniuersum?*

8 Actum appellant vniuersim Philosophi, præsertim antiquiores, quidquid significatur per verbum, & per tempora coniugatur. Estque propriissimum obiectum humani iudicij, vt *supra disp. 2. q. 4.* statutum est. Ea quippe est, vt ibi dicebam, mira intellectus nostri proprietas pro statu præsenti, vt nihil omnino iudicare possit absque duobus saltè terminis, siue conceptibus obiectiuis, quorum alter verbo, alter nomini, siue verbi suppositio, vt vocant Grammatici, correspondeat. Dicitur autem conceptus significatus per verbum actus: quia non potest non à nobis concipi instar cuiusdam exercitij actualis alterius conceptus respondentis verbi suppositio, quem Logici & Metaphysici subiectum dicunt. Vnde actus per verbum significatus è genere relationum, siue respectuum est. Respicit enim, & subiectum, cuius est actus, & terminum, circa quem per talem actum ipsum subiectum exercetur. Exemplo sit actus, quo dicitur voluntas amare bonum: ille enim & significatur per verbum *amo*, & est exercitium, quo voluntas se se circa bonum exercet, & ex suo conceptu respicit tum voluntatem, cuius est actus, tum etiam bonum, circa quod est. Idemque reperitur in omni actu, qui per quoduis verbum significatur, ex proprio conceptu. Nam omnes similem sibi vendicant conceptum obiectiuum in mente nostra; cum omnes eodem modo concipiantur; sicut eodem significantur, atque coniugantur per verba. 9

Hinc primò fit, omnem actum significabilem per verbum, distinctum esse ex suo conceptu à subiecto, cuius est exercitium, & à termino circa quem versatur, vt non possit non concipi à nobis quasi adhærescens ipsi subiecto, ipsumve tangens intrinsece seu immediatè: quia nihil exerceri concipitur per aliquid à se loco dissitum. Terminum verò nihil vetat eminus respici per actum, vt cernere licet in actu videndi parietem procul positum. 10

Secundò fit, non aliter concipi à nobis (idque ex necessitate naturæ pro statu præsenti) distinctos à subiecto, & à termino actus cum vtroque identificatos realiter, quam qui reipsa ab vtroque distincti sunt: quia modus concipiendi, & iudicandi vtrosque idem in nobis est, vt dicebam; atque ita congenitus nostro intellectui pro hoc statu, vt nullatenus pro arbitrio possit esse alius & alius. Itaque cum dico Deum posse existere, aut Deum existere, non minus mihi sunt diuersi conceptus obiectiui, Deus, potentia ad existendum, & existentia, quam cùm dico Deum producere creaturam, sunt mihi diuersi conceptus, Deus, productio creaturæ, vt ipsa creatura. Nec minus mihi apparet Deus in priori casu quasi se exercens per actum primum potentiæ ad existendum, aut per secundum existentiæ, tanquam subiectum quoddam eius, quam apparet in posteriori quasi se exercens per actum productionis creaturæ, & vt eius subiectum: subiectum quippe actus appellamus in vniuersum id, cui actus siue primus, siue secundus, iuxta diuisionem postea tradendam, velut exercitium quoddam eius per iudicium tribuitur: est enim sermo de subiecto prædicationis. 11

Vnde fit tertiò: quando id, quod significatur per verbum subiectoque prædicationis per nostrum iudicium tribuitur, reuera & physicè non est actus eius, eo quod vel est quid identificatum, vel quid ex parte saltem extrinsecum ipsi, iuxta dicenda postmodum, non posse non talem euadere per nostram rationem; per quam proinde relatio erit: cum omnis actus ex proprio conceptu respectus quidam sit, vt diximus. Per quod iam patet, vnde suam ducat originem copiosa illa relationum rationis seges, quas antiquiores scholastici passim, & non parum vnanimiter adstruunt, dum proprios rerum, siue essentiarum perscrutantur conceptus, constituentes videlicet formaliter per relationem rationis identitatem, bonitatem, decretum Dei, omnipotentiam, malitiam peccati, & alia id genus. De quibus omnibus plura sunt dicta *quæst. illa 4. citata.* Cæterum, quo pacto huiusmodi respectus rationis fictitij non sint, sed suppositicij; ex dictis *disput. 2. quæst. 3. sect. 7.* notum est: Constabitque amplius ex dicendis. *disp. 12.* Quomodo autem actus, eiusque subiectum, aut terminus conceptus sint ex parte obiecti distincti, præcisique per rationem nostram etiam quando in se realiter sunt indistincti ex dicendis *disp. 10. quæst. 9.* compertum fiet. 12

Igitur actus in vniuersum formaliter, & prout à nobis concipitur, ita describi potest. *Est conceptus obiectiuus significabilis per verbum, tanquam exercitium quoddam alterius conceptus.* Conceptus autem obiectiuus, cuius actus est exercitium; subiectum actus appellatur: id verò, circa quod per actum ipsius subiectum exercetur, vel circa quod

actus

actus versatur, vel in quod tendit, terminus ipsius actus vocandus venit vniuersim, vt constat ex dictis. Ex quibus etiam patet actum ex proprio conceptu veluti quemdam modum esse seipso immediatè affixum subiecto, cuius actus est, siue illud immediatè tangentem, seque etiam ipso respicientem terminum, circa quem versatur.

13 Ex quo tandem colligitur, reliquas formas, quæ non se ipsis immediatè, sed media vnione superaddita, aut media receptione subiectum informant, vel ipsi adhærent, aut inhærent, improprie, & translatitiè tantum vocari actus, vel quod fundamentum præbent, vt actus aliquis formalis, & proprius subiecto, cui insunt, ab intellectu tribuatur, vel quod dum subiectum eis vnitur, aut illas recipit, verè exercetur circa illas per actum proprium vnionis, aut receptionis earum, ad talemve actum proprium secundum de actu primo, siue de potentia reducitur. Crediderim autem eiusmodi formas non ideo dictas actus ab Aristot. quod per illas actuatur subiectum, seu de potentia ad actum reducitur, vt vulgo circumfertur inter modernos; sed quod subiecto præbent potentiam, quæ quidam actus primus est, ad exercendas aliquas operationes ipsorum proprias. Ob id enim definiens Philosophus animam, quæ è genere talium formarum est, dixit *lib. 2. de Anim. cap. 1.* text. 6. *Anima primus est actus, perfectioque corporis naturalis potentia vitam habentis.*

14 Substantia autem simplex, qualis est Angelus, propterea dumtaxat actus subsistens ad distinctionem actus informantis vocari solet: quia non est potentia perfectibilis intrinsecè per aliam substantiam, vti materia prima rerum corporearum per formam perfectibilis est, & idcirco absolutè potentia dicitur. Quo iure Deus etiam similiter actus purissimus appellatur: quia per nihil aliud sibi accrescens perfectibilis est. Verùm huiusmodi loquutiones minus propriè nomen actus vsurpant, vt patet ex dictis.

15 Porro actus quilibet propriè dictus, de quo hic tractamus, trifariam à nobis concipi solet. Primò vt exercitium actuale subiecti: qua ratione significatur per verbum. Secundò cum abstractione quadam: quo pacto significatur per nomen verbale: tertiò vt compositum cum subiecto: quo modo per participium verbi significatur; & in concreto sumi dicitur, iuxta latius dicta *disput. 2. quæst. 4. Sect. 3.*

## QVÆSTIO III.

### *Quotuplex sit actus?*

16 QVot sunt conceptuum obiectiuorum significabilium per verba diuersa genera; tot genera diuersa sunt actuum, vt constat ex dictis *q. 2.* omnes tamen ad quædam certa capita sunt in præsenti reuocandi.

### *Diuisio 1.*

17 Et primum actus vniuersalissimè sumptus in physicum, & metaphysicum est diuidendus. Deinde Physicus in intrinsecum per adhæsionem: extrinsecum, & semiextrinsecum. Metaphysicus autem in intrinsecum per identitatem, & semiextrinsecum.

Actum physicum voco illum; qui physicè est superadditus subiecto, cuius actus est, ab eoque subinde adæquatè distinctus physicè. Metaphysicum autem eum appello, qui per rationem nostram dumtaxat est superadditus suo subiecto, cum eoque proinde reipsa idem est saltem inadæquatè. Deinde Physicum intrinsecum per adhæsionem dico illum actum, qui re ipsa formalis est, per eúmque subinde re ipsa formaliter exercetur subiectum, tanquam per quoddã exercitium formale realiter sibi adiunctum seu adhærescens, se verò tangens intrinsecè, seu immediatè. Tales sunt actio respectu agẽtis, passio respectu passi, vnio respectu extremi vniti, & vniuersim omnis modus realis significabilis per verbum respectu rei, cuius est modus. Actus autem physicus, aut extrinsecus, aut semiextrinsecus per adhæsionem ille dicendus venit, qui cum per rationem nostram dumtaxat sit actus formalis, à fundamentis tamen desumitur distinctis adæquatè à subiecto, quorum aut omnia, aut aliqua ipsi subiecto non adhærent. Prioris exemplum sint actus, quo paries videri dicitur, & quoduis obiectum cognosci; actus quo voces significare dicuntur; & similes. Posterioris autem exemplum sint actus, quo vnus homo dicitur cum altero colloqui, aut contrahere, aut concurrere, actus quo sensus aliquis externus honestè operari dicitur, aut peccare, & cæteri huiusmodi.

Iam verò actus metaphysicus (qui re ipsa nunquam 18
potest esse formalis; sed tantùm fundamentalis, dumtaxátque subinde est formalis per rationẽ nostram, vt patet) tunc dicitur intrinsecus per identitatem, quando adæquatè est identificatus re ipsa cum subiecto, cuius est actus, vtpote formalitas quędam eius per modum actus, seu exercitij à nobis concepta. Tunc verò dicitur semiextrinsecus, quando fundamẽta, vnde sumitur, partim sunt identificata, & partim distincta re ipsa à subiecto, cuius est actus. Prioris generis sunt potentia, qua Deus dicitur posse intelligere, aut posse existere, & ipse actus tum intelligendi, tum existendi. Identitas, qua dicitur animal identificari cum rationali, & alij actus huiusmodi. Posterioris autẽ generis sunt omnes actus, qui interueniũt in denominationibus semiextrinsecis desumptis tum à natura subiecti denominati, tum ab aliis fundamentis extrinsecis, & cæteri huiusmodi, vt cum dicimus. Petrum assimilari Ioanni. Ioannem distingui à Petro. Peccatum dissonare rationi. Ignem applicatum ligno posse illud comburere, *&c.*

Porrò subiectum, cui conuenit actus physicus, 19
physicum subiectum dicetur cum latitudine loquendo. (Nunc enim non agimus solum de subiecto physico pressius accepto, quale dicitur subiectum receptionis comparatione formæ receptæ) Metaphysicum autem subiectum appellabitur illud, cui conuenit actus metaphysicus. Pariterque terminus prioris actus terminus physicus, posterioris verò terminus metaphysicus dici poterit.

Obseruandum tamen est primò, vt rectè de acti- 20
bus, & cum distinctione loquamur, solum actum physicum intrinsecum per adhæsionem esse actum formaliter non tantum in mente nostra obiectiuè, sed etiam in se à parte rei. Cæteros verò seu physicos, seu metaphysicos dumtaxat esse actus formaliter, prout sunt obiectiuè in mente nostra. Quocirca bifariam possumus de illis loqui, siue illos accipere. Etenim quilibet eorum aut potest accipi formaliter, pro conceptu scilicet formalis in superioribus exposito, quem nos eius formamus, quemque in mente nostra sortitur: quo pacto exercitium quoddã subiecti circat terminum est, atque adeò respectus quidã rationis non fictus, sed suppositicius, iuxta doctrinam statutam *d. 2. q. 3. Conf. 7.* Aut potest accipi realiter, seu fundamentaliter, pro obiecto scilicet, seu conceptu reali cognito à nobis sub dicto formali conceptu. Quo pacto, si sit metaphysicus intrinsecus,

formalitas erit identificata realiter, cum subiecto, cui attribuitur. Si verò sit aut metaphysicus semiextrinsecus, aut physicus, vel extrinsecus, vel semiextrinsecus aggregatum quoddam erit conceptuum realiter inter se distinctorum: qui omnes fundamenta appellantur denominationis, aut semiextrinsecæ, aut extrinsecæ quæ per huiusmodi actum, seu per concretum eius subiecto denominato dicitur tribui. Quæ quidem fundamenta, si vnum subiectum denominatum excipias, indirectè, seu in obliquo accipiuntur, seu concipiuntur: cum tamen subiectum ipsum directè seu in recto capiatur, seu
21 concipiatur.

Secundò obseruandum est aggregatum eiusmodi fundamentorum, ex quibus istud denominationum, siue actuum genus resultat, à nostróve intellectu desumitur, quod proinde conceptum realem, seu fundamentalem eorum formali contrapositum dicimus; etsi aliquando coalescat ex pluribus entibus sumptis secundum totum quod ipsa sunt à parte rei; plerumque tamen non ex pluribus integris entibus, sed ex pluribus eorum formalitatibus ab aliis eorumdem præcisis obiectiue coalescit. Quando autem ex pluribus integris entibus, & quando ex pluribus plurium entium formalitatibus tanquam à suo fundamento sumatur actus ex natura principiorum determinantium intellectam ad talem actum cognoscendum diiudicandum est, iuxta doctrinam
22 generalem statutam *disput. 2. quæst. 3.*

Denique quoniam per actum subiectum denominari dicitur, ipseque actus vniuersè subiecti denominatio appellatur, præsertim quando in concreto adiectiuo sumitur, iuxta doctrinam suprà statutum *disp. 2. quæst. 4.* quot modis actus ipse diuiditur, totidem denominatio diuidi solet. Atque ita iuxta diuisionem datam alia erit denominatio physica, alia metaphysica, & physica alia intrinseca, alia semiextrinseca, alia extrinseca per adhæsionem. Metaphysica autem alia intrinseca, alia semiextrinseca per identitatem. Paritérque iuxta diuisiones sequentes actus poterit vnusquisque, prout sibi placuerit, denominationem diuidere.

## *Diuisio 2.*

23 Deinde actus seu physicus, seu metaphysicus in rectum, & circularem diuidendus est.

Rectum appello eum, per quem subiectum exercetur circa aliud quidpiam à se distinctum. Circularem verò eum, per quem subiectum exercetur circa seipsum. Pro exemplo prioris ex physicis sint actio, passio, vnio, & cæteri huiusmodi. Ex metaphysicis potentia, dissonantia, conuenientia vnius cum alio, vel ad aliud, & similes. Pro exemplo autem posterioris ex physicis sit cognitio, qua intellectus cognoscit se ipsum; amor, quo voluntas se amat, & subsistentia, qua substantia in se ipsa subsistit. Ex metaphysicis identitas, siue actus essendi, quo vnumquodque asseritur esse ipsummet, conueniencia, qua vnumquodque sibi ipsi conueniens, seu bonum dicitur. Ex quo patet eiusdem ad seipsum bene posse esse relationem, siue respectum non solum ratione nostra, sed etiam reipsa. Quidquid vulgò in oppositum dici soleat.

## *Diuisio 3.*

24 Præterea actus vniuersim acceptus in actum primum, & actum secundum diuiditur celebri diuisione.

Vocatur autem actus primus ille, qui per verbum *posse* significatur, & in abstracto per nomen verbale *potentia* dicitur. Actus verò secundus est quilibet alius per aliud quoduis verbum significatus. Idcircò autem potentia optimo iure vocatur actus primus; quia & est actus significabilis per verbum, & cæteros omnes actus aliorum verborum antecellit; qui subinde vocantur actus secundi. Etenim vbicumque est aliquis actus reliquorum, ibi præsto adest potentia siue actus primus illi respondens. Nam, qui videt, potest videre, qui cognoscit potest cognoscere; qui currit, potest currere; qui existit, potest existere; qui vnitur, potest vniri; qui producitur, potest produci, *&c.* Vnde illud vulgare axioma emanauit. *Ab actu ad potentiam bona est consequentia:* hoc est, ab actu secundo ad actum primum. Omnis enim actus secundus essentialiter connectitur cum actu primo; neque sine ipso potest consistere; non tamen è conuerso. Quo fit, vt actus primus in quantum actus primus prior natura sit, quàm secundus, ob idque primus appellatur tum prioritate inconnexionis non mutuæ secundum seriem connexionis, tum prioritate quadam rationis secundum seriem originis, prout infrà suo loco monstrabimus.

Rogabis, qua ratione actus primus, seu potentia 25
definiri possit? Respondeo strictè loquendo indefinibilem esse iuxta doctrinam terminorum definibilium, indefinibiliúmque suo loco tradendam: quia est terminus omnium notissimus: atque adeo amplius non potest explicari, quàm si dicamus, *Potentia est, qua vnumquodque posse aliquem actum dicitur.* Aduertere tamen hic oportet nomine *actus* absolutè, & sine addito pronuntiato tantùm intelligi actum secundum. Potentia enim numquam per nomen *actus* absque additamento *primus* significatur. Hinc.

## *Diuisio 4.*

Actus alius venit dicendus possibilis, alius im- 26
possibilis, alius necessarius, alius contingens subiecto, cuius actus concipitur. Idque vel simpliciter, & sine addito, vel cum addito *naturaliter*, aut *moraliter*.

Ille actus simpliciter est possibilis suo subiecto, ad quem in subiecto ipso datur potentia aliqua: impossibilis verò simpliciter, ad quem datur omnino nulla. Simpliciter necessarius, ad cuius contradictorium nulla datur omnino: & simpliciter contingens, ad quem, & ad eius contradictorium seorsim aliqua datur. (Dicuntur autem actus contradictorij ij, quorum alter negatio alterius est) actus verò naturaliter possibilis subiecto est, ad quem subiectum habet potentiam naturalem, id est, consentaneam iuri naturæ, valentemque citra miraculum exercere ipsum actum. Naturaliter impossibilis, ad quem non datur in subiecto talis potentia. Naturaliter necessarius, ad cuius contradictorium non datur. Et naturaliter contingens, ad quem, & ad eius contradictorium seorsim datur. Denique ille actus moraliter possibilis subiecto est, ad quem subiectum non solùm simpliciter, & naturaliter, sed insuper prout res moraliter, & humano modo solent contingere, potentiam habet. Impossibilis autem moraliter, ad quem in subiecto non est eiusmodi potentia. Necessarius moraliter, ad cuius contradictorium non est. Et contingens moraliter, ad quem, & ad contradictorium seorsim est Hinc rursus.

*Diui*

## Diuisio 5.

27 Tum potentia, tum impotentia, à quibus actus appellatur, euaditque possibilis aut impossibilis, aut necessarius, aut contingens, alia est metaphysica, alia physica, alia moralis sumptis his vocibus *metaphysica*, & *physica* aliter quàm suprà *diuis. 1.*

Ea potentia, aut impotentia subiecti dicitur metaphysica, à qua actus simpliciter euadit aut possibilis, aut impossibilis, aut necessarius, aut contingens ipsi subiecto, iuxta dicta *diuis.* 4. Ea autem dicitur physica, à qua actus naturaliter talis euadit. Ea denique moralis, à qua actus euadit talis moraliter: vnde consequenter ipsa possibilitas, aut impossibiliras, aut necessitas, aut contingentia actus, alia metaphysica, alia physica, alia moralis venit dicenda: ipseque actus rursus aut metaphysicè, aut physicè, aut moraliter possibilis; similiterque vel impossibilis, vel necessarius, vel contingens.

28 Vnde præterea subiectum actus ab eisdem terminis aut potens, aut impotens, aut necessitatus, aut indifferens ad actum ipsum denominatur, sua seruata praportione. Idque vel metaphysicè, vel physicè, vel moraliter. Insuper neutraliter dici solet passim; tale subiectum per talem actum exerceri, aut possibile, aut impossibile, aut necessarium, aut contingens esse. Idque vel metaphysicè, vel physicè, vel moraliter: vt possibile est metaphysicè existere secundum mundum: impossibile Deum mori: necesse, seu necessarium Deum existere. Contingens existere Petrum. Possibile est physicè Petrum mori. Impossibile Petrum volare: necessarium ignem calefacere: contingens Petrum se occidere. Possibile est moraliter Petrum loqui. Impossibile Petrum se occidere: necessarium Petrum se amare. Contingens Petrum sedere, *&c.*

29 Speciatim verò subiectum, cui actus existendi est possibilis, aut impossibilis, aut necessarius, aut contigens, adiectiue, & absolutè appellari solet possibile, aut impossibile, aut necessarium, aut contingens. Idque etiam vel metaphysicè, vel physicè, vel moraliter: sic dicitur absolutè tale ens est possibile, aut est impossibile, aut est necessarium, aut est contingens, hoc ipso, quod tali enti est possibilis, aut impossibilis, aut necessarius, aut contingens actus existendi: hanc enim iste actus præ cæteris prærogatiuam habet. A potentiis enim, aut impotentiis cæteris quibusque actibus respondentibus non denominatur subiectum absolutè possibile, aut impossibile, aut necessarium, aut contingens, quemadmodum à potentia, aut impotentia ad existendum; tametsi denominetur potens aut impotens, aut necessitatum, aut indifferens ad tales actus, neutraliterque dicatur, vt notatum est, tale subiectum per tales actus exerceri possibile, aut impossibile, aut necessarium, aut contingens esse.

30 Porro subiectum actus, cui actus necessarius atque adeo ei necessario annexus est, quodque subinde ad actum ipsum necessitatū dicitur, cum eodē etiam dicitur connecti, siue cōnexum esse, id est, veluti colligatum ipsi iuxta dicenda generatim de connexione rerum infra suo loco. Connexio autem huiusmodi penes naturam necessitatis aut metaphysica, aut physica, aut moralis erit iuxta dicta. Subiectum autem actus, cui actus impossibilis est, cum contradictorio ipsius actus connexum erit iuxta dicenda etiā ibidem; idque similiter vel metaphysicè, vel physicè, vel moraliter. Quoties autem subiectum cum aliquo actu connexum est, & cum potentia ad talem actum eodem modo connexum est, siquidem actus sine potentia nequit subiecto conuenire; neque subiectum potest absque potentia ad actum per actum ipsum exerceri. Sed de his *infrà* plura.

Aduertendum tamen hîc est vnicam potentiam 31
ad existendum, quam vnumquodque subiectum potens existere habet, inter omnes cæteras, vulgo potentiam logicam dici. Huius tamen appellationis neque necessitatem, neque fundamentum idoneum video. Quocirca huiusmodi nomenclatura reiecta, nunquam ego talem potentiam logicam nuncupabo, nisi referendo aliorum loquendi modum, sed vel metaphysicam, vel physicam, vel moralem iuxta traditam diuisionem: potest enim illa, sicut & pleræque aliæ intra suum genus tres eas differentias subire, vt satis ex se notum est.

## Diuisio 6.

Actus primus, siue potentia in vniuersum in 32
actum primum proximum, & in actum primum remotum; siue in potentiam proximam, & remotam celebri etiam diuisione diuiditur.

Potentia proxima, quæ etiam immediata venit dicenda, ea est, ad quam immediatè sequitur actus secundus, cuius est potentia; vel certè ea, cuius terminus immediatus est actus secundus talis potentiæ proprius. (Potentia quippe, seu actus primus circa actum secundum, vt circa terminum versatur, perinde atque actus secundus circa alium terminum versari solet: vt ex superius dictis constat.) Potentia autem remota, siue mediata est illa, quæ non immediatè, sed mediatè versatur circa actum illum, cuius potentia remota dicitur; aliis videlicet actibus, potentii que interpositis. Concipienda itaque est series quædam extensa potentiarum, & actuum sibi continuo quodam ordine succedentium, quo pacto aliæ quæque res secundum seriem ordinatæ singulæ singulis succedunt in ea serie, quam componunt, iuxta doctrinam vniuersalem ordinum *inferius suo loco* tradendam. Ita quidem vt prima potentia seriei (supponamus nunc dari primam, de quo postea immediatè terminetur ad sum proprium actum, & ex hoc, aut eius termino, aut vtroque resultet constituta secunda potentia qua etiam terminatur ad proprium actum; & ex hoc rursus, vel termino eius, vel vtroque resultet tertia potentia, quæ pariter ad ad suum actum terminata progignat quartam, & ita deinceps. Dicimus ergo potentiam quamlibet dictarum comparatione proprij actus proximam, siue immediatam esse: remotam verò siue mediatam comparatione actuum reliquorum ei succedentium: nimirum primam comparatione actuum secundæ, tertiæ, & quartæ; & secundam comparatione actuum tertiæ, & quartæ, & tertiam comparatione actus quartæ. Vnde eo magis remota potentia erit, quò longior fuerit series, seu pars seriei, actuum, & potentiarum interuenientium ab illa ad actum, comparatione cuius remota dicitur, vt constat.

Porro potentia proxima, & remota aut possunt 33
esse adæquate inter se distinctæ, vt si entitas A. producat terminum B; & entitas B se sola producat terminum C. quo casu entitas B. seorsim ab A. erit potentia proxima actus productionis termini C. cuius A. erit potentia remota seorsim pariter à B. Aut possunt esse inadæquatè solùm distinctæ inter se, vt si A. producat B. rursúsque A. & B. simul producant C. tunc enim A. &. B. constituent potentiam proximam actus productionis termini C. cuius

C. cuius A. solum erat potentia remota. Et hoc secundo modo substantia quælibet creata, quæ aliquibus indiget accidentibus, aut conditionibus ad operandum, potentia remota appellatur talis operationis, quatenus seipsa potest cum talibus accidentibus, vel conditionibus coniungi, quibus positis per eorum consortium reddetur proximè potens ad operandum: eiusmodi quippe præuia coniunctio quidam actus interpositus seu intermedius est significabilis per verbum, vt patet.

34 Obseruare tamen oportet, illam potentiam tantùm solere dici remotã comparatione alicuius actus, quę denomina taliquo modo propriũ subiectum potens causare illam, nempe remotè, vti euenit in exemplis propositis. Quod ferè euenit quoties ex potentiis, & actibus eiusdẽ generis series componitur; non verò itidem quãdo coalescit ex potentiis, & actibus diuersorum generum. Auus enim potens remotè dicitur causare nepotem, & ex eo quod potest proximè causare filiũ, qui poterit proximè causare ipsum nepotem; sicuti causa causæ cõmuniter dici solet causa causati, nempe remota. Non tamen dicitur pater potens remotè Romam ire, & Papam videre, ibique vxorẽ ducere, *&c.* Ex eo quod proximè potest causare filium, qui poterit proximè ea cuncta præstare. Similitérq; ferme contingit in similibus casibus.

## *Diuisio 7.*

35 Amplius actus vniuersè sumptus diuiditur in positiuum, & negatiuum.

Actus positiuus est, qui ex conceptu suo aliquid in rerum natura ponit. Negatiuus autem, qui non ponit, sed potiùs aufert, siue remouet. Appello enim actum negatiuum negationem, seu carentiam cuiuslibet actus, qui quidpiam positiuum reipsa est. Quanquam enim negatio, seu carentia actus à parte rei prorsus sit nihil, vt constabit ex dicendis *disp. 9. q. 3.* Quia tamen ea à nobis concipitur, vt aliquid cum fundamento subsistente, de eaque vt sic, ac si esset actualis quædam remotio actus philosophamur; & quidem vere per quamdam æquiualentiam, vt explicabimus *ibid.* idcirco illam non absiure inter actus recensemus, & actum negatiuum, contra ponendo illum positiuo, appellamus. Itaque negationem, siue carentiam cuiuslibet actus, siue secundi, siue primi, actum negatiuum dicimus vniuersè.

36 Duo tamen sunt adnotanda. Primum, non solũ ad actum secundum positiuum, sed etiam ad carentiam cuiuslibet actus, quam actum negatiuum vocamus, potentiam positiuam dari, quando id, quod potest carere actu, est quid positiuũ, vtpote quod à suamet entitate positiua potissimũ denominatur potens illo carere: estò in tali denominatione negatio insuper, seu potius non esse alicuius quandoq; ex connotato inuoluatur. Potentia enim, cuius fundamẽtum potissimum atq; directum est positiuum, positiua dicitur absolutè: tametsi aliquod eius fundamẽtum obliquũ ex cõnotato complens illam sit negatiuum, vt patet in potentia proxima ad amorem voluntatis creatæ quę ab omnibus positiua censetur, etsi cõpleatur ex, cõnotato, vt verè completur per carentiam prędeterminationis ad odium, siue per non existentiam eius. Vnde colliges carentiam, seu negationẽ potentiæ positiuæ inter actus secundos negatiuos venire recensendã, etsi sit carentia actus primi: tum quia ad ipsam datur in subiecto carente alius actus primus, siue potentia: tũ quia ea per verbũ *carere, seu negare*, non per verbũ *posse* significatur: solus autẽ significatus per verbũ *posse* est actus primus, vt cõstat ex dictis.

Vnde secundum notandum sequitur: etsi carentia 37
actus bene actus negatiuus vocetur, carentiam tamẽ potentiæ non bene dictam iri impotentiam negatiuam. Tum quia carentia potentiæ inter actus secundos negatiuos censetur, vt diximus, quocirca potius actus negatiuus, quam potentia negatiua dicenda venit. Tum quia nomen potentiæ negatiuæ illi potentiæ est reseruandum, quæ cùm ex suo conceptu potentia sit, quid tamen negatiuum est, qualis est potentia, quæ negationibus tanquam subiectis à nobis tribui solet, dum illas potentes concipimus ad existendum, ad coëxistendum aliis ad terminandam sui cognitionem, *&c.*

## *Diuisio 8.*

Diuiditur etiam actus tam primus, quàm secundus 38
in actum actiuum, & actum passiuum.

Actus secundus actiuus generali appellatione appellatur quicumque significatur per verbum actiuum. Passiuus autem quicumque per passiuum. Actus verò primus, seu potentia, iuxta hanc appellationem, actiua venit nuncupanda, quoties est potentia ad actum secundum actiuum: passiua autem quoties est potentia ad passiuum. Strictius tamen solet sumi actus actiuus pro actione, quam vocant de prædicamento actionis: passiuus autem actus pro passione de prædicamento passionis, media qua in subiecto recipitur terminus per actionem productus. Et consequenter eiusmodi actuum potentiæ strictius etiam per denominationem sumptam ab ipsis actiua, & passiua appellantur. Porro actus actiuus iuxta priorem acceptionem actio grammaticalis vocari consueuit, passiuus autem passio grammaticalis. Cum tamen iuxta acceptionem posteriorem actio & passio physica nuncupentur.

Mitto alias diuisiones, quæ in actum insuper im- 39
mediatè cadere possent; aptius tamen cadent mediatè, dum alios terminos transcendentes, sub quibus actus continetur, in sequentibus diuidamus.

---

## QVÆSTIO IV.

*Quænam propositiones euidentes, aut aliàs certæ, seu per se notæ, seu demonstratæ ex terminis huius disputationis in superioribus expositis eliciantur.*

CVm materia huius disputationis ad Metaphy- 40
sicam bona ex parte pertineat, oportet ex terminis eius nonnullas propositiones elicere tum per se notas; tum demonstratas iuxta methodum præstitutam in præfatione ad lectorem.

Porrò principia scientiarum, quæ ad Metaphysi- 41
cam pertinent, ex terminisque subinde ad Metaphysicam spectantibus componuntur, ad duo capita reuocantur, nimirum ad definitiones, quibus scientiæ termini definiuntur, seu explicantur, & axiomata, quæ à propositionibus per se notis talis scientiæ nihilo differunt. De quo plura inferius suo loco. Igitur, quod ad præsentem disputationem attinet. Cum terminorum eius definitiones in duabus præcedentibus quæstionibus satis supérque sint expositæ, sequitur vt in præsente imprimis propositiones per se notas, siue axiomata maioris momenti pertinentia ad eosdem terminos exhibeamus. postmodúmque ex vtrisque principiis aliquas propositiones per aliud notas maioris momenti itidem demonstremus.

*Propo*

## *Propositio 1.*

42 Ex duobus actibus contradictoriis, alterum conuenire subiecto, & alterum non conuenire necesse est. Atque adeo vtrumque simul subiecto conuenire, aut vtrumque non conuenire, impossibile est.

Hæc propositio in illa recidit celebratissima axiomata. *Impossibile est aliquid simul esse, & non esse. Aut simul neque esse, neque non esse. Necesseque proinde est quodlibet esse, vel non esse. Tum vel deesse, vel non deesse.* Nisi quod impræsentiarum loquendo formaliter vniuersalius profertur, quatenus scilicet non solum in actu essendi aut substantiuo, siue identificante, aut existentiali, & in eius contradictorio reperitur; Sed etiam in omnibus omninò aliis actibus cum suis contradictoriis collatis. Dico tamen, *loquendo formaliter*: quia cum omnis affirmatio, aut negatio cuiuslibet actus de suo subiecto æquiualenter possit reduci ad vnam affirmationem, aut negationem actus essendi substantiui siue identificantis, quem significat verbum *esse* substantiuè vsurpatum, iuxta dicta *disputatione 2. quæst. 4. consect. 1.* sub illis axiomatibus. *Impossibile est aliquid simul esse, & non esse*, &c. sumpto *esse* substantiuè æquiualenter continetur hæc propositio, quam nos modò circa actum in vniuersum, & eius contradictorium proferimus. Quocirca quidquid pro maiore eius intelligentia notandum erat, cùm sermo nobis sit de illis *disp. 9. q. 5.* notabitur.

## *Propositio 2.*

43 Omnis actus suopte conceptu, & essentia alicuius subiecti ad aliquem terminum, siue circa aliquem terminum actus est.

Sermo est de actu sumpto formaliter: quo pacto nequit non esse ex conceptu suo exercitium quoddam alicuius subiecti ad aliquem, seu circa aliquem terminum, vt constat ex dictis *quæst. 1.* Fieri tamen potest vt idem actus aut vnius dumtaxat, aut plurium subiectorum sit actus, atque adeo exercitium: tum aut circa vnum solum terminum, aut circa plures. Quia tamen id semper habet ex suo conceptu, & essentia; indefectibiliter habet. Proindéque impossibile est, vt vnus & idem actus formalis modò sit plurium subiectorum actus, modò vnius tantùm, vel vice versâ; aut modo ad plures, modò ad vnicum terminum, vel è conuerso terminetur: sicut impossibile est vt idem actus modo huius, modo alterius subiecti, aut modo ad hunc, modo ad alterum terminum actus sit. Id namque esset mutare essentiam, quod repugnat.

44 Rogas, an actus hoc ipso, quod alicuius subiecti ad aliquem terminum suapte naturâ sit actus, cum tali subiecto, aut tali termino suapte natura necessario connexus sit? Respondeo esse connexum cum essentiâ, seu quiditate subiecti, & termini, secus cum existentia. Primum constat, quia nequit quidpiam suapte essentiâ esse actus huius subiecti ad hunc terminum præ cæteris, quin hoc subiectum, & hic terminus talem essentiam habeant distinctam à cæteris. Si enim hoc subiectum, & hic terminus aliud quid essent ab eo, quod sunt, actus non huius subiecti ad hunc terminũ, sed illius ad alium esset actus suapte essentiâ: aliamque subinde essentiam ab ea, quam habet, haberet. Quod est impossibile. Secundũ autem constat: quia esse actum naturâ suâ alicuius subiecti ad aliquem terminum actum, tantũ sonat, esse illum conceptum respectiuũ, seu relatiuum, tum ad subiectum, tum ad terminum. Sunt autem multæ relationes cum eis conceptibus, ad quo se habent prout existentibus nullo modo connexæ, vt ex dicendis *suo loco* constabit. Et in præsenti constat primò in actu cognitionis falsæ, qui respectiuus est ad obiectum, tanquam ad terminum; & tamen sine obiectiuo ipso potest existere, & existit. A quo rursus tale obiectum cognosci dicitur actu quodam cognitionis passiuæ, cuius subiectum ipsum obiectum est: quo fit, vt talis actus sine subiecto detur, quod per illum exerceri concipitur. Tantumdemque censeo de actu quo aliquid falsò apprehensum amatur à voluntate, quóque voluntas amat illud. Secundò actus, quo Petrus dicitur in hoc instanti mori, seu corrumpi, seu desinere esse, in hoc instanti, datur sine subiecto, cum quo proinde prout in hoc instanti existenti connexus non est; tametsi suopte conceptu sit actus eius. Tertiò actus, quo vnumquodque non existens dicitur existentia carere, sine suo subiecto, atque etiam sine suo termino est: non ergo cum illis prout existentibus connectitur; potius illis necessario opponitur. Quartò actus oppositionis, quo alterum oppositorum alteri opponi dicitur, sine suo termino est, imo cum illo nequit esse. Et idem est de actibus primis, siue potentiis prædictis actibus secundis correspondentibus. Obiectum quippe non existens dicitur nihilominus posse amari à voluntate. Et Petrus in instanti, in quo moritur, & desinit esse, dicitur etiam posse mori, & desinere esse, & quo tempore vnumquodque caret existentiâ, dicitur illa posse carere, *&c.* Aliique multi sunt huiusce modi actus tum secundi, tum primi, qui cum suo subiecto, aut termino prout existentibus connexi non sunt.

Ex quo patet ex præciso conceptu actus nullum 45
actum esse connexum cum suo subiecto, aut cum suo termino prout existentibus. Tametsi multi ex speciali, & proprio conceptu aut cum subiecto, aut cum termino, aut cum vtroque prout existente connexi sint. Ita enim productio tum cum principio producente tanquam cum subiecto, tum cum termino producto connexa est per suam essentiam, & cognitio essentialiter vera cum intellectu cognoscente, & cum obiecto cognito, *&c.*

Rogas secundo. An quando actus non est à parte 46
rei formalis, aliquod saltem ex fundamentis realibus, vnde ille ab intellectu nostro sumitur, formalisque concipitur, iuxta dicta *q. 2. &. 3.* debeat esse quid respectiuum naturâ suâ ad subiectum, aut ad terminum? Respondeo non debere, vt patet in actu metaphysico adæquatè intrinseco, in multisque intrinsecis inadæquatè, & in multis actibus physicis adæquatè extrinsecis. Itaque sæpissimè sortitur actus suum conceptum respectiuum ad subiectum, & terminum ab intellectu nostro dumtaxat, quin vllum ex fundamentis, vnde ille sumitur, re ipsâ respectiuum sit ad tale subiectum, talemque terminum. Vide id in actibus, quibus Deus dicitur posse intelligere, & intelligere se ipsum; & vnus homo posse assimilari, & assimilari alteri; posseque distingui, & distingui ab altero, possèque comitari, & comitati alterum; aliisque huiusmodi.

Rogas denique tertiò: an quando actus reip- 47
sa non formalis essentialiter cum subiecto, aut termino connexus est, possit ab intellectu nostro dumtaxat talem connexionem sortiri, an illam ab aliquo ex fundamentis; vnde sumitur, sortiri debeat? Respondeo debere: quia non censetur, nec dicitur conceptus essentialiter connexus cum alio quopiam, ille qui re ipsâ talis non est, estò fortasse

ab intellectu connexus fictitiè concipiatur, quamuis censeatur, dicaturque, conceptus essentialiter respectiuus, qui talis intellectui apparet, etsi realiter non sit talis. Atque ita licet actus possit habere suopte conceptu, & essentiâ esse respectiuum ad subiectum, & terminum per nostrum intellectum dumtaxat citra omnem huiusmodi respectum fundamentorum, vnde sumitur; nequit tamen, iuxta communem loquendi morem esse essentialiter connexum cum subiecto, aut termino per nostrum intellectum dumtaxat, nisi reipsa aliquod ex fundamentis, vnde sumitur, cum tali subiecto, aut termino essentialiter connexum sit. Itaque tunc solum actus dicitur essentialiter cum suo subiecto, aut cum suo termino connexus, quando in conceptu suo reali aliquid includit connexum essentialiter cum tali subiecto, aut tali termino, à quo conceptus ipse realis, siue aggregatum fundamentorum, vnde conceptus eius formalis sumitur, indiuisim acceptum, cum tali subiecto, aut tali termino connexum euadit.

## *Propositio 3.*

48 Impossibile est subiectum se exercere per actum, quin sit potens proximè se exercere per illum, vel aliter. Omnis actus cum aliquâ potentiâ proximâ sibi in eodem subiecto correspondente est essentialiter connexus.

Hinc ortum duxit vulgatum illud, ab omnibusque receptum effatum. *Ab actu ad potentiam bona est consequentia.* Atque ita huiusmodi consequentiæ siue illationes apud omnes sunt euidentes. Legit: ergo potest legere. Exiſtit: ergo potest existere. Cognoscitur: ergo potest cognosci. Caret pecunis: ergo potest carere. Si vocetur, consentiet: ergo si vocetur, poterit consentire, *&c.* Est tamen aduertendum potentiam sui proximam, quam euidenter infert omnis actus secundus, hanc determinatam, à qua de facto manat non esse, sed hanc, vel aliam sub disiunctione, siue aliquam vagè. Quia ex suppositione actus solum fit euidens, dari in subiecto aliquam potentiam proximam ad illum, siue sit hæc, siue illa. Quo fit, vt idem numero actus sæpe à distinctis potentiis proximis possit indifferenter oriri, vt constabit ex dicendis *quæst. 5.*

49 Itaque omnis actus secundus, quâ ratione subiecto conuenit, eâdem infert necessariò aliquam potentiam proximam sibi correspondentem eidem subiecto conuenire, siue cum tali potentiâ proximâ prout tali subiecto conueniente essentialiter connexus est. Impossibile quippe est subiectum se exercere per actum, quin sit potens se exercere per illum, vt præsens propositio fert.

Vnde colliges primò actum cum potentiâ connecti prout denominante subiectũ proxime potens ad actũ ipsum, quæ denominatio plerumque ad statum existentialem, interdum tamen ad solum statum quiditatiuum spectat. Quo fit vt actus non semper sit connexus cum suâ potentiâ proximâ prout existente. Sed sæpe cum illâ prout conueniente suo subiecto infra statum solum quiditatiuum.

50 Secundò colliges, quando subiectum non habens esse denominatur per actum, concipiturve nihilominus seſe exercens per illum, non posse non etiam denominari per potentiam tali actui correspondentem, concipive seſe per illam simul exercens siue hæc denominatio ad statum existentialem, siue ad solum quiditatiuum pertineat.

52 Tertiò colliges actum & potentiam proximam ad actum, siue correspondentem actui, quam ipse actus infert, eiusdem omnino subiecti esse: quia eiusdem subiecti est exerceri per actum, & posse exerceri per illum, vt patet.

Quartò colliges. Quoties potentia proxima ad 53
actum ex proprio, & speciali conceptu cum suo subiecto prout existente connexa est, iuxta dicta *propoſit. 2.* non posse non actum ipsum connexum cum tali potentiâ prout exiſtente, & cum eodem subiecto prout existente saltem mediatè connexum esse, vt patet.

## *Propositio 4.*

Nulla potentia ex præciso conceptu potentiæ 54
cum suo actu connexa est. Sunt tamen multæ, quæ ex specialioribus suis actibus connectuntur.

Prior pars constat: quia potentia libera, & cæteræ indifferentes ad actum, & ad carentiam actus, conceptum potentiæ participant omnibus potentiis communem; & nihilominus cum suis actibus non connectuntur. Secunda autem pars etiam constat, quia potentia, quâ Pater æternus potest Filium producere, potentia, qua Deus potest intelligere, potentia, qua causa prædeterminata potest causare, & cæteræ huius modi cum suis actibus connectuntur.

## *Propositio 5.*

Omnis potentia remota comparatione vnius 55
actus necessario debet esse proxima comparatione alterius.

Siquidem ea est potentia remota comparatione alicuius actus, quæ non per se, sed per intermediam aliam potentiam versatur circa illum: eatenusque circa illum versari dicitur, quatenus versatur circa actum proprium, ex quo ille cum sua potentia, & si quæ alia antecedunt, sequenda veniunt, iuxta dicta *quæst. 3. diuiſ. 6.* id namque est commune omni seriei, vbi plura continuato quodam ordine sibi succedunt, vt non possit non esse immediatè tale comparatione vnius illud, quod est mediate, seu remotè tale comparatione alterius, vt patet in serie connexorum, in serie causarum, in serie durationum, *&c.* Vnde patet de essentia potentiæ remotæ esse vt ab illa ad actum, ad quem remotè comparatur, series continua sit potentiarum & actuum alternatiuè ordinatorum, ita vt singulæ potentiæ proximæ sint respectu singulorum actuum sibi immediatè succedentium in tali serie; remote autem respectu aliorum succedentium sibi mediatè. Omnis quippe series comparandorum remotè, & proximè continua necessario esse debet, & ex se constat: aliàs cessabit comparatio. Recole dicta *loco citato.*

Adnotare tamen oportet seriem potentiarum, 56
& actuum interdum intra eumdem statum, intra eamdémque mensuram temporis claudi, ita vt potentiæ & actus simul in eodem statu, in eodemque tempore exiſtant; interdum verò per status diuersos, per diuersasque temporis mensuras extendi, ita vt potentiæ in vno, actus autem in alio aut statu, aut tempore reperiantur. Quod rursus bifariam potest accidere. Primò quidem si potentia seorsim in vno statu, vel temporis instanti reperta, in alio insuper simul cum actu reperiatur. Secundo si potentia, & actus adeo sibi diuersos status, diuersaue tempora vendicent, vt neutiquam in eodem coniungi possint. E. g. si Deus ignem producat in instanti A, à quo in eodem instanti procedat calor, qui immutet sensum animalis, suique progignat

sensa

sensationem in eodem instanti, tota hæc series potentiarum, & actuum in eodem statu existentiali, & absoluto, in eademque temporis mensura simul existet. Si verò ignis potens ex conceptu suo obiectiuo existere, & causare calorem, existat in instanti A, calorémque in instanti B. causet, hæc series potentiarum, & actuum, per diuersos status, per diuersaque instantia temporis extensa erit; ita tamen vt substantia ignis, quæ secundum se præeisse potentia remota est productionis caloris, prius in statu quidditatiuo absque omni actu, deinde in statu existentiali cum actu existendi præcisè, postmodum cum actu durandi in instanti A, denique cum actu durandi in instanti B, ac demum cum actu producendi calorem in eodem instanti coniuncta sit. Tandem potentia proxima, quam ignis prout existens in instanti A habere dicitur ad existendum, aut ad carendum existentiâ in instanti sequenti B, seriem constituit cum ipso actu existendi, aut carendi existentia in instanti B, ita per instantia diuersa extensam, vt talis potentia cum tali actu neutiquam in eodem instanti coniungi possint: quia duratio ignis correspondens instanti A (quæ intrinsecè ad talem potentiam spectat, vt videbimus *propos.* 7.) & duratio eiusdem correspondens instanti B, quæ est eius actus, non possunt eidem instanti correspondere, vt constat; similiter potentia quam ignis ex suo conceptu obiectiuo præcise habet ad carendum existentiâ, & ipse carendi actus, ita ad diuersos status spectant, vt in eodem simul esse non possint.

## *Propositio 6.*

57 Ex suppositione, quod aliquis actus conueniat subiecto, non potest ei non conuenire.

Hæc propositio, siue axioma in illud satis vulgatum datum per verbum *esse* recidit. *Quodlibet ex suppositione, quod est, necesse est esse*, de quo *infrà disp. 9. quæst. 5.* Estque certissimum. Nam si facta & retenta suppositione, quod aliquis actus subiecto conuenit, ipsi posset non conuenire; eidem subiecto simul posset conuenire, & non conuenire contra *propos.* 1.

## *Propositio 7.*

58 Ad præteritum non datur potentia.

Hoc axioma ab omnibus est receptissimum; sed non est ab omnibus eadem ratione intellectum. Philosophi, Theologiq; antiquiores ita exponunt, vt sensus sit, iam nunc, siue in præsenti instanti impossibile esse absolutè, & citra omnem suppositionem vt præteritum non fuerit præteritum, atque adeo vt non extiterit, quod antea extitit, aut extiterit, quod non extitit. Videantur S. Thom. 1. *part. q. 25. art. 4.* & *ibi* omnes eius interpretes. Aristot. *lib. 6. Ethic. cap. 2.* apud quem illud Agathonis effatum. *Hoc etiam ipse Deus, soloque carere videtur, infectum vt faciat, quod factum est, atque perfectum.* August. *libr. 26. contra Faustum cap. 5.* Hieron. *in Epist. ad Eustochium, quæ est 22. de custodia virginitatis*, & refertur *in cap. si Paulus 32. quæst. 32.* Anselm. *tract. de concordia libertatis cum præscientia cap. 1.* Petr. Damianus *epist. 4. de omnipotentia Dei cap. 4. & 8. in tom. 3. Bibliot.* & alij. Sunt tamen multi præsertim ex Recentioribus, qui putant, eatenus ad præteritum non dari potentiam, quatenus ex suppositione, quod est præteritum, non potest non esse præteritum: quo iure de potentia ad præsens, & ad futurum perinde censent philosophandum; præsens quippe ex suppositione, quod est præsens, nequit non esse præsens; & futurum ex suppositione, quod est futurum, nequit non esse futurum, iuxta *propos. 6.*

Ego verò cum communi antiquiorum censeo 59
aliter de impotentia ad præteritum, atque de impotentiâ ad præsens, & ad futurum philosophandum esse: idque axioma propositum sibi velle, quod citra dubium speciali quadam ratione negat potentiam ad præteritum, qua potentia ad præsens, & ad futurum negari non potest. Sensus itaque Axiomatis est. Nullam dari de præsenti potentiam, quæ de præsenti talis sit proxime, vel remote ad coniungendum suum actum seu positiuum, seu negatiuum cum tempore præterito, idque etiam præscindendo ab eo, quòd talis actus sit, aut non sit præteritus; cum tamen detur de præsenti potentiâ, quæ de præsenti talis sit proximè, vel remotè ad coniungendum suum actum seu positiuum, seu negatiuum cum tempore præsenti præscindendo ab eo, quod actus sit, aut non sit in tali tempore. Tum etiam potentia, quæ talis sit pariter de præsenti ad coniungendum suum actum cum tempore futuro. Etenim cum tempus præteritum nullatenus reuerti possit; tempus autem præsens iam adsit; & futurum possit accedere, consequens est, vt potentia præsens prout talis nequaquam queat aut actum, aut eius carentiam ponere in tempore præterito; bene tamen in præsente, quod adest, & in futuro, cum accesserit.

Dices: sæpe datur de præsenti potentiâ, per 60
quam fuit positus, aut impeditus, ponibilisve aut impedibilis actus in tempore præterito: ergo sæpe datur de præsenti potentiâ ad ponendum, aut impediendum actum in tempore præterito: potentia enim, per quam potuit poni, vel impediri actus in tempore præterito, ipsissima est potentia ad ponendum, aut impediendum actum in tali tempore. e. g. Potentia, qua Deus creauit, potuitque non creare Angelum in tempore præterito, eadem est, quam modo habet (in Deo quippe successu temporis non variatur, nec mutatur potentia, vt constat, aliàs esset mutabilis) sed per eiusmodi potentiam potuit Deus in tempore præterito creare, & non creare Angelum in tali tempore, siquidem in eo illum creauit liberè: igitur & modo potest illum in tali tempore creare, vel non creare, quia posse Deum id de præsenti, & de præsenti ad id habere potentiam, idem omnino est. Igitur Deus modo potest pro arbitrio suo creare, vel non creare Angelum, in tempore præterito. Igitur falsum est ad præteritum non dari potentiam, prout à nobis asseritur.

Respondeo potentiam, quâ Deus creauit, & po- 61
tuit non creare Angelum in tempore præterito (& idem est de cæteris huiusmodi) bifariam posse considerari. Primò secundum se cum præcisione ab existentiâ siue duratione præsenti: secundo prout de præsenti existentem, siue durantem. Considerata primo modo facit quidem Deum secundum se, siue ex conceptu suo potentem saltem remotè ad creandum Angelum, in tempore, quo fuit creatus, quodque modo iam est præteritum, quia huiusmodi potentia vt sic cum tali tempore est coniungibilis ex suo conceptu, cum quo coniuncta proxima euasit respectu talis creationis. Per illam tamen vt sic Deus non fit de præsenti absolutè potens ad creandum Angelum in dicto tempore: quia Deus de præsenti solum dicitur absolutè potens per po-

tentiam, quam de præsenti habet vt talem, hoc est, vt existentem de præsenti, & per prædictam, vt de præsenti existentem (quæ est secunda consideratio eius) potius redditur Deus impotens ad Angeli creationem præteritam, vtpote, quæ per existentiam præsentem à ratione potentiæ exuitur comparatione creationis præteritæ. Deus namque prout existens hodie impotens est vt coniungatur cum tempore præterito, eo quod tempus præteritum nullatenus reuerti potest; & consequenter vt Angelum in tali tempore creet: absque coniunctione enim sui per coexistentiam cum quouis tempore Deus non potest in eodem quidpiam producere, vt est notum; siquidem Deus, & quæuis alia causa in eo solum tempore, in quo actu existit, potest actu operari, non in aliis, in quibus actu non existit. Eadem enim necessitate requiritur existentia in aliquo tempore ad operandum in eodem, ac requiritur existentia absolutè ad operandum absolute, vt constat. Ex quibus omnibus patet solutio ad argumentum factum.

62 Inferet tamen aliquis. Ergo nec habet Deus hodie potentiam ad aliquid producendum in tempore futuro: quia nec cum tempore futuro est coniungibilis prout hodie existens: quandoquidem hodierna eius duratio nullatenus cum tempore futuro coniungibilis est. Nego consequentiam. Ad probationem autem dico, sat esse, quod Deus secundum se cum tempore futuro sit coniungibilis, & quod hodierna eius duratio in sequentes possit desinere, cum illisque subinde remotè, vel proximè quodammodo sit coniungibilis, atque coniuncta, seu colligata, non quidem quoad existentiam, sed quoad successionem. His enim positis de Deo etiam prout existente hodie est verum, posse cras existere transeundo ab hodiernâ ad crastinam durationem, & consequenter ad reliquas omnes subsequentes. Quod est esse eum quoad existentiam coniungibilem cum toto tempore futuro, atque adeo compotem media tali coniunctione in illo operari, etiam suppositione facta, quod hodie existit. Cum tamen tali facta suppositione nullatenus sit coniungibilis quoad existentiam cum tempore præterito, & consequenter nec compos vllomodo in illo operari: eo quod à duratione hodierna ad hesternam, ad reliquásque iam præteritas nullatenus transire potest, eo ipso, quod illæ suapte essentia iam hodie nullatenus redire possunt siue reuerti.

63 Itaque in serie temporis essentialiter successiui accipe tria instantia A,B,C, quorum B sit præsens, A præteritum, & C. futurum. Certè hoc ipso, quod existente B, iam A desiuit esse, C. verò nondum fuit; desinente autem B. necessariò succedet, habebitque existentiam C. A verò iterato existere, B. desinente, est impossibile. Verum est dicere de B. in C. posse desinere, secus in A, atque adeo existente B, verum quoque est absolutè dicere posse C. existere, secus posse existere A. Proindeque B possibilitas quædam est, siue potentia, vt existat C. proxima quidem respectu ipsius C. remota autem respectu instantium subsequentium; non item vt existat A, aut cætera instantia præterita. Vnde quando ens alias ex se potens existere in aliis instantibus, existit in instanti B. verũ est dicere de illo etiam prout in eo instanti existente, siue durante, posse existere in instanti C. & in reliquis subsequendis; secus in instanti A, & in aliis præteritis, quia cum duratio eius correspondens instanti B. in subsequentes durationes possit desinere; non item in præcedentes, iuxta nuper dicta, consequens est vt tale ens amissa tali duratione ad subsequentes, non item ad præcedentes transire possit; cum totóque subinde tempore subsequente, non item cum præcedente coniungi, mediaque huiusmodi coniunctione in illo; non in hoc operari, aut quemuis actum exercere. Quod est eiusmodi ens prout durans in instanti præsenti, præsentive eius duratione suppositа, ad futurum habere potentiam, ad præteritum verò minime; potentiamque proinde huiusmodi per ipsam præsentem durationem intrinsecè constitui, vt constat ex dictis.

Contra quæ tamen adhuc potest opponi primo. 64
Nulla potẽtia Dei potest successu temporis variari; alioquin Deus esset mutabilis; ergo omnis potentia Dei ab omni tempore præscindit, per nullúmque proinde tempus constitui potest, & cum omni potest coniungi; & consequenter in quocumque tempore existat Deus, tam ad præteritum, quàm ad præsens, futurúmque potentiam habebit. Respondeo nullam quidem potentiam Dei ipsi adæquatè intrinsecam posse successu temporis variari; bene tamen aliquam ipsi partim extrinsecam. Nec ob id Deum esse mutabilem: quia per extrinsecas variationes Deus non mutatur; dummodo, quæ adæquatè sunt ipsi intrinseca, immutata semper persistant, vt verè persistunt. Itaque potentia, qua Deus proxime potens fit ad producendam creaturam in instãti A, per coexistentiam cum tali instanti extrinseco Deo completur; & idem est de potentia proxima Dei ad producendam creaturam in singulis aliis instantibus. Nihil autem vetat huiusmodi potentias proximas pro varietate instantium extrinsecorum Deo, quibus complentur, successu temporis variari, vt pluribus exponemus *suo loco*.

Secundo opponi potest. Dum homo liberè ope- 65
ratur potens operationem omittere, potentiam habet ad faciendũ mediâ omissione operationis, quod non præextiterit ab æterno præscientia Dei de operatione. Igitur falsum est ad præteritum non dari potentiam. Respondeo potentiam, quam habet homo ad faciendum, quod ab æterno, seu toto tempore antecedente non præextiterit, atque etiam, quòd præextiterit præscientia Dei de sua libera operatione, non esse potentiam ad præteritum, sed ad præsens, à quo tanquam à termino connexionis pependit præteritum; eatenus enim dumtaxat dicitur homo posse facere, quod non præextiterit, vel, quod præextiterit in toto tempore præterito præscientia Dei, quatenus potest, de præsenti ponere, vel non ponere actum, à quo tanquam à termino connexionis futuro ita pependit in suo esse actus talis præscientiæ, vt nisi ille à sua potentia futurus esset, nullatenus hic à sua posset præexistere. Itaque dum negamus dari ad præteritum potentiam, solùm negamus, per potentiam præsentem, vt talem posse proximè, vel remotè exerceri aliquem actum in tempore præterito, proxime quoque, vel remote oriundum ab ipsa potentia. Non tamen negamus, neque negari potest, sæpe duas potentias distinctas diuersis temporibus respondentes, ita quoad exercitium suorum actuum esse connexas, vt altera nequeat in suo tempore suum exequi actum, nisi altera suum quoque exequatur in suo: quo casu, quæ posterior est tempore, eatenus dicitur posse facere, quod præexiterit, vel non præextiterit in tempore præcedente actus alterius, quatenus in tempore suo exequi potest, vel omittere proprium, cum quo

prout

prout futuro alter quoadexistentiam in suo tempore prætento connexus fuit.

## *Propositio 8.*

66 Impossibile est actum deficere, quin vel totus ipse, vel aliqua pars eius deficiat.

Hæc propositio, hocve axioma certissimum iuxta, atque euidentissimum aliis quibusque conceptibus obiectiuis, essentiisve commune est. De quo proinde iterum erit sermo *infrà disput. 9. quæst. 5.* Etenim si conceptus realis actu, de quo potissimum hic est sermo, quid simplex est, id quidem deficere nequit, quin deficiat totum ipsum, vt patet. Si verò quid cõpositum, coalescensve ex partibus sit, aliquiqua pars intrinseca eius debet necessariò deficere, ad hoc vt ipse deficiat, vt est etiam notissimum. Alioquin permanente tota essentia actus, quæ in aggregato omnium suarum partium consistit, posset actus ipse deficere, quod patet chymæricum esse. Appello autem partem actus impræsentiarum omne illud, quod quomodo intrinsecè constituit ipsum.

## *Propositio 9.*

67 Aliqui actus aliquibus subiectis sunt impossibiles; & aliqui actus aliquibus subiectis sunt necessarij; & aliqui actus aliquibus subiectis sunt contingentes.

Quia aliqua sunt subiecta, quæ nullam habent potentiam ad aliquos actus, & aliqua sunt subiecta, quæ ita comparantur ad aliquos actus, vt ad eorum contradictorios nullam potentiam habeant; & aliqua sunt subiecta, quæ ita comparantur ad aliquos actus, vt ad eos, & ad eorum contradictorios seorsim exercendos potentiam habeant, vt est certissimum, iuxta atque euidentissimum cunctis. Hoc autem ipsum est primos actus primis subiectis esse impossibiles, & secundos secundis necessarios, & tertios tertiis contingentes, iuxta definitiones traditas *q. 3. diuis. 4.*

68 Hinc (quod in idem recidit, iuxta dicta *in eadem q. diuis. 5.*) Aliqua subiecta sunt impotentia ad aliquos actus, & aliqua subiecta sunt necessitata ad aliquos actus, & aliqua subiecta sunt indifferentia ad aliquos actus, id est, habentia potentiam ad illos, & ad eorum contradictorios seorsim.

69 Et quoniam potentiæ, à quarum positione, aut defectu ista subiecta, & isti actus istas denominationes sortiuntur, iuxta dicta *ibidem*, aut proximæ, aut remotæ esse possunt, iuxta *diuis. 6. eiusdem q.* conficitur quædam dictorum subiectorum ad quosdam dictorum actuum remotè, & quædam ad quosdam proximè esse aut impotentia, aut necessitata, aut indifferentia. Pariterque quosdam dictorum actuum quibusdam dictorum subiectorum remotè, & quosdam quibusdam proximè esse aut impossibiles, aut necessarios, aut contingentes. Ita quidem vt illud subiectum dicatur remotè impotens ad actum, quod nec remotam, nec proximam potentiam ad actum habet; illud verò proximè, quod caret proxima, habeat, aut non habeat remotam. Et illud subiectum dicatur necessitatum remotè ad actum, quod nec remotam, nec proximam potentiam habet ad eius contradictorium; illud verò proximè, quod caret proxima, habeat, aut non habeat remotam. Et illud subiectum indifferens remotè ad actum dicatur, quod ita est potens ad actum, & ad eius contradictorium seorsim, vt ad alterum horum extremorum remotè tantùm potens sit (ad vtrumque enim esse non potest, vt vidimus) illud verò proximè, quod ad vtrumque seorsim est proximè potens. Paritérque loquendum est de impossibilitate, necessitate, & contingentia actuum comparatione subiectorum.

Rursus quoniam potentiæ prædictæ aut possunt 70
esse metaphysicæ, aut physicæ, aut morales, iuxta *diuis. 5. eiusdem q.* Conficitur itidem quædam dictorum subiectorum ad quosdam dictorum actuum metaphysicè, & quædam ad quosdam physicè, & quædam ad quosdam moraliter esse aut impotentia, aut necessitata, aut indifferentia. Pariterque quosdam dictorum actuum, quibusdam dictorum subiectorum metaphysicè, & quosdam quibusdam physicè, & quosdam quibusdam moraliter esse aut impossibiles, aut necessarios, aut contingentes. Quinam autem actus, & quænam subiecta talia dicantur ex definitionibus traditis *diuis. 4. & 5. citatis* compertum est.

## *Propositio 10.*

Actus subiecto necessarius, aut impossibilis me- 71
taphysicè, nequit non esse etiam eidem necessarius, aut impossibilis physicè. Tum, qui physicè talis est, nequit non & moraliter talis esse; sed non vice versa. Actus verò subiecto contingens moraliter nequit non esse eidem contingens physicè. Tum, qui physicè talis est, nequit non & metaphysicè talis esse; sed non è conuerso.

Hæc propositio ex definitionibus expositis *q. 3. diuis. 4. & 5.* satis conspicua est. Constat enim ex illis necessitatem, impossibilitatemque metaphysicam indispensabiliter ferre secum physicam, & physicam moralem, non tamen è contrà. Contingentiam verò moralem indispensabiliter etiam supponere physicam, & physicam metaphysicam; sed non è conuerso.

Hinc (quod in idem recidit, iuxta dicta *ibidem*) 72
subiectum impotens, aut necessitatum ad actum metaphysicè, non potest non esse etiam impotens, aut necessitatum physice ad illum, & impotens, aut necessitatum physice, non potest non esse etiam tale moraliter; sed non è conuerso. Potest namque subiectum esse impotens, aut necessitatum ad actum moraliter, quin tale sit physice, aut metaphysice, & potest tale physice esse, quin sit metaphysice. Subiectum verò indifferens ad actum moraliter, nequit non eo ipso esse ad illum indifferens physice; & indifferens physice nequit non esse etiam metaphysicè. Non tamen è contra, quia potest esse indifferens metaphysice, quin physice, & moraliter sit, & potest physice, quin sit moraliter. Quæ omnia ex ipsis terminis, prout loco citato sunt exposita, manifestissima sunt apud omnes.

## *Propositio 11.*

Omnis actus relate ad quoduis subiectum aut 73
est illi necessarius, aut impossibilis, au contingens. Tum omne subiectum relate ad quemuis actum aut est necessitatum, aut impotens, aut indifferens ad illum.

Nam vel subiectum habet potentiam tum ad actum, tum ad eius contradictorium seorsim, & sic actus est contingens subiecto, subiectumque indifferens ad illum. Vel subiectum neque habet potentiam ad actum, neque ad eius contradictorium, & hic casus est impossibilis, vt mox demonstrabitur;

bitur ; vel ſubiectum habet potentiam ad actum, & non ad eius contradictorium, & ſic actus eſt neceſſarius ſubiecto , ſubiectúmque eſt ad illum neceſſitatum , vel ſubiectum habet potentiam ad contradictorium actus , & non ad actum , & ſic actus eſt impoſſibilis ſubiecto. Alius autem caſus excogitabilis non eſt , vt patet. Igitur omnis actus , &c. Quod erat demonſtrandum.

74 Eſt autem propoſitio vniuerſaliter vera intra omne genus neceſſitatis , impoſſibilitatis , & contingentiæ actuum, neceſſitatiſve, impotentiæ, indifferentiæque ſubiectorum, proximæ ſcilicet,& remotæ, metaphyſicæque , phyſicæ , & moralis. Intra quoduis enim horum generum ſeorſum à reliquis demonſtratio facta habet locum, vt cuique diſcurrenti per ſingula conſpicuum fiet. Eſt namque omnis actus relatè ad quoduis ſubiectum,aut ei neceſſarius , aut impoſſibilis , aut contingens proximè. Tum aut ei neceſſarius, aut impoſſibilis , aut contingens metaphyſice. Tum aut ei neceſſarius , aut impoſsibilis , aut contingens moraliter ; & in cæteris pariter , propter factam , faciendámque in ſingulis demonſtrationem, ſeruata proportione ſingulis debita.

## *Propoſitio 12.*

75 Quoties ex duobus actibus contradictoriis alter eſt ſubiecto impoſſibilis , alter eidem ſubiecto neceſſarius eſt ; & è conuerſo.

Quia ex duobus actibus contradictoriis alterum conuenire ſubiecto , & alterum non conuenire neceſſe eſt , iuxta *propoſ.* 1. Igitur ſi alter ſubiecto conuenit neceſſario, alter neceſſario non conuenit; hoc autem ipſum eſt eſſe illum ſubiecto impoſſibilem, vt patet. Tum ſi alter ſubiecto neceſſario non conuenit, eique proinde eſt impoſſibilis, neceſſario conuenit alter , quod ipſum eſt eſſe illum ſubiecto neceſſarium. Quoties ergo ex duobus, &c. Quod erat demonſtrandum ; vel aliter. Si contradictorium actus ſubiecto impoſsibilis , ipſi ſubiecto neceſſarium non eſſet,aut eſſet impoſsibile,aut contingens, iuxta *propoſ.* 11. At neque eſſe poteſt impoſsibile, quia iam vtrumque extremum contradictionis eſſet ſubiecto impoſsibile , atque adeo ſimul ei non conueniens contra *propoſ.* 1. Neque eſſe poteſt contingens , quia actus non eſſet ſubiecto impoſsibilis , ſed etiam contingens contra ſuppoſitionem; relinquitur ergo vt ſit neceſſarium. Pariterque demonſtrandum venit eſſe ſubiecto impoſsibile contradictorium actus eidem ſubiecto neceſſarij.

76 Hinc (quod in idem recidit.) Quoties ſubiectum ad alterum ex actibu; contradictoriis impotens eſt, ad alterum neceſsitatum eſt,& è contra.

77 Eſt autem propoſitio vniuerſaliter vera intra quoduis genus impoſsibilitatis , neceſsitatiſque ſeorſim à reliquis , proximæ ſcilicet & remotæ, metaphyſicæque , phyſicæ , & moralis , vt dictum *propoſ.* 11.

## *Propoſitio 13.*

78 Quoties ex duobus actibus contradictoriis alter eſt ſubiecto contingens , & alter quoque contingens eſt.

Quia ille actus eſt ſubiecto contingens,ad quem, & ad eius contradictorium ſeorſim datur in ſubiecto potentia, iuxta definitionem datam *q. 3. diuiſ.* 4. Ergo ab eiſdem ſubiecti potentiis euadunt æque contingentes ambo actus contradictorij, atque adeò non poſſunt non ambo eſſe ei contingentes , ſi alteruter contingens eſt. Et verò ſi contradictorium actus ſubiecto contingentis non eſſet contingens ipſi ſubiecto,aut eſſet illi neceſſarium,aut impoſſibile , iuxta *propoſit.* 11. indeque iuxta *propoſitionem* 12. fieret , vt actus , cuius illud eſt contradictorium , aut eſſet ſubiecto impoſſibilis , aut neceſſarius;cùm tamen ponatur ei contingens. Quod eſt chymericum.

Hinc(quod in idem recidit.)Quoties ſubiectum ad 79
alterum ex actibus contradictoriis indifferens eſt;ad alterum quoque eſt indifferens.

Eſtque propoſitio vera vniuerſe intrà quoduis 80
genus contingentiæ actuum, indifferentiæque ſubiectorum, proximæ ſcilicet,& remotæ, metaphyſicæque,phyſicæ, & moralis.

## *Propoſitio 14.*

Subiectum neceſſitatum ad actum ſeu connexum 81
cum illo, & ad potentiam proximam actus neceſſitatum, ſeu cum illa connexum eſt.

Quoniam actus abſque potentia proxima ſibi in ſubiecto correſpondente ſtare non poteſt,iuxta *propoſit.* 3. Ergo ſubiectum impotens ſtare ſine actu, quale eſt,quod ad actum neceſſitatum,ſeu cum illo connexum eſt,conſequenter eſt impotens ſtare ſine tali potentia proxima ; quod ipſum eſt,eſſe neceſſitatum ad illum,ſeu cum illa connexum.

Eſt autem propoſitio vera intra quoduis genus 82
neceſſitatis, ſeu connexionis metaphyſicæ , phyſicæ , vel moralis , prout *in præcedentibus* dictum eſt.

## *Propoſitio 15.*

Subiectum neceſſitatum ad contradictorium actus, 83
ſeu connexum cum illo,& ad potentiam proximam ipſius contradictorij neceſſitatum , ſeu connexum cum illâ eſt.

Demonſtratio huius eadem eſt , quæ præcedentis.

## *Propoſitio 16.*

Subiectum , cui repugnat potentia proxima ad 84
actum , & ipſe actus repugnat. Tum , cui repugnat potentia proxima ad contradictorium actus , & ipſum repugnat contradictorium.

Quia cùm neuter actus ex duobus quibuſque contradictoriis poſſit ſubiecto conuenire, non habenti potentiam proximam ad ipſum , iuxta *propoſit.* 3. conſequitur planè , vt , cui ſubiecto repugnat potentia proxima ad quemuis actum ex duobus quibuſque contradictoriis , & ipſe actus repugnet.

## *Propoſitio 17.*

Subiectum impotens proximè ad aliquem actum, 85
nequit non eſſe ſimul proxime potens ad actum contradictorium.

Quia ſubiectum carens potentia proxima ad aliquem actum , non poteſt non carere itidem tali actu , vtpote , qui abſque potentia proxima ſibi in ſubiecto ſuo correſpondente ſtare non poteſt,iuxta *propoſ.* 3. Sed ſubiectum carens aliquo actu , nequit non habere ſimul actum contradictorium , ſiue ſe exercere per illum , vtpote, quod ambobus actibus contradictoriis ſimul carere nequit, iuxta *propoſ.* 1.

&

& actus contradictorius absque potentia proximâ sibi in tali subiecto correspondente nequit stare iuxta dictam *propositi. 3.* Ergo de primo ad vltimum subiectum impotens proximè ad aliquem actum, seu carens potentia proxima ad illum, nequit non esse simul proximè potens ad actum contradictorium. Quod erat probandum.

86 Ex hac propositione constat primò, impotentiam proximam subiecti, siue carentiam potentiæ proximæ eius ad quemuis ex duobus actibus contradictoriis necessariò connexam esse cum potentia proxima ad alterum.

87 Secundò constat carentiam cuiusuis ex actibus contradictoriis cum potentia proxima ad alterum, hoc est, ad carentiam ipsam necessariò quoque connexam esse.

88 Est autem propositio vniuersaliter vera intra quoduis genus seorsim potentiæ, & impotentiæ proximæ ad actum; metaphysicæ, scilicet, physicæ, vel moralis. Quemadmodum & præcedentes, & quæ sequuntur pariter veræ sunt. Quod dictum hinc estò pro illis, ne toties repetatur.

## *Propositio 18.*

89 Omne subiectum necessario est proximè potens ad alterum ex duobus quibusque actibus contradictoriis.

Quia omni subiecto necessario conuenit alterum ex duobus quibusque actibus contradictoriis, cùm nequeat simul carere vtroque, iuxta *propositi. 1.* Sed nequit vllus actus conuenire subiecto, quin sit subiectum proximè potens actum ipsum iuxta *propositi. 3.* Ergo omne subiectum necessario est proximè potens alterum ex duobus quibusque actibus contradictoriis.

## *Propositio 19.*

90 Subiectum remote tantum potens actum, eo ipso est proximè potens contradictorium eius.

Quia subiectum remote tantum potens actum eo ipso caret potentia proxima ad illum. Sed carentia potentiæ proximæ ad actum necessario infert potentiam proximam ad eius contradictorium, iuxta *propositi. 17.* Ergo subiectum remote tantum potens actum, eo ipso est proximè potens contradictorium eius.

## *Propositio 20.*

91 Impossibile est vt subiectum aliquod remote tantum potens sit ad vtrumque contradictionis extremum, siue ad vtrumque ex duobus quibusque actibus contradictorie oppositis.

Hæc propositio ex 18. & 19. constat apertè.

## *Propositio 21.*

92 Subiectum necessitatum ad actum nequit non esse potens ad illum.

Quia quoties subiectum est necessitatum ad actum, ad eius contradictorium est impotens, iuxta *propositi. 12.* Sed subiectum impotens ad contradictorium actus nequit non esse potens ad actum ipsum, iuxta *propositi. 17.* Ergo subiectum necessitatum ad actum nequit non esse potens ad illum. Vel aliter, subiectum necessitatum ad actum nequit stare sine illo, cum sit connexum cum illo, iuxta definitiones traditas *q. 3. diuis. 5.* Sed actus nequit stare sine potentia proxima ad se in ipso subiecto, iuxta *propositi. 3.* Ergo.

## *Propositio 22.*

93 Subiectum esse potens, & impotens simul ad eumdem actum impossibile est.

Quia conueniret, & simul non conueniret illi idem actus primus, seu potentia, contra *propos. 1.*

## *Propositio 23.*

94 Subiectum esse necessitatum & impotens simul ad eumdem actum impossibile est.

Quia cùm subiectum necessitatum ad actum nequeat non esse potens ad illud, iuxta *propositi. 21.* Si subiectum necessitatum ad actum impotens simul ad illum esset, potens simul, & impotens esset ad illum, contra *propositi. 22.*

## *Propositio 24.*

95 Subiectum esse indifferens, & simul necessitatum, aut impotens ad eumdem actum impossibile est.

Quia cùm esse indifferens sit esse potens ad vtrumque actum contradictorium seorsim, iuxtà definitionem traditam *q. 3. diuis. 5.* Si simul esset indifferens, & impotens ad alterum, simul esset potens, & impotens ad eumdem, contra *propositi. 22.* Et cùm nequeat subiectum esse necessitatum ad actum, quin sit impotens ad eius contradictorium, iuxta *propositi. 12.* Si simul esset indifferens, & necessitatum ad eumdem actum, simul esset potens, & impotens ad idem eius contradictorium, contra eamdem *propositi. 22.*

## *Propositio 25.*

96 Subiectum esse impotens simul ad vtrumque actum contradictorium impossibile est.

Tum quia nequit non esse proximè potens ad alterum, iuxta *propositi. 18.* Tum quia quoties est impotens ad vnum, nequit non esse necessitatum ad alterum, iuxta *propositi. 12.* Ad hoc autem simul necessitatum, & impotens esse non potest, iuxta *propositi. 23.* Tum denique, quia si esset impotens ad vtrumque, careret vtroque, contra *propos. 1.* Cum nequeat non carere eo, ad quem est impotens, iuxta *propositi. 3.*

## *Propositio 26.*

97 Subiectum esse necessitatum simul ad vtrumque actum contradictorium impossibile est.

Quia cùm subiectum necessitatum ad vnũ actum sit impotens ad eius contradictorium, iuxta *propositi. 12.* Si subiectum esset necessitatum simul ad vtrumque actum contradictorium, sequeretur primò esse etiam simul impotens ad vtrumque, contra *prop. 25.* Secundò esse simul necessitatum, & impotens comparatione vniuscuiusq; contra *propositi. 23.* Tertiò carere vtroque, & habere simul vtrumque contra *propositi. 1.*

## *Propositio 27.*

98 Subiectum esse indifferens ad vnum actum, & simul necesitatum, aut impotens ad eius contradictorium, impossibile est.

Quia

Quia cùm esse indifferens ad vnum actum sit esse potens ad vtrumque contradictorium seorsim, iuxta definitionem traditam *q. 3. dinis. 5.* Si simul esset indifferens ad vnum, & impotens ad eius contradictorium, simul respectu huius esset potens, & impotens contra *proposit. 22.* & cùm subiectum necessitatum ad vnum ex actibus contradictoriis nequeat non esse ad alterum impotens, iuxta *proposit. 12.* Si subiectum ad vnum eorum esset necessitatum, ad alterumque indifferens, ad hoc similiter esset simul potens, & impotens, contra eamdem *proposit. 22.*

## *Propositio 28.*

99 Subiectum esse necessitatum ad vnum ex duobus actibus contradictoriis, & simul potens ad alterum impossibile est.

Quia cùm subiectum necessitatum ad vnum nequeat non esse ad alterum impotens, iuxta *prop. 12.* Si subiectum necessitatum ad vnum esset simul potens ad alterum; simul esset potens, & impotens ad eumdem contra *proposit. 22.*

## *Propositio 29.*

100 Id quo præcisè deficiente, & cæteris omnibus per possibile, aut impossibile permanentibus, deficit actus, aut est actus ipse, aut aliqua pars eius, quidve constituens ipsum intrinsecè.

Appello enim partem actus, quidquid constituit ipsum intrinsece. Vtque propositionem demonstrem, pono id, ad cuius solius defectum deficit actus esse A, & arguo sic primò. Impossibile est actum deficere, quin vel ipse totus, vel aliqua pars eius deficiat, iuxta *proposit. 8.* Sed deficiente A præcisè, & cæteris omnibus permanentibus, deficit actus, vt supponimus. Ergo A, vel est actus ipse, vel pars eius. Alioquin deficeret actus, quin, vel ipse totus, vel pars eius deficeret, contra proposit. ipsam. Secundò aliter. Si A non esset vel actus ipse, vel pars eius, & solo A deficiente deficeret actus, vt supponitur, fieret vt deficiente solo A non deficeret solum A, contra *proposit. 1.* Siquidem deficiente solo A, deficeret aliud insuper ab ipso A adæquate distinctum, nimirum actus ipse, qui deficit deficiente A.

101 Multa vtilia valde consectaria possent ex hac proposit. inferri, quæ tamen commodiùs inferentur *infrà disp. 9. q. 5. prop. 19.* in qua hæc continentur. Quod enim in hac circa actum speciatim statuitur, circa quamuis omnino essentiam vniuersalissime est verum, vt ibi videbimus, & ex demonstratione facta satis perspicuum est. Quare ea pro potentia, & impotentia, & necessitate, & indifferentia subiecti ad actum, aliisque huius quæstionis tesminis facta estò.

## *Propositio 30.*

102 Quoties deficit constitutiuum intrinsecum actus, cuiuluisve essentiæ vniuerse, necesse omnino est actum, siue essentiam deficere.

Hæc propositio veluti conuersa est præcedentis; ad materiamque potius spectat disputationis sequentis; oportuit tamen modo eam per modum lemmatis pro aliquibus, quæ sequuntur, assumere. Demonstratur autem apertè; quia essentia quæuis ab aggregato omnium eorum, ex quibus intrinsecè constituitur, distincta non est; constat autem non posse non aggregatum deficere, cuius aliqua pars deficit intrinsecè constitutiua eius iuxta iterum dicenda *ibi q. 5.*

## *Propositio 31.*

Positio cuiusuis ex extremis contradictionis alterius est formalis defectus, & è conuerso cuiusuis defectus alterius est formalis positio. 103

Hoc etiam principium apud omnes certissimum per modum lemmatis assumo ad demonstranda, quæ sequentur. De quo *disp. 9. q. 5.* iterum vt in proprio loco erit sermo. Dicuntur autem extrema contradictionis, seu contradictoria negatio obiectiua, & id, quod per eam negatur.

## *Propositio 32.*

Indifferentia proxima subiecti ad actum per defectum vnius dumtaxat ex duabus potentiis proximis, in quibus consistit, potest deficere; non item per defectum ambarum. 104

Quia subiectum ambabus dictis potentiis carere non potest; sed altera necessario debet ei conuenire, iuxta *proposit. 18.*

## *Propositio 33.*

Contradictorium eius, ad cuius solius positionem deficit indifferentia proxima subiecti ad actum, intrinsecum constitutiuum talis indifferentiæ est. 105

Quia indifferentiam proximam deficere ad illius solius positionem, & deficere ad defectum solius contradictorij eius, idé omnino est, cum idem prorsus sit ipsum poni, & eius contradictorium deficere, iuxta *proposit. 31.* Sed id, ad cuius solius defectum deficit indifferentia proxima, intrinsecum constitutiuum est eius, iuxta *proposit. 29.* Ergo contradictorium eius ad cuius solius positionem deficit indifferentia proxima dicta, intrinsecum constitutiuum talis indifferentiæ est.

Ex hac propositione inferemus *suo loco.* Contradictorium eius, ad cuius solius positionem deficit libertas voluntatis ad aliquem actum, intrinsecum constitutiuum esse talis libertatis, quippe libertas voluntatis ad aliquem actum nihil est aliud ab indifferentia proxima eius ad talem actum, iuxta dicenda *ibidem.* 106

## *Propositio 34.*

Contradictorium potentiæ proximæ subiecti ad vnum ex duobus actibus contradictoriis, intrinsecum constitutiuum est necessitatis subiecti ad alterum. 107

Quia id, ad cuius solius defectum deficit talis necessitas, intrinsecum constitutiuum est eius, iuxta *proposit. 29.* Sed ad defectum solius dicti contradictorij deficit talis necessitas, siquidem deficit ad positionem solius potentiæ, cuius est illud cõtradictorium, cùm sit impossibile subiectum esse potens ad vnum ex duobus actibus contradictoriis, & simul necessitatum ad alterum, iuxta *proposit. 28.* Idemque prorsus sint positio solius dictæ potentiæ, & defectus solius contradictorij eius, iuxta *propos. 31.* Igitur contradictorium potentiæ proximæ subiecti ad vnum ex duobus actibus contradictoriis intrinsecum constitutiuum est necessitatis subiecti ad alterum. Quod erat ostendendum.

Ex

108 Ex hac propositione infertur potentiam subiecti ad vnum ex duobus actibus contradictoriis, & necessitatem subiecti ad alterum per duo extrema contradictoria constitui intrinsece; atque ita ratione illorum contradictorie opponi. Quo eodem iure contradictorie etiam opponitur necessitas subiecti ad vnum ex duobus actibus contradictoriis, & indifferentia subiecti ad alterum; siquidem necessitas ad vnum ratione potentiæ ad alterum constitutiuæ indifferentiæ ad vtrumque opponitur ipsi indifferentiæ. Quo rursus fit, vt necessitas ad vnum ex actibus contradictoriis, & indifferentia ad eumdem contradictorie itidem opponatur.

109 Vnde etiam inferam *suo loco*, libertatem voluntatis ad aliquem actum consistentem in indifferentia proxima ad illum, & necessitatem voluntatis ad eumdem actum, aut ad eius contradictorium contradictorie opponi.

110 Plures aliæ propositiones ex hisce demonstrandæ, ex terminisque huius disputationis componendæ possent istis attexi. Sed nec vacat, nec opus est plures modo contingere; id alij ad harum normam præstare poterunt. Nósque in sequentibus disputationibus nonnullas alias exhibebimus ad istos etiam terminos, simul & alios spectantes.

## QVÆSTIO V.

### *Quænam sint requisita intrinsece ad conceptum actus primi, siue potentiæ proximæ?*

111 QVia multum ad multa intelligenda interest probe habere perspectum, quænam intrinsece constituant essentiam potentiæ, de intrinseco constitutiuo eius oportet speciatim *in hac q.* quædã statuere. Et quoniam nulla est potentia remota comparatione alicuius actus, quæ non sit proxima respectu alterius, vt vidimus *q. 4. prop. 5.* sat fuerit de potentia proxima agere, vt simul veniat intelligẽdum, quid sit dicendum de remota: præsertim cum sola proxima sit, quæ simpliciter, & absolute loquendo nomen potentiæ promeretur. Siquidem id solum dicitur vnumquodq; simpliciter, & absolute posse, ad quod potentiam proximam habet: id enim, ad quod habet tantum remotam, dumtaxat potest ex hypothesi, quod accedant cætera, quæ desiderantur ad proximam.

112 Suppono ergo primò, vix esse vllam potentiã proximam, qui sit actus primus reipsa formalis, id est, se habens à parte rei (sicut concipitur à nobis) vt exercitium quoddã subiecti circa terminum distinctum ab vtroque realiter iuxta diuisionem actus physici, & metaphysici, quam posuimus primo loco *q. 3.* quia vix est vlla potentia proxima, quæ partim saltẽ non sit identificata realiter cum subiecto, quod denominat potens. Omnes itaque, aut fere omnes potentiæ proximæ, actus primi metaphysici sunt.

113 Suppono secundò. Etsi nonnullæ potentiæ proximæ sint actus primi metaphysici intrinseci id est, re ipsa identificatæ adæquate cum subiecto, quod denominant potens; pleraſque tamen esse actus primos metaphysicos semiextrinsecos, id est, partim cum subiecto potente, partim cum aliis fundamentis distinctis ab illo identificatos realiter, iuxta diuisionem etiam traditam *ibi* actus metaphysici in intrinsecum, & semiextrinsecum. Prioris generis est potentia proxima, quam habet Deus ad cognoscendum & amandum, quæ à parte rei adæquate est identificata cum ipso, & aliæ huiusmodi. Posterioris autem, quam habet quæuis causa creata ad causandum, quæ præter entitatem causæ, accidentia, conditiones, & alia iuuamina ex parte talis entitatis requisita ad causandum inuoluit in suo conceptu reali. Aliæque similes.

Suppono tertiò. Quæstionem præsentem non es- 114
se de conceptu formali, sed de conceptu reali potentiæ proximæ. De conceptu enim formali constat ex dictis *q. 2. & 3.* esse eum actum quemdam primum, quo veluti exercitio quodam interposito, subiectum potens circa actum secundum, vt circa terminum, dum ipsum dicitur posse, exerceri concipitur. De conceptu verò reali, quem sub huiusmodi formali prætendit intelligere, & vere intelligit intellectus noster; éstque re ipsa, vel aliqua realis entitas, vel aliqua realis formalitas, vel aggregatum plurium entitatum, vel plurium formalitatum, etiam *loco citato* explicuimus. Quærimus per quid constituatur intrinsece, quænámve ad eius constitutionem intrinsece requisita sint.

Vnde suppono quartò bifariam posse esse aliquid 115
requisitum ad conceptum realem potentiæ proximæ: primò extrinsece, vt terminus connexionis eius, aut alicuius in eo inclusi. Secundò intrinsece, vt quid intrinsece componens, constituénsque eius essentiam.

Suppono quintò. Quoties potentia proxima ad 116
actum secundum est actus primus metaphysicus semiextrinsecus, pluresque subinde entitates, aut plurium entitatum formalitates inuoluit in suo conceptu reali, talem conceptum non dicere eas omnes ex æquo, & directe, sed aliquam, aut aliquas directe, siue in recto, & cæteras oblique, siue in obliquo, vt vniuersim etiam notauimus *loco supra citato*. Quæ autem oblique dicuntur in tali conceptu, non ob id desinunt ad illum pertinere intrinsece tanquã quædam constitutiua essentiæ eius. Ea quippe est talis conceptus essentia dicere aliquid, aut aliqua tantum in recto, & cætera in obliquo. Quo iure essentia per accidens, ensque per accidens appellatur, vt pluribus dicemus *infra disp. 9. q. 2.* His positis sit.

### *Propositio 1.*

Id, quo præcise deficiente, & cæteris omnibus per 117
possibile, aut impossibile permanentibus, subiectum non est absolute, & simpliciter, atque adeo proxime potens actum, ad potentiam proximam talis subiecti ad talem actum intrinsece requisitum est.

Hæc propositio ex *proposit. 29. q. 4.* demonstranda facile venit: quia id, ex cuius præciso defectu deficit quiuis actus, vel est ipse actus, vel pars eius, vt ibi demonstratum est. Ergo id, ex cuius præciso defectu deficit potentia proxima subiecti ad actum (quæ quidam actus primus est) aut est ipsa potentia proxima, aut pars eius. Ergo est, quid intrinsece requisitum ad talem potentiam. Vtraque consequentia est euidens. Pergo. Sed deficere potentiam proximam subiecti ad actum, & subiectum non esse proxime potens actum, idem omnino est, vt constat. Ergo id, ex cuius præciso defectu, seu quo præcise deficiente (cæteris omnibus per possibile, aut impossibile permanentibus) subiectum non est proxime potens actum, ad potentiam proximam talis subiecti ad talem actum intrinsece requisitum est. Quod erat demonstrandum.

## *Propositio 2.*

118 Nulla potentia proxima includit in suo conceptu prout existentem, siue exercitum actum, cuius potentia proxima est. Nullusque subinde actus inquantum existens, siue exercitus ad conceptum suæ potentiæ est intrinsecè requisitus.

Si sermo in hac propositione sit de conceptibus, prout talibus potentiæ proximæ, & actus eius ex dictis *q. 2. & 3.* manifesta est. Cum enim, vt *ibi* monstrauimus, omnis actus, prout à nobis concipitur, sit exercitium quoddam alicuius subiecti circa aliquem terminũ, proindeque suopte conceptu tum à subiecto, tũ à termino adæquatè distinctus sit. Aliundéque omnis actus primus, siue potẽtia pro termino habeat actum secundũ correspondentem sibi prout exercitum, quia ad illum prout sic potentia est. Consequitur plane omnem potentiam ex suo conceptu formali adæquatè distinctam esse à suo actu prout exercito; atque adeo nullam potentiam proximam includere in suo conceptu formali actum suum prout exercitum. Quod confirmari potest primò; quia vel experientia ipsa videtur satis, superque notum, potentiam proximam, & actum, vt duo quædam distincta adæquatè ex parte obiecti nobis repræsentari. Secundò, quia nulla est potentia proxima, quam non possimus affirmare aut iudicare de suo subiecto præcisè, quin tali affirmatione, aut iudicio affirmemus, aut iudicemus ipsius actum, vt etiam constat experientia: ergo nulla est potentia proxima, quæ in suo conceptu formali claudat suum actum.

119 Cæterum in propositione non solum de conceptibus formalibus, sed etiam de realibus, siue fundamentalibus potentiæ, & actus sermo est. Dicimus itaque nullam potentiam proximam in vllo suo conceptu, aut formali, aut reali, siue fundamentali includere suum actum prout existentem, seu exercitum, Quod quidem ex terminorum apprehensione videtur omnibus satis notum omnes quippe, veluti quodam naturæ instinctu, semel termini apprehensis, sentire videmur, actum, & potentiam duo quæpiam esse ad inuicem adæquatè distincta, & se excludentia in ratione obiectorum. Et sane eo ipso quod omnis potentia proxima ita sit ex suo conceptu formali à suo actu prout exercito adæquatè distincta, vt per iudicium nostrum, per vocesque illi respondentes seorsim possit de subiecto affirmari, quin eius actus affirmetur; non possunt non quæuis potentia proxima, & eius actus, vt minimum esse duæ formalitates mutuo inter se distinctæ adæquatè, qua ratione formalitates distinguuntur inter se vt est notum. Quod satis est, vt conceptus obiectiui potentiæ proximæ, & actus non solum formales, sed etiam reales, siue fundamentales mutuo se excludant in ratione obiectorum, tametsi reipsa sint identificati; vt sæpe sunt, quando actus est metaphysicus, præsertim intrinsecus. Cum enim conceptus actus, quem vocamus realem, siue fundamentalem, vt condistinctum à formali, sæpe constat in vna, vel pluribus formalitatibus realibus, prout ab aliis, cum quibus sunt idem, præcisis; quà ratione *q. 3. diuis.* 1. statuimus, vt potentia à suo conceptu reali dicatur excludere actum, satis est, quòd excludat illum, vt vna realis formalitas à se excludit aliam, nimirum per rationem nostram, siue exclusione metaphysica. Neque amplius in præsenti propos. loquendo vniuersim intendimus.

120 Addendum tamen est, loquendo speciatim, tanquam prorsus indubitabile, quando potentia proxima est libera, aut actus alio quoquo modo est ipsi contingens realiter, non posse non conceptum realem eius excludere actum prout exercitum reali exclusione; quandoquidem talis conceptus realiter sine actu potest existere. Quin etiam quoties actus est physicus quantumuis ille necessarius, annexúsque potentiæ sit, physicè etiam citra dubium existit extra conceptum realem eius: quia, quod actus metaphysicus metaphysicè, id est, per nostram rationem habet, id habet haud dubiè actus physicus, quicumque ille sit, physicè, seu à parte rei; nimirum extra conceptum realem suæ potentiæ proximæ existere vt terminus, aliunde iam adæquate constitutus, per illam respectus.

121 Ex quibus vniuersaliter colligo omnem actum metaphysicum siue primum, siue secundum extra conceptum formalem, atque etiam realem, siue fundamentalem esse tum subiecti, cuius est actus, tum termini, circa quem versatur: quia omnis actus metaphysicus & concipitur vt exercitium subiecti, circa terminum distinctum ab vtroque adæquatè, & saltem est vna, vel plures formalitates reales à formalitate subiecti, & à formalitate termini distinctæ adæquatè, vt minimum per rationem nostram, seu metaphysicè, quod ad rẽ sufficit iuxta dicta. Quemadmodum omnis actus secundus physicus, & si quis est primus huius generis, extra formalem, realemque conceptum est, tum subiecti, cuius est actus, tum termini, circa quem versatur: quia & concipitur, & est reipsa exercitium subiecti circa terminum distinctum ab vtroque adæquatè.

122 Obiici tamen contra propositionem potest. Sæpe tribuitur subiecto potentia proxima ad actum, ex suppositione ipsius actus: ergo non semper existit actus extra conceptum suæ potentiæ. Consequentia est bona: quia id, ex cuius suppositione datur potentia proxima, nequit non ad conceptum realem eius intrinsecè requisitum esse. Antecedens autem probatur: quia Petrus e. g. non solum est proximè potens ad existendum, ad iudicandum, ad coëxistendum alteri enti ad se illi vniendum &c. cum præcisione ab istis actibus, sed etiam ex eorum suppositione; Imo potentia, quam ad eiusmodi actus ex eorum suppositione habet, necessitas ad ipsos est ex suppositione cum ipsis cõnexa essentialiter, qualis non est potentia, quam ad eosdem præscindentem ab ipsis habet: Quod argumento etiam est potentiam ad actum ex actus suppositione oriundam ipsum in suo conceptu reali includere; siquidem aliunde, quam à tali inclusione non potest tali potentiæ prouenire connexio essentialis cum actu, quando cætera, ex quibus illa coalescit, omnino ab ipso actu sunt absoluta, vt euenit quando actus est liber.

123 Respondeo potentiam, quæ vnicuique subiecto ex suppositione alicuius actus ad eumdem actum videtur attribui, re verâ non esse ad eumdem, sed ad distinctum metaphysicè. Actus enim, in cuius suppositione fundatur, & actus, ad quem terminatur potentia, quam subiecto attribuimus, semper sunt formalitates distinctæ, & mutuo se excludentes ratione nostrâ: quippe qui eo, quem pro statu præsenti habemus, modo intelligẽdi in præscindendis formalitatibus potentiarum, & actuum eiusdem, vel eorumdem entium in infinitum progredi possumus cum fundamentõ sufficiente in entibus ipsis, vt pluribus exponemus infra suo loco. Itaque actus existendi, ad quem concipitur Petrus primo potens existere, & actus existendi, ad quem

quem ex illius suppositione rursus potens existere concipitur, distincti adæquatè sunt per rationem nostram, ita tamen vt secundus ex primo necessario sequutus, ipsive annexus concipiatur cum fundamento in re. Similiter actus iudicandi, ad quem primò Petrus proximè potens apprehenditur, & actus iudicandi, ad quem ex illius suppositione iterum concipitur potens, distincti adæquate sunt metaphysicè, quasi accrescente secundo primo per nostram rationem, vt necessaria passione eius, &c. Quemadmodum dum de existentia ipsa actuali, vt de subiecto affirmamus existere; de vnione vniri, de iudicio iudicare obiectum, &c. actus talibus subiectis attributi, ab eis distincti, eisque superadditi concipiuntur, vt necessariæ eorum, ac metaphysicæ passiones in ipsorum subiectorum essentiis fundatæ. Cum sit necesse existere in rerum natura id, per quod aliud redditur existens in rerum natura; vniri extremo id, per quod aliud vnitur eidem extremo; iudicare obiectum id, per quod redditur aliud iudicans obiectum ipsum, &c. Ex quibus patet nullam potentiam proximam suum proprium actum vt exercitum includere in conceptu suo, atque adeo nullum actum, vt exercitum ad suam proximam potentiam intrinsecè requisitum esse. Loquutus autem semper sum de actu prout exercito, aut existente, quia censeo actum prout possibilem, seu potius possibilitatem eius in conceptu potentiæ proximæ, cuius ille est actus, includi vt vnum ex necessariis constitutiuis eius, vt probabo *prop. 6.* Porro plures actus vt existentes ad suas proximas potentias extrinsecè requisitas esse, quatenus plures potentiæ proximæ cum suis actibus prout existentibus connexæ sunt, indubitatum prorsus est.

## *Propositio 3.*

124 Quæcumque ex parte subiecti ad exercendum actum sunt requisita, intrinsecè requisita sunt, vt illud proximè potens ad actum reddatur; secus, quæ ex parte subiecti ad exercitiū actus non requirūtur.

Vtraque pars propositionis est certa. Prima autem ostenditur. Quia deficiente aliquo ex parte subiecti requisito ad exercitium actus, nequit intelligi subiectum absolutè, & simpliciter, atque adeo proximè potens ad exercendum actum; siquidem ad exercitium actus id dicitur ex parte subiecti requiri, quod per modum conditionis, vel comprincipij, seu consubiecti, vel aliter complet facultatem eius, aut quoquo modo expeditam reddit ad tale exercitium. Et satis constat, quousque facultas subiecti ad actum completa est, & expedita, neutiquam posse illud intelligi proximè potens actum ipsum. Sed id, quo præcisè deficiente, subiectum non est proximè potens actum ad potentiam proximam talis subiecti, ad talem actum intrinsecè requisitum est, iuxta *propos.* 1. Ergo.

125 Secunda autem pars inde constat, quia semel completa, & expedita facultate subiecti per ea omnia, quæ ex parte eius ad exercitium actus sunt requisita (quæcumque demum alia desint) nihil desideratur, quominus sit subiectum proximè potens ipsum actum; siquidem esse illud proximè potens actum, & habere iam illud omnia, quæ ex parte sui requiruntur ad exercendum actum, in idem recidit, vt satis ex se est notum.

## *Propositio 4.*

126 Quoties plura subiecta ad eumdem actum concurrunt, nequit vnum ad talem actum potentiam proximam habere, quin reliqua simul ad eundem habeant potentiam proximam.

E. g. cùm plures causæ physicæ concurrunt ad eamdem actionem, vt concurrunt Deus, & creatura; habitus charitatis, & voluntas; species impressa, & intellectus; quodlibet agens in passò, & passum ipsum, aliæque huiusmodi, necessariò debent omnes simul potentes proximè esse ad illam. Ratio est conspicua, quia nulla eiusmodi causarum potest se sola talem actum elicere, hoc ipso, quod ille indiuisim est actus omnium, vt est notum: ergo quousq; omnes possint proximè, nulla proximè potest. Confirmatur primò: quia nulla talium causarū, deficientibus reliquis, est proximè potens elicere actum, vt constat. Ergo neque erit eis non habentibus pariter potentiam proximam ad ipsum: deficiente enim potentia proxima earum, perinde se habent ac si non existerent in ordine ad exercitium actus; siquidem hoc non minus cum eorum potentia proxima, quam cum earum existentia connexū est, iuxta *prop. 3. q. 4.* Confirmatur secundò. Quia actus non est possibilis proximè, donec omnes causæ physicæ, atq; adeo essentiales eius proximè sint potentes illum elicere, vt patet: aliàs si ante potentiam proximam alicuius, proximè esset actus possibilis, talis etiā esset ante potentiam proximam omnium, quod constat falsum esse: quia non est maior ratio vnius, quam aliarum, cùm æquè depēdeat ab omnibus. Ergo neq; aliqua talium causarum est proximè potens ad talem actum, donec sint reliquæ. Potentia enim proxima causæ, & possibilitas proxima actus vicissim referuntur. Cōfirmatur tertiò, quia omnes prædictæ causæ cum suis requisitis componunt adæquatam virtutem, à qua immediatè procedit actus. Ergo potentia proxima cuiuslibet adeo ad potentiam proximam reliquarum requiritur, vt omnes vicissim se se includāt in conceptu reali vnius potentiæ proximæ totalis, à qua singulæ denominantur potentes proximè talem actū. Confirmatur quartò: quia approximatio agentis ad passum intrinsecè est requisita ad potentiam proximam agentis, vt iure apud omnes est in confesso; siquidē, deficiente approximatione, agens absolute, & simpliciter non est potens agere in passo: ergo multò magis erit ad illam intrinsecè requisitum passum ipsum, propter quod agens approximationem exposcit. Sed non passum nudum, qua ratione nequit iuuare agens: ergo vestitum omnibus requisitis, vt proximè dicatur potens ad illud iuuādum. Et quidem, si quæuis conditio ex parte causæ requisita ad causandum ad potentiam proximam causæ spectat intrinsecè, vt apud omnes est certum, & ex doctrina generali *prop. 3.* cōstat, quanto magis concausa physica ad eamdem potentiam proximam spectabit intrinsecè, cuius iuuamine non minus, imo magis indiget causa, quam iuuamine conditionis; siquidem hoc à Deo sæpe potest miraculosè suppleri, illud verò non item?

Porrò, quæ de pluribus causis physicis, e.g. dicta 127
sunt, pariter de pluribus quibusque aliis subiectis ad eundem actum concurrentibus venit intelligendum. Ex quibus liquet, quoties plura subiecta ad eumdem actum concurrunt in conceptu reali potentiæ proximæ cuiuslibet reliqua omnia cum suis potentiis proximis claudi.

## *Propositio 5.*

Vnum ex requisitis intrinsecè ad conceptum rea- 128
lem cuiusuis potentiæ proximæ actus, ipsius actus possibilitas est; siue sit, siue non sit subiectum actus cum tali possibilitate connexum.

E. g. Potentia proxima causæ ad producendum effectum, possibilitatem talis productionis includit in suo conceptu reali, siue cum tali possibilitate sit essentialiter connexa entitas causæ, siue secus. Et quidem casu quod talis connexio desit, vt iuxta plerosque in causa prima, & iuxta plures etiam in secunda, in aliisque huiusmodi subiectis actuum deest, propositio mihi certa est, quidquid in oppositum sentiat Ouied. *controuers. 7. Physic. punct. 2.* Nam sublata possibilitate sola causationis effectus, nullatenus potest causa intelligi proxime potens causare illum absolutè, & simpliciter, vt est notissimum: quia ad impossibile non datur potentia absoluta, & proxima, vt constat. Sed id, quo solo sublato, subiectum non est proxime potens actum, ad potentiam proximam talis subiecti ad talem actum intrinsecè requisitum est, iuxta *propos. 1.* Ergo possibilitas causationis effectus intrinsece requisita est ad potentiam proximam causæ. Vel aliter. Vt causa euadat absolute, & proxime potens causare effectum citra controuersiam indiget aliquo modo possibilitate talis causationis; sed non indiget illa tanquam termino extrinseco connexionis, vt ponimus. Ergo indiget illa tanquam constitutiuo intrinseco. Quia quoties quæuis essentia indiget aliquo ad existendum; & non vt termino extrinseco alicuius connexionis, quam cum eo habeat, non potest indigere illo vt constitutiuo intrinseco sui, vt vniuerse demonstratur *infrà disput. 9. quæst. 5. propos. 3.*

129 Confirmatur primò. Quia si deficeret possibilitas alicuius creaturæ, Deus non esset proxime potens illam causare; sicut modo non est proxime potens causare chymæram; & tamen nihil in tali casu de intrinseca virtute diuinæ omnipotentiæ deficeret, iuxta sententiam, in qua procedimus. Similiter, si chymæra aliqua redderetur possibilis, confestim, absque accremento virtutis intrinsecæ, esset Deus iuxta eamdem sententiam æque potens illam causare, ac potens est causare modo quamuis creaturam. Ergo præcisus defectus possibilitatis creaturæ facit vt in Deo non sit potentia proxima ad eam causandam, præcisaque talis possibilitatis positio facit vt sit. Quod est eiusmodi possibilitatem ad talem proximam potentiam intrinsecè requisitam esse, iuxta doctrinam suprà statutam *propos. 1. citata.* Iam, quod Deus modo neutiquam habeat potentiam proximam simpliciter & absolutè talem, de qua tractamus, ad causandam chymæram (quidquid sit de potentia, quasi conditionata, quam ab aliquibus habere dicitur ad eam causandam casu, quòd possibilis esset) subindéque neque eam haberet ad causandam creaturam redditam impossibilem, indubitabile prorsus est; alioquin plenam libertatem haberet Deus modo ad decernendam absolute, & efficaciter existentiam chymæræ, ipsique esset imputabile, quod non decerneret de facto. Quod est ridiculum.

130 Confirmatur secundò: quia communi existimatione sicut denominatio visi includit visionem actualem, ita denominatio visibilis includit visionem possibilem: eo videlicet, quòd obiectum visum neque connectitur per suam essentiam cum possibilitate visionis; nec sine possibilitate visionis potest visibile esse, seu potens videri absolute. Ergo casu, quòd causa, aut quoduis omnino subiectum cum possibilitate sui actus connexum non sit, non potest non in eius potentia ad talem actum talis possibilitas claudi.

131 Hinc pergo ad probandam positionem, etiam pro casu, quod entitas causæ, alteriúsve cuiusvis subiecti cum possibilitate sui actus connexa sit contra eumdem Ouied. *suprà*, necnon Pet. Hurt. & Arriaga sentientes pro tali casu oppositum. Illum *disp. 8. physic. sect. 2. subsect. 2.* hunc. *disp. 7. Phys. sect. 2. subsect. 2.* Probo autem primò: quia licet entitas causæ connexa sit cum possibilitate effectus, semper manet per locum intrinsecum verum, deficiēte sola possibilitate effectus, & persistente nihilominus per impossibile entitate causæ, non fore illam potentem proxime illum causare. Quod sufficit, vt possibilitas effectus, seu causationis eius ad potentiam proximam causæ intrinsecè, & necessario pertinere dicatur, iuxtà doctrinam eamdem *prop. 1.* Quomodo autem ex hypothesi impossibili non sequatur per locum intrinsecum vtrumque cuiusuis contradictionis extremum, vtiliterq; subinde ex illa sæpe arguatur, (vti nos in præsenti) ad rerum essentias perscrutandas, ex dicendis *disp. 11.* compertum fiet. Secundò probo: quia quoties aliqua denominatio ex genere suo est semiextrinseca includens scilicet in suo conceptu reali aliquid subiecto denominato extrinsecum, non definit talis esse, neque illud includere; tametsi in aliquo casu subiectum cum tali extrinseco connexum sit, vt patet in denominatione dissimilis, qua denominatur creatura dissimilis Deo, nec minus in suo conceptu reali includit ipsum Deum, quam si creatura cum illo connexa non esset. Sed denominatio potentis proxime actum semiextrinseca subiecto est, actúsque possibilitatem includit in suo conceptu reali, quando cum tali possibilitate subiectum connexum non est, vt paulo antea probauimus. Ergo tantumdem est dicendum, etiam si ponatur connexum, vt modo contendimus.

Deniq; probari potest propositio vniersè: quia 132
quoties duo subiecta per eūdem actum exercentur, potentia proxima vnius subiecti ad talem actum nequit constare sine potentia proxima alterius, imo illam ambibit in se, vt *propos. 4.* probatum est. Sed causa, & effectus exercentur per eundem actū, quo causa causat, & effectus causatur: ergo causa nequit esse proxime potens causare effectum, quin effectus proxime possit causari à causa; tum potentia proxima causæ claudit potentiā proximam effectus, & vice versa. Ast possibilitas effectus ad potentiam proximam eius intrinsece pertinet: quia posse causari cadit supra possibile. Ergo possibilitas effectus intrinsece etiam pertinet ad potentiam proximam causæ. Idemq; argumentum effici potest circa possibilitatem ipsius causationis, quia causa ob eamdem rationem nequit exercere causationem effectus; donec causatio à causa exerceri possit; causatio autem exerceri nequit à causa, donec possibilis sit, vt constat. Quod autem de potentia causæ ad causationem dictum est, pariter habet locum in reliquis omnibus potentiis respectu suorum actuum.

Dices. Causatio effectus actualis absque potentia 133
proxima causæ actualiter existente cōsistere nequit. Ergo potentia proxima causæ per possibilitatē causationis, quæ non est quid actu existens, nequit constitui: repugnat enim actu existere aliquod totum, cuius omnia constitutiua non sunt actu existentia. Respondeo, vt potentia proxima causæ, quæ denominatio quædam est semiextrinseca, dicatur actu existere, sat esse, quod existat actu id, quod conceptus eius realis dicit in recto, quin opus sit, quod existant omnia, quæ dicit in obliquo, è quorum numero est possibilitas causationis. Quod aliis huiusmodi denominationibus commune est, vt *infrà suo loco* videbimus. Neque est

necesse

necesse, vt omnia, quæ quoquo modo iuuant causam physicam ad exercitium causationis, aut quoduis aliud subiectum ad exercitium actus, intrinsecè que subinde pertinent ad potentiam proximam eius, actu existentia sint absolutè, dum actus absolutè existit. Sunt enim aliqua, quæ citra absolutam existentiam è suo statu iuuare possunt, aut per modum causæ intentionalis; quo pacto iuuant finis, & alia obiecta; aut per modum conditionis; quo pacto iuuant possibilitas actus, negatio impedimenti ad ipsum, quæ nihil est existens; & alia huiusmodi. De quo plura *suo loco*.

134 Ex dictis infero primò, omnipotentiam diuinam prout existentem intrinsecè requisitam esse ad potentiam proximam cuiusuis actus; tum quia nequit non esse ea vnum ex subiectis ad eum concurrentibus; tum quia in possibilitate proxima eius intrinsecè clauditur, vt *suo loco* exponemus. Secundò infero non solam possibilitatem actus remotam, sed etiam proximam, quæ præter omnipotentiam includit in suo conceptu decretum Dei de existentia actus, in huius potentia proxima intrinsecè claudi: quia subiectum nequit esse potens proximè actum, donec actus proximè possibilis sit. Tertiò infero ad potentiam proximam actus prout exercendi in aliquo temporis instanti determinato, insuper requiri possibilitatem proximam durationis actus pro tali instanti; quæ mea quidem sententia, donec ipsum instans accedat, non adest: quia consistit in existentia sine contradictione conditionata talis durationis, quæ sicut & existentia ipsius durationis absoluta tali instanti per essentiam affixa est, vt vberius est explicandum, ac probandum *suo loco*.

## *Propositio 6.*

135 Ex eo quod aliquid sit requisitum ex parte actus, vt terminus conuexionis eius, non sit esse illud requisitum intrinsecè ad potentiam proximam actus. Vnde hæc plenè constituta, & existens potest intelligi independenter ab existentia eiusmodi termini.

Hæc propositio potissimum fundamentum est totius doctrinæ de libertate à nobis exhibendæ *infrà suo loco*. Quocirca veritas eius sedulo est animaduertenda, & diligenter obseruanda. Probatur autem primò. Quia effectus per actionem productus essentialiter est requisitus ex parte actionis vt terminus connexionis eius, siquidem actio sine effectu per eam producto nullatenus potest existere, vt apud omnes in confesso, & satis ex se euidens est; & tamen certissimum etiam est apud omnes, effectum per actionem productum ad potentiam proximam, qua causa talem actionem potest elicere, intrinsecè non pertinere. Alioquin nullus effectus esset ab aliqua causa liberè producibilis: quia in nulla causa potentia proxima ad producendum effectum esset compatibilis cum carentia effectus, prout ad eius libertatem requiritur. Tum effectus simul esset prior, & posterior natura sua productione, & se ipso secundum idem esse physicum, & in eadem serie originis. Quæ sunt absurda. Igitur terminus connexionis actus requisitus ad existentiam eius, non eo ipso est requisitus intrinsecè ad potentiam proximam actus.

136 Secundò nihil magis est requisitum ad existentiam cuiusuis actus, quam ipsemet: cum prorsus repugnet actum existere sine se ipso. Et tamen nullus actus ad suam potentiam proximam intrinsecè spectat; actumque liberum speciatim extrà conceptum eius esse, certò certius est, vt statuimus *propos.* 2. Ergo titulo requisiti ad existentiam actus præcise nihil est, quod ad potentiam proximam eius intrinsecè pertineat.

Tertiò. Ponamus causam proximè liberam ad duos actus vicissim inter se connexos. Quod citra dubium est possibile. Compertum est alterum eorum actuum ad potentiam proximam alterius intrinsecè non pertinere. Alioquin causa ad neutrum maneret libera contra suppositionem: quia potentia proxima ad alterutrum connexa esset cum illo essentialiter ratione alterius, quo constitueretur intrinsecè. Tum si alteruter eorum actuum includeretur in potentia proxima alterius, sequeretur primo eos mutuo se ipsos causare secundum existentiam physicam in eodem genere causæ. Quod constat impossibile esse. Secundo sequeretur potentiam proximam ad coniunctum vtriusque actus ipsum coniunctum claudere in suo conceptu, quod etiam repugnat: quia omnis potentia præsertim libera adæquate debet esse distincta ab actu, cuius est potentia, vt dicebamus nuper. Tertiò sequeretur coniunctum vtriusque actus non fore possibile proximè donec existeret: quia neuter eorum ante existentiam alterius proximè possibilis esset. Quod etiam est absurdum. Simile argumentum conficies, si ponas actum liberum vnius causæ cum actu libero alterius connecti mutuo, aut saltem non mutuo, provt sæpe euenit de facto, vt cernere est in prædefinitione Dei libera de actu humano, in actu fidei libero de eodem, in aliisque huiusmodi. 137

Quartò. Si requisitum ad existentiam actus eo ipso pertineret intrinsecè ad potentiam proximam eius; contradictorium actus oppositi pariter pertineret: quia ad existentiam actus non minus est requisitum contradictorium actus oppositi, quam est quilibet alius terminus connexionis eius, vt constat (quidquid sit contradictorium actus oppositi, iuxta diuersas sententias de negationibus *disp. 9. q. 3.* exhibendas.) Hinc autem plane fieret, vt tolleretur è medio omnis libertas contrarietatis tam à diuina, quam à creata voluntate: quia nulla voluntas posset esse proximè libera ad eliciendam volitionem, vel nolitionem oppositam pro arbitrio suo. Quod est absurdum. Probo conspicue: quia potentia proxima ad volitionem, & potentia proxima ad nolitionem, in quibus consistit ea libertas, absque negatione nolitionis, quâ constitueretur prima, & absque negatione volitionis, quâ constitueretur secunda, consistere non possent, vt constat. Quo fieret, vt dum voluntas eliceret volitionem, non posset non defectu negationis huius carere potentia proxima ad nolitionē, & vice versa, dum eliceret nolitionem, non posset non carere pariter potentia proxima ad volitionem. Nunquamque subinde eliceret volitionem potens elicere nolitionem, vel è conuerso. Quod est in nullo euentu fore illam proximè liberam ad eligendam pro arbitratu volitionem, vel nolitionem. Clarius. Potestas, siue libertas proxima ad eligendum inter volitionem, & nolitionem absque omissione, seu negatione amborum actuum simul in voluntate existente constare non posset, iuxta dicta: ergo casu, quòd voluntas alterutrum eorum eliceret, tali libertate careret; & consequenter etiam casu, quòd omitteret ambos: quia eo etiam casu non haberet potentiam proximam ad vtrumuis compatibilem cum vtrouis, qualis debet esse libertas ad eligendum inter illos, vt est notissimum. 138

139 Vlterius. Si ad potentiam proximam actus intrinsecè esset requisita negatio actus oppositi, alia insuper non minora sequerentur absurda. Primum. Dum Deus elicit volitionem, nullatenus esse ipsi liberam negationē nolitionis oppositæ, nequit enim esse ipsi libera libertate mediata, scilicet media volitione, quam elicit; siquidem hanc naturæ prioritate præcedit, vtpote pertinens intrinsecè ad potentiam proximam eius. Sed neque libertate immediata, siquidem ad nolitionem, cuius ea est negatio, Deus in eo casu potentiam proximam non habet defectu negationis volitionis intrinsece requisitæ ad talem potentiam; subindeque ad impediendam illam per ipsam nolitionem impotens est. Si dicatur posse Deum liberè omittere volitionem, quam elicit, sicque per eius omissionem constituere potentiam proximam ad nolitionem, quæ sibi deerat; alia inde absurda proueniunt. Vel enim omittit purè volitionem, non elicita nolitione contraria, vel, hac elicita, non purè. Si hoc secundum: ergo omittit liberè volitionem sine libertate ad eam omittendam, qua nequit non in tali casu carere defectu negationis nolitionis ad illam intrinsece requisitæ. Si autem dicatur primum. Ergo Deus liberè simul, & non liberè omittit purè vtrumque actum. Liberè: quia ponitur, omissionem volitionis liberam esse, per eamque reddi etiam liberam omissionem nolitionis oppositæ. Non liberè verò, quia repugnat liberè nasci à voluntate omissionem ratione libertatis ab omissione ipsa oriundæ, post ipsamque exercitam aduenientis: casu autem, quod Deus omitteret vtrumque actum liberè, omissio volitionis constitueret voluntatem diuinam proxime liberam ad omissionem nolitionis; & vice versa, omissio nolitionis ad omissionem volitionis. Quæuisque talium omissionum subinde prius natura esset, quam esset in voluntate sua libertas constituta per alteram; atque ita vtrauis ratione libertatis à se oriundæ, & post se exercitam aduenientis libera esset. Tum mutuo se vicissim causarent; liberè quidem, quia libertas constituta per vnam præcederet alteram, & simul non liberè: quia alterutram antecedenter exercitam sequeretur eius libertas. Quæ omnia contradictione sunt plena. Eademque pariter absurda in voluntate creata possunt inferri, dum ea sufficiente cognitione non caret ad eliciendos actus oppositos, vti nunquam caret diuina.

140 Quintò deniq; probatur propositio à priori. Quia quod ex parte actus ad eius existentiam est requisitum, non eo ipso est requisitum ex parte subiecti ad ipsum actum exercendum: fieri enim potest, vt aliquid ex parte actus requiratur ad existentiam, quin requiratur ex parte subiecti ad actus exercitium: id autem quod ex parte subiecti ad exercitium actus requisitum non est, neque vt subiectum euadat proximè potens actum est intrinsecè requisitum, vt statuimus *prop.* 3. sine illoque existente proinde potentiam proximam ad actum adæquatè constitutam, & existentem potest subiectum ipsum habere. Tunc autem aliquid ex parte solius actus præcisè, non item ex parte subiecti ad exercitium actus est requisitum, quando illud eiusmodi est, vt verum sit per locum intrinsecum, fore vt subiectum nihilominus ad actum sine illo exercendum proximè potens esset casu quod actus sine illo posset existere. Sicut è contrà: tunc aliquid ex parte subiecti, non verò ex parte actus requiritur ad ipsius actus exercitium, quando verum est per locum intrinsecum, fore vt eo deficiente nullatenus maneret subiectum proximè potens actum, quantumuis actus sine illo existere posset. Ex parte autem vtriusque, tunc aliquid requisitum erit, quando, eo deficiente, neque subiectum exercere actum, neq; actus existere poterit in quauis hypothesi impossibili. Nos quippe discrimina huiusmodi requisitorum, aliter quàm per huiusmodi veritates conditionatas de conditione impossibili, neque deprehendere possumus, neque explicare; cum tamen videntes intuitiue in ipsis rerum naturis inspiciant illa, atque discernant.

Stat itaque terminum connexionis actus requisi- 141
tum ad existentiam eius bene posse ad potentiam proximam actus intrinsecè requisitum non esse, ita vt potentia non minus possit intelligi constituta, & existens ante existentiam talis termini, quam ante existentiam ipsius actus cum ipso termino connexi. Sed dubitari tamen potest an vt causa actus (subiecto) sit proxime potens respectu actus, necesse sit, quod causa etiam termini sit proxime potens respectu termini? Respondeo id non esse necessarium, sed sufficere quod sit possibilis potentia proxima, sine qua terminus esse nequit. Nam causa actus, vt sit ad illum proxime potens, non magis eget potentia proxima ad terminum, cum quo actus connectitur, quam termino ipso; cum propter terminū dumtaxat poscat potentiam proximam eius; sed non eget termino vt existente, sed tantùm vt possibili, prout opus est, vt actus cum eo cōnexus sit possibilis, vti ex dictis liquidum est. Ergo neque eget potentia proxima ad terminum vt existente, sed tantum vt possibili. Patet id in actu imperante connexo cum actu imperato, tanquā cum quodam termino. Nam causa imperans proxime impotēs est respectu actus imperantis antequam causa, cui imperatur, sit proximè potens respectu actus imperati: siquidem potentia proxima ad actum imperatum per ipsum imperantem completur. Et vniuersim, quoties potentia proxima termini dependet in sua existentia ab actu connexo cum termino, potentia proxima ad actum bene constare potest independenter ab existentia potentiæ proximæ ad terminum. Ponamus enim causam actus illum libere omittere, tunc certè non existet potentia proxima ad terminum constituenda per existentiam actus, & tamen existet potentia proxima ad actum constituens libertatem proximam ad actum ipsum. Quod si potentia proxima ad actum sine potentia proxima ad terminū constare potest, quando hæc per actum ipsum completur, ab eoque subinde dependet, etiam quando dependet constare poterit: quia potentia ad actum non magis requirit potentiam proximam ad terminum pro vno casu, quam pro aliis; sicuti non magis requirit terminum ipsum; vtpote cum quo æquè pro omnibus casibus connectitur actus, vt supponimus. Igitur quia terminus, de quo loquimur, tantum requiritur propter actum, & potentia proxima ad terminum propter ipsum terminum; sicut ad potentiam proximam actus non existentia, sed tantum possibilitas actus requiritur: ita ad eamdem potentiam non existentia, sed tantum possibilitas requiritur tum termini, tum potentiæ eius. Hoc tamen discrimine, quod possibilitas actus intrinsecè pertinet ad potentiam proximam eius, vt *propos.* 5. statuimus; possibilitas verò termini, & potentiæ eius tantum requiritur ad illam extrinsecè, quatenus pariter requiritur ad possibilitatem actus, vt terminus connexionis eius. Sed notare tamen oportet obiter actum posse connecti cum termino, vel prout existente in eadem mensura temporis, in qua existit ipse actus,

vel

vel prout existente in diuersâ siue præteritâ, siue futurâ. Tum vel prout existente in eodem signo naturæ secundum ordinem originis, siue causalitatis, in quo actus existit; vel prout existente in diuerso siue priori, siue posteriori. Tum denique vel prout existente in eodem statu cum actu, vel prout in diuerso iuxta varietatem statuum entium *infrà disp.* 10. exhibendam. De quibus omnibus speciatim plura *suis locis* dicenda venient.

143 Opponet tamen aliquis contra dicta: vt causa sit proximè potens respectu actus, necesse est, quod omnes causæ physicæ ad eumdem actum concurrentes sint quoque proximè potentes ad illum, iuxta doctrinam stabilitam *propos.* 4. Ergo vt causa actus sit proximè potens ad actum, necesse etiam erit, quod causa termini, cum quo actus connectitur, sit proximè potens ad terminum. Nego consequentiam: quia potentia proxima comprincipij ad eumdem actum concurrentis requiritur ex parte causæ ad exercitium talis actus: potentia verò proxima termini, cum quo actus connectitur, non requiritur ex parte causæ, sed ex parte ipsius actus, sicut requiritur ipse terminus. Vnde sicut potentia proxima adactum non claudit in se terminum; ita nec claudit potentiam proximam ad terminum. Deinde quando plures causæ influunt in eumdem actum, omnes se vicissim adiuuant ad illum eliciendum: causa verò termini, cum quo actus connectitur, non magis influit in actum, quam ipse terminus; atque adeo causam actus ad actum eliciendum proprie non iuuat. Ecquis enim dicat, Antchristum prout peccaturum in sua differentia temporis, propriè adiuuare modo meum intellectum ad eliciendum actum fidei connexum cum suo peccato? Ex quibus omnibus apparet de potentia proxima ad terminum, cum quo actus connectitur, de reliquisque ab ipso termino requisitis eodem modo philosophandum esse in ordine ad potentiam proximam actus: omnia enim hæc cum ipso termino extra conceptum realem talis potentiæ sunt, vt vidimus, sicut & actus ipse.

## *Propositio 7.*

144 Ad potentiam proximam actus omnimodis adæquatam & plenam intrinsecè requisitū est, quòd sit verum conditionatè, extiturum sine contradictione terminum connexionis actus, si existat actus ipse.

Hæc etiam propositio eximij est momenti ad materiam de libertate: Itaque licet existentia absoluta termini connexionis actus ad potentiam proximam actus requisita non sit, prout euicimus, *propos.* 6. attamen vt talis potentia sit omnino adæquata & plena, intrinsecè requisita est ad illam conditionata veritas de existentiâ sine contradictione talis termini sub conditione existentiæ actus. Nam hoc ipso quod actus nequit existere sine termino, potentia proxima actus nequit esse omnino adæquata, tali veritate seclusâ; sed inadæquata est quodammodo; quatenus scilicet potentia proxima actus, & potentia proxima termini simul acceptæ proximè, & absolutè possunt exequi actum & terminum. Potentia verò proxima actus sumpta seorsim, dumtaxat potest exequi actum veluti sub conditione, quod potentia proxima termini exequatur terminum: quod ipsum est esse eam veluti inadæquatam, donec sit verum extiturum siue contradictione terminum, si existat actus.

145 Probemus id, exempli, & claritatis gratia, in causis liberis actus, & termini: primò quia eo ipso quod nequit actus sine termino existere independenter à nutu causæ liberæ termini actus à suâ causâ poni non potest, atque adeo hæc plenum, & adæquatum dominium actus non habet, quousque in suâ manu habet nutum causæ termini, qualiter habere censetur, cum primum est verum ponendum a suâ causâ sine contradictione terminum, si ponatur actus à suâ.

Secundò: quia si causa termini liberè omittat illum 146
ponere, quo casu causa actus erat positura actum, si poneretur terminus, causæ actus nullomodo est imputabilis omissio actus: quia in tali casu non stat per ipsam, quod actus non ponatur: ergo in tali casu causa actus non habet adæquatam dominium, atque adeo neque adæquatam potentiam proximam actus, alioquin ei imputaretur actus omissio. Si verò è contra verum sit ponendum sine contradictione à suâ causâ terminum, si ponatur actus à suâ, & hæc nihilominus actum omittat; tunc actus omissio soli imputabitur causæ actus: quia in tali casu per ipsam solam stat quod actus non ponatur. Igitur per veritatem conditionatam de existentiâ sine contradictione termini sub conditione existentiæ actus completur in causâ actus adæquatum dominium, & consequenter adæquata potentia proxima eius.

Tertiò. Tunc censetur quis habere in suâ plenâ 147
& adæquatâ potestate consequutionem finis, cum verum est, præstanda cum effectu ab aliis cætera ad illam necessaria, casu quod ille præstet omnia, quæ dependent ab ipso. Tunc verò secus, quando id non est verum, vt constat. Ergo tunc causa libera actus in suâ plenâ potestate habet eius exequutionem, cum verum, est ponendum sine contradictione ab aliâ terminum necessarium ad actum casu quod actus ipse ponatur à suâ.

Quartò. Cum terminus connexionis actus à so- 148
lâ causâ actus dependet (vti dependet effectus à sola causa actionis, media qua fit) idcirco talis causa plenè, & adæquatè est potens ponere actum, quantumuis hic sine termino poni non possit, quia positio actus infallibiliter fert secum positionem termini; alioquin certè non futura adæquatè potens, si positio actus infallibiliter secum non ferret positionem termini, sed hoc ipso, quod est verum, ponendum sine contradictione terminum, si ponatur actus, positio actus infallibiliter fert secum positionem termini, à quâcumque ille causa ponendus sit; secus si id verum non est. Ergo veritas conditionata de existentia sine contradictione termini sub conditione existentiæ actus, plenè & adæquatè potentem constituit causam actus ad ipsum ponendum. Imo verò causa etiam se sola ponens actum, & medio ipso terminum; ideo antequam actum ponat, est potens adæquatè illum ponere, quia licet actus nequeat sine termino existere, talis tamen ille est ex suo conceptu, vt si ponatur, necessariò feret secum terminum ipsum. Quod ipsum est, talem etiam causam plenè & adæquatè constitui potentem ponere talem actum per veritatem conditionatam de existentiâ sine contradictione termini sub conditione eius.

Quintò: sublatâ dictâ veritate solâ, & cæteris 149
omnibus permanentibus causa actus sumpta seorsim simpliciter, & absolutè est impotens ponere actum: ergo potentia reddens causam simpliciter, & absolutè potentem ponere actum, qualis est plena, & adæquata, intrinsecè ad suam constitutionem requirit talem veritatem. Consequentia est euidens ex doctrina *propos.* 1. Antecedens proba-

tur planè, quia causa simpliciter & absolutè est impotens ad ponendam chymeram, sed positio actus, dicta veritate sublatâ, est chymera: quia si eâ veritate sublatâ existeret actus, actu existente, aut non existeret terminus connexionis eius, aut non existeret sine contradictione, quorum vtrumque est chymera, vt constat. Ergo.

150 Hinc sextò à priori. Quia sicut possibilitas actus ita est conditio ex parte causæ requisita ad actum ponendum, vt potentiam proximam eius constituat intrinsecè, vti *proposit.* 5. probatum est; sic veritas conditionata de existentiâ sine contradictione termini connexionis actus sub conditione existentiæ actus ita est conditio ex parte causæ requisita ad actum ponendum, vt proximâ quoque, & adæquatam potentiam eius constituat intrinsecè. Quandoquidem tali veritate sublatâ non minus redditur actus respectu causæ sumptæ seorsim impossibilis; quàm sublatâ possibilitate ipsius actus redderetur. Iam verò, quòd potentia proxima, & adæquata causæ per prædictam veritatem conditionatam, etsi hæc nihil absolutè ponat in esse, constitui possit, maiorem difficultatem non habet, quàm quod per possibilitatem actus in quadam etiam veritate conditionatâ consistentem possit constitui. De quo iam actum est *propos.* 5. *citatâ.*

151 Stet ergo firmum potentiam proximam plenam omnino, & adæquatâ actus connexi cum alio quopiam termino per veritatem conditionatam compleri constituique intrinsecè de existentiâ sine contradictione termini sub conditione existentiæ actus. Dico *sine contradictione:* quia ex hypothesi, quod existat actus connexus cum termino, semper, & necessario sequitur, atque adeo semper, & necessario est verum existere terminum. Quod tamen sub tali hypothesi sit verum existere terminum sine contradictione, aut cum illa, id pendet ex nutu, & determinatione causæ, à qua est oriunda liberè positio termini; quando ea ab aliquâ libertate est oriunda distincta à libertate actus. Supposito enim, quod per positionem actus non sit tollenda libertas ad terminum, quando causa termini aliàs pro suo arbitratu est positura terminum, verũ est sine contradictione terminũ ex hypothesi, quod existat actus; secus quando aliàs causa termini liberè, se ad non ponendum illum est determinatura e. g. casu quòd Petrus aliàs est liberè peccaturus in instanti A. verum est. Si extiterit reuelatio diuina de peccato Petri pro instanti A, existet peccatum ipsum sine contradictione. Casu verò quòd Petrus aliàs non est peccaturus liberè pro instanti A, sub hypothesi reuelationis diuinæ de peccato Petri pro instanti A, duo contradictoria erunt vera, nempe & peccaturum Petrum pro instanti A, quia id infert essentialiter reuelatio, & non peccaturum, quia Petrus pro tali instanti nutu suo non est peccaturus. Nec mirum, cum in tali casu hypothesis sit impossibilis consequenter. Verùm de hoc puncto vberior sermo habendus suo loco est. Hic solùm restat aduertendum. Quod diximus e. g. de actu causæ liberæ relatè ad terminum connexionis, etiam à causâ libera oriundum, pariter in omnibus actibus quorumuis subiectorum respectiuè ad quosuis terminos habere locum.

152 Itaque ex dictis in hac, & præcedente propositione concluditur, veritatem conditionatam de existentiâ sine contradictione termini connexionis actus sub conditione ipsius non solum requisitam esse, sed etiam esse sufficientem, si cætera adsint ad constituendam potentiam adæquatam proximam actus. Quod insuper confirmari potest: quia nequit non esse sufficienter constituta potentia plena, & adæquata proxima actus, quando ipsi est proximè possibilis actus adæquatè, & plenè: nequit autem non esse talis quando verum est ipsum absque vlla contradictione extiturum, si hic, & nunc existat. Quod nequit verum non esse, quando, stantibus cæteris requisitis, verum est extiturum sine contradictione terminum, si existat actus ipse.

## *Propositio 8.*

Ad potentiam proximam actus bene potest esse 153
aliquid requisitum extrinsecè, vt terminus connexionis eius, quin ad eamdem vt constitutiuum eius extrinsecè requisitum sit.

Est certum: quia sicut cætera cuiuslibet generis entia cum alio quopiam ad suam essentiam intrinsece non pertinente possunt esse connexa: ita potentia proxima ad actum cum alio quopiam potest connexa esse, quod in suo conceptu essentiali intrinsecè non includatur. Tum sicut aliquid requisitum ad existentiam actus potest nullomodo proximè in actum influere, atque ita extra potentiam proximam actus esse, vti *proposit. 6.* statutum est, ita aliquid requisitum ad existentiam potentiæ proximæ actus potest nullomodo proximè in actum influere; sicque ad ipsam potentiam proximam actus intrinsecè non pertinere. Id quod veluti à posteriori constat etiam apertè: quia quando potentia proxima ad actum, cum actu ipso connexa est, actus ad existentiam eius est requisitus; & tamen actus nec clauditur intrinsecè in conceptu reali talis potentiæ, iuxta doctrinam statutam *proposit* 2. nec vllomodo in seipsum influit, vt est notissimum.

Ex hâc certissimâ veritate manifestè refutandi 154
veniunt quidam Recentiores dicentes principia conseruatiua causæ ad actum primum proximum eius intrinsecè spectare vt conditiones requisitæ ad causandum: quia, inquiunt, non minus est necessarium, vt causa producat effectum, quòd causa conseruetur à suis principiis, quàm quòd sit approximata ad passum, instructaque cæteris conditionibus, sine quibus causare nequit. Etenim hoc contra communem Philosophorum consensum, siue existimationẽ est. Quis enim hactenus putauit causas remotas quantumuis ad existentiam proximæ requisitas cum hac immediatè concurrere ad eius effectum causandum, adhuc vt conditiones? Quàm autem id sit falsum constat ex dictis: quia quod requiritur præcisè vt existat causa, qualiter solum requiruntur principia conseruatiua eius, non eo ipso simul cum causa influit immediatè in effectũ, ipsamve aliquo modo iuuat ad influendum. Alias Deus per decretũ quo conseruat voluntatẽ creatam, influeret cum illa ad peccatũ ad illudque eam iuuaret, quod est absurdum. Tum simul cum actu fidei de Deo vt infinitè sapiente omne ens existens, possibile, & impossibile concurreret immediatè ad actum charitatis oriundum à tali actu fidei. Quod est ridiculum. Quandoquidem titulo connexionis essentialis, quam talis actus fidei habet cum sapientiâ diuinâ, & media illa cum omni ente cognito à Deo, non minus est omne ens requisitum ad existentiam ipsius actus, quàm quæuis causa conseruatiua eius. Porrò principia cõseruatiua causæ solùm requiri, vt ipsa existat, & ab Aduersariis supponitur, & ex se satis notum est. Si enim causa à se ipsa posset existere, ad nihil vtique indigeret principiis conseruatiuis sui, quà talibus; eisque subinde deficientibus, æque illa

per

per locum intrinsecum proximè potens ad operandum existere posset, ac modo. Quod argumento est, talia principia ad potentiam proximè operatiuam eius intrinsecè non pertinere, vt dicebamus in simili *propos.* 6. Et confirmari potest ex dictis: quia si essentia causæ, & quælibet alia essentia creata à suo conceptu reali excludit, nec potest non excludere omnia principia conseruatiua sui quantumuis illis indigeat ad existendum, cur essentia potentiæ proximæ ad operandum, quam causa habet, non excludet pariter à suo conceptu reali omnia principia conseruatiua sui (è quorum numero sunt conseruatiua causæ) quantumuis ilis indigeat ad existendum?

155 Quod si principia remota actus titulo talium ad potentiam proximam eius intrinsecè non pertinent, meréque remote subinde manent, etiamsi ad existentiã talis potentiæ, alicuiusve in illa inclusi sint requisita, multo minus pertinebunt, quando requisita non sunt, vt sæpe contingit. De quo, supposità doctrinâ traditâ, nullum est dubium. Alioquin nullum principium remotum actus esset possibile; quod simul proximum non esset. Quod quam sit absurdum, & ex ipsis terminis, & ex *superius* dictis satis est notum.

### *Propositio 9.*

156 Potentia proxima actus ad actum ipsum prout existentem intrinsecè requisita non est. Extrinsecè verò aut requisita, aut non requisita esse potest.

Prior propositionis pars inde constat: quia potentia proxima, & actus inquantum existens conceptus sunt inuicem se excludentes, prout *suprà propos.* 2. statutum est. Posterior autem inde, qui actus aut connexus, aut non connexus cum potentiâ proximâ, à quâ procedit, potest existere. Cæterum, omissâ priori parte, quæ ex doctrinâ propositionis citatæ satis est nota. Pro maiori posterioris intelligentiâ notandum est, etsi possit euenire, sæpeque eueniat, vt actus cum eâ numero potentiâ proximâ, à quâ procedit, seu cuius est actus connexus sit, vt cernere est in actibus existendi, subsistendi, durandi, aliisque huiusmodi, qui suopte conceptu cum his indiuiduis subiectis, sub indiuidúisque conditionibus, ac circumstantiis connexi sunt, attamen etiam euenire potest, sæpeque euenit, vt actus non cum eâdem numero potentiâ proximâ, à quâ est, bene tamen cum aliquâ talis speciei connexus suâ naturâ sit. Sic enim volitio obiecti A. necessario posscit oriri à potentiâ proximâ voluntatis constitutâ per cognitionem aliquam obiecti A. sed non ab ea, à qua de facto oritur, constitutâ per talem numero cognitionem. Et productio caloris in ligno ab aliqua potentia proxima huius ignis constituta per aliquam approximationem ad tale lignum petit nasci; non tamen à constitutâ per hanc numero approximationem. Pariterque in similibus. Nihilominus vtriusque huiusce generis actus cum sua proxima potentia connexos absolutè vocamus: qui vel cum hac, aut alia simili ita connexi sunt, vt si hæc deficeret, esse non possent, nisi alia similis supplens eius vicem accederet. Sunt enim aliæ potentiæ proximæ adeò non requisitæ ad actum, in quē influunt de facto, à nobísque subinde absolutè non requisitæ nuncupatæ, vt licet desint, nihilque vice earum accedat subiecto actus, adhuc tamen manere illud potest, sæpéque manet proximè potens actum ipsum. Talis est potentia constituta per imperium, quo voluntas aliquem actum inperat, illumque medio imperio causat: cum tamen ad causandum eumdem per se immediatè præscindendo à tali imperio, ac proinde secluso, sit proximè potens, & cæteræ huiusmodi constitutæ per aliquid de facto adiuuans subiectum ad exercitium actus; cum tamen ad tale exercitium nullatenus sit requisitum. 157

Ex quibus patet præterea, quæ ex parte subiecti ad exercitium actus sunt requisita, intrinsecéque subinde constituunt potentiam proximã requisitam ad actum, iuxta doctrinam *propos.* 3. alia, quæ ex parte subiecti etiam se habent, ipsumque quoquo modo iuuant ad exercitium actus, ad potentiam proximam actus non requisitam ad actum ipsum intrinsecè spectare, ad illámque proinde intrinsecè requisita esse. Hæc satis pro præsente quæstione.

## DISPVTATIO IX.

### *De ente, essentiâ, & existentiâ, atque de opposito Non ente.*

QVANQVAM hæc disputatio ad Metaphysicam fere pertineat; oportuit tamen hue inferere illam: tum quia termini eius inter obiecta intellectionis humanæ, de quibus agimus, primum sibi post terminos disputationis præcedentis vẽdicant locum. Tum maximè, quia tractatio eorum eximiè confert ad ea, quæ in sequentibus sunt dicenda, ex dictisque in præcedentibus naturaliter fluit. Erit autẽm sermo in præsenti *disp.* de Ente, Essentiâ & Existẽtiâr ealibus. Non verò de ente, Essentiâ, & Existentiâ rationis. De quibus *d.* 12. Tum sermo erit de Non ente sumpto pro negatione, siue carentiâ Entis. Non verò sumpto (vt sumi solet) pro Ente chymerico, siue impossibili. De quo. *Disp.* 11.

## QVÆSTIO I.

### *Quid sit Ens, quid Essentia, quid existentia in vniuersum?*

SVppono primò ex dictis *disputatione* 8. *quæst.* 1. illum conceptum obiectiuum dici actum in vniuersum, qui significatur per verbum, & per tempora coniugatur; à nobisque instar cuiusdam exercitij alicuius subiecti circa aliquem terminum concipitur. Estque propriissimum obiectum iudicij nostri: per quod indispensabiliter ipsi subiecto affirmatione tribuitur, negatione detrahitur. De quo *ibi* plura. 2

Suppono secundò, vnicum actum significatum per verbum *posse* actum primum vocari: quòd cæteros omnes per alia verba significabiles præcedit. Qui subinde actus secundi veniunt dicendi, vti etiam *disp.* 8. *q.* 2. *dimis.* 3. exposuimus; nec sine primo dari possunt, iuxta *propos.* 3. statutam *dicta disp.* 8. *q.* 3. 3

Suppono tertiò, omnem omnino actum tribus modis à nobis concipi posse, ac frequentissimè solere. Primò vt exercitium actuale subiecti; qua ratione significatur per verbum. Secundò cum abstractione quadam: quo pacto significatur per nomen verbale. Tertiò vt compositum cum subiecto: quo modo per participium verbi significatur, & in concreto sumi dicitur, prout latius explicatum est *supra disp.* 2. *quæst.* 4. *Consect.* 3. 4

Suppono

5 Suppono quartò. Concretum quodlibet ex subiecto, & actu, siue ex subiecto, & formâ coalescens bifariam vsurpari posse; adiectiuè videlicet & substantiuè. Adiectiuè dicetur accipi, quando subiectum directè significatur, & concipitur; actus autem, siue forma obliquè, seu ex connotato: substantiuè autem, quando vtrumque ex equo, & directè. Et concretum quidem adiectiuè sumptum semper de subiecto verificatur: substantiuè verò sumptum non item. Et quod euenit in concretis physicis coalescentibus ex subiecto, & formâ realiter inter se distinctis, seruatâ proportione, euenit etiam in concretis metaphysicis, quorum subiectum, & forma solâ ratione distinguuntur, vti latius etiam *ibidem* est explicatum.

6 His vniuersè suppositis, ad rem iam propius accedendo, suppono quinto, Verbum *esse*, sicut & alia verba, suum quoque actum significare; vsurpatur tamen dupliciter, & satis æquiuocè. Primò ad significandum actum essendi, quo vnumquodque dicitur esse, existerevè in natura rerum. Secundò ad significandum actum essendi, quo vnumquodque dicitur esse quidpiam, siue idem esse cum quopiam. Ex quibus duobus actibus primus existentia dicitur in abstracto: secundus verò strictè loquendo essentia in abstracto dici deberet, & ab identitate non differt, vt diserte docuit August. *lib. 12. de ciuit. Dei cap. 2.* inquiens *sicut ab eo, quod est sapere, vocatur sapientia, sic ab eo, quod est esse, vocatur essentia, nouo quodam nomine, sed iam nostris temporibus vsitato.* Et quoniam essentia, & substantia pro eodem solent vsurpari, idcirco verbum *esse* verbum substantiuum vocatur, in posteriori scilicet acceptione; non item in priori, in quâ sicut & cætera verba, adiectiuum venit dicendum. Hinc fit vt concretum *ens*, quod participium est verbi *esse*, bifariam etiam accipiatur. Primò pro eo, cuius abstractum est actus existendi. Secundò pro eo, cuius abstractum est actus essendi quidpiam, identitasve cum quopiam in vniuersum.

7 Cæterum supponendum est sexto; quanquam nomen verbale *essentia* in suâ primæuâ, & rigorosâ ethymologiâ actum essendi quidpiam siue identitatem significet; Iam tamen in istâ acceptione non vsurpari. Neque enim nomine essentiæ actum essendi quidpiam præcisè sumptum, sed id totum, quod vnumquodque ex suo conceptu obiectiuo intrinsecè est, intelligimus, prout subest ipsi actui. In quâ acceptione proinde essentiam deinceps accipiemus. Eâ quippe suppositâ (cum essentia cuiuscumque subiecti nihil sit aliud à subiecto ipso, quatenus per verbum *esse* substantiuum est de se ipso prædicabile, seu potius quatenus secum ipso est idem per actum essendi, quem significat tale verbum, & ab identitate non differt) factum est, vt quoties in prædicatione factâ per verbum substantiuum *esse* ex parte prælicati nihil adiicitur subiecto, sed ipsum subiectum, aut aliqua pars eius repetitur, tunc talis prælicatio essentialis, taleque prædicatum subiecto essentiale dicitur, vt tota quidem subiecti essentia, quando subiectum totum repetitur, vt si dicas. *Homo est homo* vel. *Homo est animal rationale* vt pars verò essentiæ subiecti, quando repetitur pars eius, vt si dicas. *Homo est animal*, vel *Homo est rationalis*. Quando tamen ex parte prædicati aliquid subiecto adiicitur, tunc prælicatio accidentalis, ipsumque prædicatum subiecto accidentale appellatur. Vt cum dicimus. *Homo est albus* vel *Homo est risibilis*. Adiicitur enim albedo, vel risibilitas ex parte prædicati in obliquo, quæ nullomodo erat posita ex parte subiecti. Ob idque concreta *albus, risibilis*, adiectiua, siue adiectiuè sumpta dicuntur iuxta *suppositionem* 4. Et hinc orta est diuisio prædicatorum, siue prædicabilium essentialium, accidentaliumque, quam *infra disp.* 17. exhibebimus.

Quæ cùm ita sint, consequitur primo. Actum 8
essendi quidpiam, qui est ipsa identitas, & per verbum *esse* prout est substantiuum significatur, etiamsi per se & ab intrinseco consideratus absolutè, & semper actus substantiuus vocari possit, eo quòd identitas semper censetur per se pertinere ad substantiam, & essentiam rei identificatæ, vtpotè, quæ vt subest tali actui, essentia dicitur. Per accidens tamen, & ab extrinseco actum adiectiuum, accidentalemque dici posse, quando identificat subiecto prædicatum adiectiuum ipsi subiecto accidentale. Nihilominus vt illum ab actu existendi, siue existentiâ discriminemus (qui per se, ex suóque intrinseco conceptu est adiectiuus, sicut & cæteri omnes actus per omnia alia verba significati) actum substantiuum siue identificantem, aut etiam essentialem loquendo absolutè, appellabimus, siue ille quidpiam essentiale, siue quidpiam accidentale subiecto identificet.

Secundò consequitur *Ens* sumptum pro essente 9
quidpiam, vt ita loquar, quo pacto est concretum ex subiecto, & actu essendi substantiuo, siue identificante, ens essentiale dici posse vniuersè, atque adeo debere, vt ab ente existentiali discriminetur, quod est concretum ex subiecto, & ex actu essendi adiectiuo, nimirum existentia. Diceturque ens per se, quando eius forma fuerit actus essendi identificans subiecto essentiam per se. Ens vero per accidens, quando eius forma fuerit actus essendi identificans subiecto aut prædicatum accidentale, aut essentiam per accidens, iuxta doctrinam ex Arist. tradendam *q.* 2. Itaque ens aliud existentiale, & aliud essentiale, prout explicauimus, distinctionis gratiâ, est dicendum.

Quoniam verò quidquid absolutè est quouis ex 10
dictis modis nequit non habere absolutè potentiam ad essendum, iuxta *suppositionem* 2. vsu venit inter Philosophos, vt concretum *ens* non solũ accipiatur pro eo quod est, sed etiam pro eo quod potest esse. Cum tamen hoc potius potens esse; quàm ens deberet appellari satiusque proinde erit ad distinctionem ens sumptum pro potente esse, vocare ens in actu primo, seu potentiale; ens verò sumptum pro eo quod est, ens in actu secundo, seu actuale, Quæ sunt appellationes propriæ actuum huiusmodi concretorum, vt constat. Itaque ens tam existentiale, quam essentiale aliud potentiale, & aliud actuale est.

Ex quibus omnibus iã apparet, quid sit ens, quid 11
essentia, & quid existẽtia ex suo cõceptu. Existentia enim est actus, quo vnumquodque in naturâ rerum esse, seu existere dicitur. Essentia, vt primitus vsurpabatur, actus erat, quo vnumquodque dicitur esse quidpiam, seu esse identificatum cum quopiam; vt verò eam iam vsurpamus: Essentia est id totum, quod vnumquodque ex suo conceptu obiectiuo intrinsecè est. Ens existentiale actuale est id, quod actualiter existit. Potentiale quod potest existere. Ens essentiale actuale, quod est quidpiam, siue quod est idem cum quopiam. Potentiale, quod id ipsum potest. Nec amplius, aut melius termini isti sunt explicabiles; cùm sint primi, & per se notissimi; eoque iure indefinibiles in rigore, iuxta doctrinam vniuersalem terminorum

definibi

definibilium, & non definibilium alibi tradendam à nobis. Vnde infero contra nonnullos, quos tacito nomine refert Ouied. *contro.* 1. *Metaph. punct.* 1. malè ab eis definiri, seu explicari ens existentiale potentiale, quod solum videntur agnoscere, per oppositionem cum chymerâ. Non hoc est explicare habitum per ordinem ad carentiam sui; cum tamen è contra fieri debeat; eo quod carentia non est cognoscibilis nisi per ordinem ad habitum, quem ipsa remouet. Chymera quippe à negatione potentiæ ad existendum habet esse chymæram: atque adeo per oppositionem cum potente existere, quod est ens existentiale potentiale, est cognoscibilis, seu explicabilis. De quo plura *infra suo loco.*

21 Obseruandum tamen est primò. Essentiam vniuscuiusq; rei, prout iam ab omnibus vsurpatur, aliis præterea nominibus solere indigitari. Dicitur enim quiditas rei, quia ad quæstionem. *Quid res est* per illam respondetur. Dicitur rei substantia, quia & per se stare, & cæteris conceptibus, qui illi quoquo modo accrescunt, siue adiiciuntur, aliquatenus substare concipitur. Dicitur forma: quia ab illa habet res, quod sit talis, in talive specie, & non in aliâ. Dicitur denique natura: quia est veluti principium, & radix omnium operationum, omniumve actuum, qui vel sunt quidam motus eius aut actiui, aut passiui; vel instar talium concipiuntur ex proprio actus conceptu. Natura quippe propriè sumpta nihil est aliud, quàm principium, & causa motus, & quietis eius in quo est, vti definit Arist. *lib.* 2. *Physic. cap.* 1. & *lib.* 5. *Metaph. cap.* 4.

13 Secundò obseruandum est subiectum concreti entis, quouis ex dictis modis accepti, *rem* antiquitùs nuncupari. Iam tamen vulgo nomen *res* pro totâ entitate cuiusuis entis, prout physicè iacet, sumi solet. Vtrouis tamen modo acceptum æquiuocum nomen est: quia ad plura dissimilia vt talia significanda accipitur. De quo plura dicemus *infrà disputatione* 17.

14 Tertiò obseruandum est, nomen *Entitas* ex suâ primæuâ etymologiâ actum essendi essentialem, siue identitatem significare, vtpotè quod abstractum quoddam entis essentialiter sumpti est. Iam tamen pro totâ & integrâ re solet sumi communiter. Sicque propterea expediet, vt semper à nobis sumatur.

15 Quartò obseruandum est particulam *aliquid* iuxta suam primæuam etymologiam significare *aliad quid*, siue distinctum à reliquis. Communiter tamen non ita accipitur; sed pro quâuis re quâuisque rei formalitate, & vniuersè pro quouis omnino ente, quauisve essentia conceptibili. Quo etiam sensu vsurpantur particulæ *quidpiam*, *quiduis*, & aliæ æquiualentes.

## QVÆSTIO II.

### *Quotuplex sit ens? quotuplex essentia? & quotuplex existentia?*

16 SVppositis variis acceptionibus entis expositis *quæst.* 1. Noto. Cùm ens quouis ex illis modis sumptum concretum quoddam sit metaphysicum coalescens ex subiecto tanquam ex materia, & ex actu tanquam ex forma, iuxta dicta *disputatione* 2. *quæst.* 4. *Conclus.* 3. ex vtroque capite posse illud diuidi imprimis potest in ens conditionatum, & absolutum. Tum in ens determinatum, & vagum. Ac rursus eorum quoduis in ens præteritum, præsens, & futurum, *&c.* Quia quilibet actus constituens ens siue secundus, siue primus, siue existentialis, siue essentialis, aut conditionatus, aut absolutus, aut determinatus, aut vagus: aut præsens, aut præteritus, aut futurus, *&c.* considerari potest. Verum de hisce membris diuidentibus multa *in sequentibus* sunt dicenda. Quò illa propterea explicanda, atque definienda remittimus. Patétque quotuplex sit existentia, & quotuplex etiam essentia sumpta pro identitate, pro actúve essendi substantiuo, seu essentiali.

Deinde ens essentiale ratione formæ in ens per 17
se, & ens per accidens est diuidendum iuxta doctrinam traditam ab Arist. *lib.* 5. *Metaph. cap.* 6. & 7. & *lib.* 7. *cap.* 1. Ens per se illud dicendum est, quod per se, & ratione sui habet esse id, quod est. Per accidens verò, quod id habet ratione alterius conceptus sibi adiacentis. Vnde ens per accidens, vt constat ex Arist. loco citato, dumtaxat est concretum, ex subiecto & actu, seu formâ adiectiuè vsurpatum; id est, sumpto subiecto in recto, & forma in obliquo. Reliqui enim omnes conceptus, qui substantiuè vsurpantur, sumptis directè, & ex æquo omnibus ex quibus coalescunt, non possunt non esse entia per se, quicumque illi sint, siue compositi, siue simplices. Cuius doctrinæ ratio ea est, quam iam *quæst.* 1. tetigimus. Quia nimirum, quando concretum adiectiuè sumptum prædicatur aut de se toto, aut de subiecto, actus essendi, qui interponitur, dumtaxat identificat ea, quæ directè accipiuntur, nempe subiectum ipsimet. Vnde quidquid aliud dicitur esse subiectum præter se ipsum, id accidentarium est ipsi: atque adeo ipsum per accidens tale quid est. Vide id in hac prædicatione *Petrus est albus.* vbi verbum *est* tantum identificat Petro ipsam Petri substantiam, quam confusè, directè tamen dicit conceptus *albus*, connotata in obliquo albedine. Quo fit, vt Petrus per accidens sit tale ens, nempe ens album. Tantumdemque euenit, quod ad rem attinet, cum prædicamus *album est album*, accepto hoc concreto adiectiuè: quia vt sic etiam denominatio talis entis oriunda ab actu essendi tale quid, cum sit denominatio identificati cum tali quopiam, dumtaxat conuenit per se subiecto concreti directe sumpto: cui accidentarium est, quod sit tale ens album. Quando verò ambo prædicationis termini substantiuè accipiuntur; atque ita quidquid est in prædicato ex æquo per actum essendi identificatur subiecto; tunc ens ex tali actu coalescens nequit non esse ens per se, quantumuis sit aggregatum ex multis casu concurrentibus: quia verè subiectum prædicationis per se, & ratione sui est totum id, quod dicitur esse, quodque ex parte prædicati se habet.

Ex quibus apparet. Quoties in prædicatione fa- 18
cta per verbum substantiuum *esse* ponitur ex parte prædicati concretum quoduis adiectiuum, tunc subiectum ab actu essendi per tale verbum significatum euadere ens per accidens; siue tale prædicatum sit tali subiecto accidentale, vt quando subiectum prædicationis est nudum subiectum concreti, veluti cum dicimus *Petrus est albus*, siue sit essentiale, vt quando subiectum prædicationis est totum ipsum concretum, veluti cum dicimus *album est album* adiectiuè: quo casu, cùm ex parte prædicati nihil adiiciatur non positum ex parte subiecti, prædicatio essentialis est; sed de essentiâ per accidens, qualis tunc est essentia subiecti, iuxta statim dicenda.

Super

19 Supereſt tamen animaduertendum. Quando concretum adiectiuum phyſicum eſt ; eo quod ſubiectum, & forma phyſicè inter ſe diſtinguuntur , vti euenit in exemplo propoſito : tunc illud ens phyſicè per accidens dicendum eſſe. Quando verò concretum eſt metaphyſicum ; eo quod ſubiectum & forma ſumpta adæquatè ſolâ ratione diſtinguuntur: tunc illud ens metaphyſicè per accidens debere appellari. In his enim ſemper ſeruatâ propoſitione debet procedi.

20 Ex his gradum facio ad explicandum, quotuplex ſit eſſentia ſumpta , vt iam communiter ſumitur, pro eo, quod vnumquodque intrinſecè eſt,& adæquatè ex ſuo conceptu obiectiuo , ſiue pro eo quod vnumquodque in eſſentiali prædicatione adæquatè ſibi identificat , ſiue coniungit per actum eſſendi eſſentialem. Etenim, vt iam ex *infrà diſput. 17. dicendis num.7.* notaui. In prædicatione factâ per verbum *eſſe* ſubſtantiuè ſumptum , tunc prædicatum ipſiſſima eſt eſſentia ſubiecti , quando vel ſub eodem, vel ſub diuerſis terminis illud integrè repetit, nihil addendo,aut detrahendo. Si enim aliquid addit,aut eſt paſſio ſubiecti, aut accidens. Si detrahit, repetendo ſolum partem ſubiecti,aut eſt genus, aut differentia, au prædicabile innominatum , vel mixtum. De quo *ibi* plura.

21 Igitur eſſentia ſic vſurpata in quatuor omnino membra diuidenda eſt. Nimirum in eſſentiam phyſicam, metaphyſicam , tranſcendentalem,& Logicam. Quarum vnaquæque rurſus in eſſentiam per ſe , quæ propriùs eſſentia nuncupatur ; & in eſſentiam per accidens, quæ minus proprie eſſentia dicitur,diuidi poterit. Eſſentia per ſe phyſica rei complectitur quidquid realiter eſt ipſa res independenter à noſtris conceptibus, & præciſionibus, ſiue ſit res metaphyſicè ſolum conpoſita ex formalitatibus ſolâ ratione noſtra diſtinctis, ſiue inſuper ex partibus diſtinctis phyſicè. Vtroque enim caſu nulla omnino erit formalitas,aut pars rei,quæ non pertineat intrinſecè ad eſſentiam phyſicam eius. Quoniam res , prout phyſicè iacet, aliud non eſt ab aggregato omnium ſuarum formalitatum,& partium: per ſéque ſubinde illud totum identificat ſibi.Eſſentia verò per accidens phyſica ea eſt, quam habere dicitur concretum adiectiuum phyſicum, dum illud integrum de ſe ipſo prædicatur ; vt ſi dicamus. *album eſt album.* In tali enim prædicatione dumtaxat identificatur per ſe ſubiectum phyſicum albedinis ſibi ipſi, quod ſolum ſumitur in recto ; per accidens verò intrat prædicationem forma, vtpote connotata in obliquo. Propter quod etiam ſubiectum formæ in quouis concreto adiectiuo phyſico eſſentia phyſica per ſe talis concreti dici poterit : quia videlicet illud ſolum ſibi per ſe identificatur, hoc ipſo, quod illum ſolum de ſeipſo prædicatur directè per verbum ſubſtantiuum *eſſe*. Tum etiam quia forma huiuſmodi concreti non poteſt non eſſe affectio phyſica ſubiecti , cuius forma eſt , de ipſo tanquam de eſſentia denunciabilis aut demonſtrabilis, per modum accidentis eius,vel per modum paſſionis.

22 Quo eodem iure factum eſt,vt etiam in concretis metaphyſicis adiectiuis ſubiectum dumtaxat formarum eſſentia per ſe metaphyſica eorum veniat appellandum,vt optimè appellant quicumque bene ſentiunt & loquuntur de eſſentiis rerum. Quia illud ſolum eſt in iſtis concretis, quod prædicatur de ſe directè per verbum ſubſtantiuum *eſt* , quando concreta prædicantur, & conſequenter , quod ſibi ipſi identificatur per ſe , prout ad eſſentiam per ſe requiritur. Tum etiam , quia formæ omnes , ſiue actus talis ſubiecti non poſſunt non eſſe paſſiones, vel accidentia metaphyſica , quæ de ipſo tanquam de eſſentiâ aut demonſtrari poſſint , aut enuntiari. Etenim vt ex dictis *diſput. 2.quæſt.4.* liquido apparet,huiuſmodi concreta metaphyſica ex ſubiecto,& actu coaleſcunt,quibus intellectus noſter eget ad iudicandum,etiam quando iudicat de re id,quod realiter eſt idem cum illa. In quâlibet autem re reali vnum tantum concipit intellectus ſubiectum radicale omnium actuum , quos ei per varia iudicia attribuit. Neque à multitudine ſubiectorum , ſed tantùm à multitudine actuum, ſiue formarum prouenit, vt eadem res plures formalitates etiam concretè ſumptas habeat, vt homo formalitates viuentis,ſenſibilis,rationalis,*&c.* quarum quælibet ſubiectum omnibus commune dicit in recto,actum verò, ſeu formam propriam in obliquo ; & ideo vna de alterâ ratione ſubiecti vtrique communis vere prædicatur in ſenſu formali , vt animal de rationali, aut è contra ; qualiter vnus actus abſtractè ſumptus de altero , aut de ſubiecto prædicari non poteſt ; vt animalitas , quæ eſt potentia viuendi , & ſentiendi , de rationalitate, quæ eſt potentia ratiocinandi. Vnde iuxta ordinarium , & naturalem modum noſtrum res concipiendi, ſolum ſubiectum metaphyſicum in ſingulis rebus à nobis conceptum prædicatur ſubſtantiuè de ipſâ re,reliquæ autem omnes formalitates adiectiuè. De quibus plura in *eâ quæſt.4.* citatâ.

23 Ex quo manifeſtè conſequitur ſolum prædictum ſubiectum eſſe eſſentiam rei metaphyſicam propriè , & per ſe loquendo : reliquas autem formalitates , aut eſſe paſſiones eius , aut accidentia metaphyſica veluti oriunda à tali ſubiecto vel radicata in ipſo. Id quod exinde confirmatur : quia primus conceptus , quem de vnaquâque re formamus , conceptus dicti ſubiecti eſt : quandoquidem de illo prius apprehenſo iudicamus cæteros omnes, quos ſubinde diſcurſu, aut aliter rei conuenire deprehendimus.Compertum eſt autem eſſentiam metaphyſicam rei , illum rei conceptum dici debere, qui cæterorum primus, ac veluti principium,& radix eorum eſt. Cum enim reliqui primo accedant, & adiiciantur,non poſſunt non illi omnes eſſe primi affectiones, atque adeo vel paſſiones eius, vel accidentia ; qualis non poteſt eſſe primus reſpectu alicuius aliorum : quare neque ille poteſt non eſſe eſſentia ; neque aliorum aliquis eſſentia eſſe poteſt ; quandoquidem nullus eſt poſſibilis conceptus rei, qui vel non ſit eſſentia eius , vel affectio eſſentiæ.

24 Exemplo doctrinam hanc illuſtremus.Cernit quis eminus rem quandam, de eâque per viſum apprehenſa , vt de ſubiecto quodam iudicat exiſtere ſeu eſſe exiſtens.Deinde iudicat poſſe moueri. Poſtmodum poſſe ſentire. Denique poſſe ratiocinari. Et poſtremo poſſe ridere. En eidem ſubiecto principiò apprehenſo attribuit homo per iudicium omnes hos actus , nimirum actum exiſtentiæ ; actum potentiæ ad ſe mouendum ; actum potentiæ ad ſentiendum ; actum potentiæ ad ratiocinandum, & actum potentiæ ad ridendum. Ex quibus totidem concreta metaphyſica emergunt , vnicum idem ſubiectum dumtaxat habentia , nempe ens ſeu exiſtens , mobile , ſenſitiuum , rationale, riſibile. Quod quidem ſubiectum vnicum primum & radicale eſſentia metaphyſica eſt talis rei , cuius accidens metaphyſicum eſt exiſtentia , paſſiones autem metaphyſicæ communes ſunt tres potentiæ priores ad ſe mouendum , ad ſentiendum,

&

& ad ratiocinandum: quia in duabus conspirat talis res cum brutis, & in tertiâ cum Angelis. Vltima denique potentia ad ridendum proprietas metaphysica est eius: quia soli homini, ad cuius speciem ea res pertinet, conuenit potentia ad ridendum. De quo iterum. Vide dicta *locis citatis*.

25 Hæc de essentia metaphysica rerum propria, & per se. Essentia autem metaphysica minus propria, & per accidens, quoduis concretum metaphysicum adiectiuè sumptum dici poterit, quatenus de se ipso adæquatè per verbum substantiuum *esse* prædicabile est, iuxta ea, quæ in simili diximus *n.* 21. *de essentiâ per accidens physica.*

26 Iam vero essentia transcendentalis ea dicitur, quæ non solum in singulis rebus, sed in singulis etiam rerum formalitatibus, siue conceptibus obiectiuis reperitur. Nullus quippe est excogitabilis in rebus conceptus obiectiuus, qui non sit ipsemet essentialiter; atque adeo, qui non habeat propriam essentiam, etiam vt ab aliis præcisus, cum essentia nihil sit aliud, quàm id, quod quidlibet essentialiter est in se. Vnde essentia transcendentalis partim coincidit cũ physicâ & metaphysica; partim ad plura, quàm illa extenditur. Nã physica solum reperitur in singulis rebus realibus integrè acceptis. Metaphysica in singulis insuper concretis metaphysicis. Transcendentalis verò in singulis præterea rerum, & concretorum formalitatibus etiam abstractis. Quo iure transcendentalis dicitur. Erit autem talis per se, si conceptus, quibus conuenit, aut sunt abstracta, aut concreta substantiua. Per accidens autem, si concreta adiectiua, vt satis ex *superius* dictis liquidum est.

27 Denique essentia logica ea dicenda est, quæ ex genere, & ex differentiâ componitur. Erit autem illa talis per accidens, si reperiatur in concretis adiectiuis tam physicis, quàm metaphysicis iuxta *superius* dicta. Per se autem si in abstractis, aut etiam in concretis substantiuis. Vtrum autem in istis omnibus genus & differentia ad componendam essentiam logicam reperiri valeant, & quâ ratione, & an essentia physica, metaphysica, & transcendentalis compositionem etiam logicam ex genere & differentiâ aliquo modo subire possint, aut etiam debeant, alterius est considerationis. De quâ *suo loco* Id modo certum independenter ab huiusmodi compositione, & præscindendo ab illâ, optimè consistere posse harum trium essentiarum conceptus, vt ex eorum explicatione satis, superque notum est.

28 Superest dicendum de diuisionibus, quas ens ratione materiæ potest subire. Quæ quidem tã multæ sunt, vt omnes illas recensere, prorsus sit impossibile. Cum enim nulla res sit excogitabilis, aut existens, aut possibilis, quæ non sit ens, nulla erunt omnino genera, aut species rerum tum existentium, tũ possibiliũ, in quas ens in sit diuisibile vel immediatè, vel mediatè. Quare impræsentiarum reliquis omnibus prætermissis, de quibusdam tantum vniuersalioribus diuisionibus, per quas ens aut immediatè, aut propè immediate diuiditur, mentionem aliquam tametsi leuem facere non fuerit abs re.

29 Primò igitur diuiditur Ens in increatum, & creatum, siue in ens à se, & ens ab alio, hoc est in Deum & creaturas, quâcumque demum ratione conceptus entis Deo, & creaturis communis sit, seu analogice, seu vniuocè. De quo *infrà suo loco*.

30 Secundò Ens in decem genera, quæ prædicamenta vocant, ab Arist. diuisum est, & ab aliis. Hæc sunt substantia, quantitas, relatio, qualitas, actio, passio, vbi, quando, situs, habere verum, vtrum exacta sit hæc diuisio, & quâ ratione, quod multi late controuertunt, alibi à nobis determinatur. Vbi ea non immediata, sed mediata esse decernitur. Siquidem ens primò in substantiam, & accidens. Deinde accidens in illa nouem diuidendum venit. De singulis verò membris diuidentibus huiusmodi diuisionis entis propriis in locis agitur.

Tertiò, ens vniuersè sumptum in ens relatum & 31
absolutum diuidi potest. In ens compositum & simplex. In ens spirituale, & corporeum. In ens supernaturale, & naturale. In ens necessarium & contingens. Aliisque huiusmodi diuisionibus. Quibus etiam essentia vniuersè sumpta, aut etiam existentia diuidi potest. Sed de iis etiam suis propriis locis agendum ex professo est.

---

## QVÆSTIO III.

### *Quid sit negatio entis in vniuersum.*

DVobus imprimis modis solet vsurpari negatio. 32
Primò pro negatiua propositione vocali affirmatiuæ oppositæ, atque etiam pro iudicio mentis illi correspondente. Secundò pro remotione ipsa, siue carentia entis, quam eiusmodi propositio, iudiciumque sua negatione prætendunt. Ex quibus, distinctionis gratia, prima negatio actualis, secunda negatio obiectiua dicetur. Sed quoniam negatio obiectiua generatim sumpta deinde in negationem sumptam specialius (quæ etiam distinctionis gratia pura negatio nuncupabitur) & in priuationem diuidi solet, quarum prima carentia formæ in subiecto inepto, secunda carentia formæ in subiecto apto definiuntur, iuxta *inferius* dicenda, scire opus est de negatione obiectiuâ entis in vniuersum, prout negationem puram, & priuationem comprehendit, sermonem nobis esse *in præsenti q.*

Circa quam prima sententia est. Negationem 33
entis aliquid esse reuerâ existens, consistensque in natura rerum, non quidem positiuum, sed negatiuum, ab omnique subinde ente positiuo distinctum, per quod positum nihilominus verè, existensque in naturâ rerum ab ipsâ naturâ rerum remouetur ens positiuum, cuius illud ex suo conceptu, & essentia remotio, siue negatio est. Itaque iuxta hanc sententiam negatio entis, quid reale negatiuum est enti oppositum verè, & realiter existens: atque adeo incipiens esse, dum ens, cui opponitur, desinit esse, & desinens esse, dum ens, cui opponitur, esse incipit; suamque proinde essentiam, atque existentiam obiectiuè veram, affirmatinéque iudicabilem etiam à Deo, nec solum ab intellectu nostro confictam, habet. Sic tenent Conimb. *lib.* 1. *Physic. cap. vlt. q.* 7. *art.* 1. Rub. *in logic. tract. de Entis rationis n.* 13. & *lib.* 1. *Physic. Tract.* 5. *q.* 1. Soar. *disp.* 54. *Metaph. sect.* 4. & 5. Pert. Hurt. *disp.* 3. *Phys. sec.* 2. & *disp.* 9. *Metaph.* §. 66. & 72. Arriaga. *disp.* 2. *Physic. sect.* 12. & *disp.* 6. *Metaph. sec.* 5. Quied. *contr.* 12. *Metaph. pun.* 4. & plerique alij, præsertim Recentiores passim. Quorum vnanimis persuasio est, negationem aliquid negatiuum esse ab omni ente positiuo distinctum, & reuera existens modo dicto. Tametsi interdum dum exactiùs conceptum negationis fatagunt explicare, id videantur negare subindicantes negationem nihil omnino esse reuera. Nonnulli tamen ex auctoribus

huius sententiæ eã sequuntur dumtaxat, quod attinet ad negationes entium possibilium; de negationibus enim entium impossibiliũ, seu chymerarũ censent, nihil omnino esse ab entibus positiuis distinctũ.

34 Secunda sententia est asserentium nihil omnino posse existere vllomodo in rerum naturâ, quod ens positiuum non sit; atque adeo omnem negationem entis verè à parte rei existentem, siue quâ verè aliquod ens aut possibile, aut impossibile remouetur, in aliquo ente positiuo necessariò consistere. Ita olim opinati sunt aliqui, quos refert Rub. *suprà*, & modo etiam opinantur multi perdocti Recentiores. Qui tamen bipartiti sunt in istâ sententiâ explicanda. Alij enim censent negationem obiectiuam formalem in impedimento positiuo entis negati, seu remoti consistere, quod impedimentum sæpe erit aliquid creatum, plerumque tamen aliquod decretum efficax Dei. Alij huiusmodi impedimentum entis negati negationem obiectiuam fundamentalem dicunt esse; formalem verò ipsum ens negatum, prout connotans tale impedimentum, aut etiam iudicium negatiuum, per quod, tali impedimento supposito, proximè negabile est. Quocirca inquiunt negatio formaliter est ens negabile proximè. Itaque vtrique isti Recentiores impedimentum positiuum entis negati ad essentiam negationis eius exposcunt adeò, vt prorsus sit impossibile, tale ens, non esse reuera, nisi aliud quidpiam positiuum reuera existat ipsi essentialiter oppositum, siue hoc sit aliquid creatum, siue aliquod decretum Dei, differunt tamen quod priores hoc ipsum impedimentum dicunt esse formaliter & directè negationẽ seu remotionem entis negati. Posteriores verò censent illud ad talem negationem ex connotato solùm spectare.

35 Tertia sententia aliorum est, qui absolutè pronunciant negationem entis in vniuersum à parte rei penitus esse nihil, proindeque à parte rei nullum omnino habere esse, seu negatiuum, seu positiuum; sed tantum in mente nostra obiectiuè; atque ita prout à nobis concipitur, tantum esse ens rationis. Huius sententiæ sunt Gabr. *in* 1 *dist.* 24 *q.* 1. *dub.* 3. Soncin. *lib.* 6 *Metaph. q.* 18. *& lib.* 10. *q.* 15 Aureol. *in* 1. *dist.* 36. *art.* 2. Sot. *lib.* 1. *Phys. q.* 8. Fonſ. *lib.* 4. *Metaph. cap.* 2. *in Comm. litt.* E. cum Albert. & S. Th. ad eum locum. Zachar. Pascualigus *tom.* 2. *Metaph. disp.* 65. *sec.* 2. *n.* 8. *& sec.* 5. *n.* 3. *& disp.* 76. *sec.* 2. Pro quâ sententiâ haud dubiè videtur stare S. Th. tum *loco citato* à Fonſ. nempe *lib.* 4. *Metaph. lect.* 1. *&* 2. tum *quæstio.* 21. *de vertit. art.* 1. *& quæst.* 1. *de malo art.* 1. *ad vlt. & sæpe alibi*, vbi aut dicit expresè negationem & priuationem dumtaxat esse entia rationis in mente obiectiuè existentia, non item re ipsâ; aut plane supponit, vel insinuat eas à parte rei nihil omnino existens esse. Quod etiam docet August. *in lib. de Genes. ad litt. cap.* 5. dicens. *Non enim Deus feciſſe tenebras dictum eſt; quoniam ſpecies ipſas Deus fecit, non priuationes, quæ ad nihilum pertinent.* Stare etiam videntur pro hac sententia plerique antiquiores, dum inter species entis rationis negationem & priuationem absolutè recensent, diuidentes illud absolutè in relationem, priuationem, & negationem cum S. Th. *dicta q.* 21. *de verit. art.* 1. *& in* 1. *dist.* 2. *q.* 1. *art.* 3. *& dist.* 19. *quæst.* 1. Quæ diuisio desumpta est ex Arist. *lib.* 4 *Metaph. cap.* 1. iuncto quod dicit *lib.* 5. *cap.* 7. *&* 15.

## *Propositio* 1.

36 Nulla negatio est quid existens à parte rei suâ qualemcũque habens essentiam ab omni ente positiuo distinctã ante omnem nostri intellectus operationẽ.

Hæc propositio directè opponitur sententiæ primo locò relatæ. Probatur autem primò; quia si negatio esset aliquid à parte rei vere consistens, vt ponitur ab Auctoribus dictæ sententiæ, negatio re verâ esset ens positiuum ab omni ente positiuo distinctum, quod est contradictio in ipsis terminis. Esse quippe conceptum aliquem ens positiuum nihil est aliud, quam esse quid positum, vel ponibile per existentiam à parte rei. Ob id namque secundum omnes conceptus entis positiui à conceptu potentis existere, vel actu existentis nihilo differt; Siquidem ens concretum est aut ex actu essendi, aut ex potentiâ ad essendum, & ex subiecto, quod actu est, aut potest esse prout est explicatum *q.* 1. si igitur negatio re verâ quid est aut actu existens, aut potens existere, nihil in eâ potest desiderari, quominus sit reuera ens positiuum, aliundeque ponitur ab omni ente positiuo distincta: ergo. 37

Dices, ideo negationem non esse ens positiuum, tametsi reuera ponatur per sui existentiam à parte rei: quia per suam essentiam amplius non habet, quam esse meram remotionem entis positiui. Sed contra primò, quia eo ipso, quod negatio per sui existentiam ponatur in rerum natura, nequit non habere alia prædicata propria entium positiuorum, præterquam esse remotionem entis positiui; aliundeque prædicatum hoc obstare non potest, quominus ea dicatur esse ens positiuum: ergo non est cur excludatur à classe entium positiuorum. Consequentia est bona. Probo antecedens. Nam eo ipso, quod negatio ponatur existens, imprimis nequit non habere prædicatum existentis, & prædicatum potentis existere, quæ sunt prædicata constitutiua entis positiui, vt iam diximus. Deinde nequit non vel existere per se, quod est prædicatum constituiuum substantiæ, vel existere in alio, quod est prædicatum constitutiuum accidentis. Præterea nequit non esse aut quid aliquo modo impenetrabile cũ alienis corporibus, quod est prædicatum entium corporeorum, aut quid nullomodo impenetrabile cum corpore; quod est prædicatum entium spiritualium. Denique nequit non esse quid simile, vel dissimile aliis rebus, aut negationibus; quid eis æquale, vel inæquale; quid illis commodum, vel incommodum, vtile, vel inutile; quæ sunt prædicata entium relatiuorum *&c.* Iam quod prædicatum remotionis, in quo potissimũ negatio consistere dicitur, non obstet, quominus ea sit ens positiuum; ex ipsâ Aduersariorum doctrinâ constat, apud quos vt negatio est actualis remotio entis, ita etiam ens est actualis remotio negationis. Nec est, cur ex duobus extremis inuicem se formaliter remouentibus alterum non sit ens præ altero titulo talis remotionis præcisè. Vnde secundam impugnationem solutionis datæ desumo. Nam semel statuto, quod negatio suam habet essentiam ponibilem per existentiam in rerum naturâ; nulla suppetere potest aduersariis idonea ratio cur ex duobus extremis contradictionis alterum præ altero dicatur esse ens positiuum. Etenim si negatio vnionis e.g. remotio est per suam essentiã ipsius vnionis, etiã vnio per suam essentiã est remotio ipsius negationis: & si vnio alia habet prædicata essentialia præterquã esse remotionem ipsius negationis; etiam negatio, vt vidimus, habet alia prædicata essentialia præterquã esse remotionẽ ipsius vnionis; & si vnio quædã relatio est ponibilis per existentiã in rerum naturâ; etiam negatio est quædã relatio ponibilis per existentiam in rerum natura. Cur ergo vnio præ sua negatione dicenda est ens positiuum, potiusquam vice versâ?

Hinc ad probandam secundò propositionem per- 38

go.

go. Nam semel statuto, quod negatio ponitur à parte rei per sui existentiam, non potest non illa poni vel à se, vel ab alio, vt est notissimum. Ast à se poni, quando est contingens, prorsus est impossibile; quia nihil potest sibi ipsi dare, aut à se ipso accipere esse, quod contingenter accipit, qualecunque demum illud sit, vt fert axioma notissimum iuxta, ac receptissimum in materiâ de causis. Igitur ponitur ab alio: ab alioque subinde accipit esse, & existere, quod habet, qualecunque sit illud. Ergo infinitæ negationes contingentes, quæ veræ ab æterno extiterunt, iuxta sententiam aduersariorum, à Deo acceperunt suum esse, & existere. Ab sese enim vicissim, aut aliæ ab aliis cum progressu infinito accipere non potuerunt, vt etiam constat ex principiis notis, receptisque in materiâ de causis. Ergo infinitæ negationes contingentes ab æterno sunt factæ à Deo: siquidem accipere aliquid ab alio suum esse, & existere, ab eoque fieri in idem recidit manifeste. Ergo Deus ab æterno produxit infinitas veras essentias à se realiter distinctas. Quod plane videtur absurdum Catholico dogmati contradicens. Quod si negationes contingentes entium videlicet contingentium suum qualecunque esse à Deo tanquam à causa debent accipere. Tantumdem consequenter venit dicendum de negationibus necessariis entium impossibilium, quas veras itidem, & ratas essentias, atque existentias habere plerique ex aduersariis concedunt; nec sine apertâ inconsequentiâ negare possunt. Dici enim nequit, nisi chymæricè, & ridiculè has negationes habere suum esse à se, sicuti habet Deus, vt ex dicendis apparebit. Ex hoc autem aliud absurdum sequitur. Deum nimirum non vtcunque; sed necessario, & absque omni libertate produxisse ab æterno, esseque in æternum conseruaturum infinitas essentias à parte rei distinctas à se. Quod est cõtra aliud dogma catholicum de libertate, quam Deus habet in cunctis, quæ producit ad extra.

39 Tertiò probatur propositio. Quia negationi, vt ponitur ab aduersariis, omnes proprietates entis positiui conueniunt. Igitur non est quid distinctum ab omni ente positiuo: consequentia est bona. Probo antecedens: quia hoc ipso quod negatio suam qualemcumque essentiam, & existentiam habet, non test non esse illa, vel vna, vel plures; non potest non esse ab aliis distincta; non potest non esse vera, id est, per iudicium affirmatiuum iudicabilis etiam à Deo talique iudicio conformis; non potest non esse bona, æstimabilisque subinde, & amabilis; idque multis, variisque titulis, sicut cætera entia. Quinimo negationes entium impossibilium perfectionem habebunt ex suo genere infinitam, vtpotè nulli entium positiuorum, præterquã vni Deo, quadrantem, nimirum necessitatem omnimodam essendi, & existendi. Quod quis non reputet absurdum?

40 Quartò probatur propositio, quia ex oppositâ sententiâ nonnulla sequuntur, quæ in Philosophiâ iure reputantur absurda. Imprimis enim quando aliquod ens corrumpitur, quæro. Aut negatio succedens illi est eadem numero per quam ipsum toto tempore antecedente ad suam existentiam non extitit, aut est alia distincta numero à priore? si primũ? Ergo de facto idem numero existens semel corruptum naturaliter reproducitur. Quod communiter reputatur absurdum. Si secundum. Ergo negatio pullulans, quando ens corrumpitur, tunc primo incipit existere, ab æternoque subinde non extitit per aliam negationem sui, dataque fuit ab æterno negatio quædam negationis. Quod etiam absurdum reputatur. Deinde ex sententiâ oppositâ sequitur non solum vnum, sed infinities infinita dari infinita multitudinis de facto existentia in naturâ rerum, totidẽ enim sunt entia non existentia, possibilia & impossibilia; quorum subinde iuxtà Aduersarios totidem negationes existunt reipsa de facto. Hoc autem esse absurdum in Philosophiâ constat: quia licet multi opinentur esse possibile infinitum actu productum; omnes tamen negant illud dari de facto ducti argumẽtis, quæ citra dubium de infinitis negationũ idem probant, ac de infinitis entium, posito quod negationes sint tales, quales ponuntur ab aduersariis. Deniq; quis non censeat absurdum, tot mundos negatiuos, seu negationibus constantes de facto existere, quot sunt possibiles positiui de facto non facti? Quis non censeat ridiculum, vnumquodq; ens existens tot negationibus sibi re vera inhærẽtibus onustũ esse, quot sibi sunt possibiles, atque etiã impossibiles positiuæ inhæsiones, quorumcumq; aliorum entium possibilium, impossibiliũ que? quæ quidẽ negationes infinities sunt infinitæ, vt constat. Mitto alia huiusmodi.

Proboque quintò propositionem ab aliis absur- 41
dis, quæ in Theologiâ ex oppositâ sententiâ sequi videntur. Primum est. Deum omnimodis necessitatũ esse ad ponendas & conseruandas in rerum natura infinitas essentias à se realiter distinctas, aut saltem ad eas non auferendas siue vitandas, quandoquidem nullam negationem necessariam entium impossibilium vitare potest; ex duobus autem quibusque contradictionis extremis contingentibus, alterutrum, ponere, aut saltem sustinere tenetur, neque vtrumque simul potest vitare. Quod certè dominio diuino plane videtur derogare. Si enim dominium diuinum apertè esset limitatum, & imperfectum, casu quod Deus nulla potentia vitare posset existentiam cuiusuis entis à se distincti, quo pacto non erit limitatum, & imperfectum, si nulla potentia vitare potest existentiam infinitarum negationum, infinitorúmque disiunctorum ex negatione & ente oppositorum, quandoquidem negatio ex suo genere quid imperfectius est quouis ente, maiorẽque imperfectionem dominij arguit non posse illud prævalere cõtra aliquid debilius, & imperfectius, quàm non posse prævalere contra aliquid perfectius & robustius? Hinc consequẽs est secũdum absurdum. Quoniam necessitas existentiæ negationis, aut alterius partis disiuncti ex negatione, & ente, planè etiam derogat omni potentiæ diuinæ; nam quæ infinitudo omnipotentiæ est, quæ ab vniuersitate rerum infinitas debiles valde, & imperfectas essentias nequit excludere, easve existẽtia priuare? Aut quo pacto est omnipotens ille, qui à talium essentiarum consortio se non potest eximere? Tertiò absurdum est dicere, Deum non posse vitam agere solum, & absque comitatu tot vmbratilium existentium, eiusmodique subinde comitatum per suam essentiã exposcere, veluti ipsius ad vitam transigendam indigum, vt ex vberius dicendis *suo loco de independentia & sufficientia Dei* constabit. Hoc autem in sententiâ oppositâ necessariò dicendũ est. Quartò. Absurdum est etiam concedere Deum necessitatum esse ad amandum tot obiecta imperfectionibus scatentiâ, quot sunt vel entia possibilia, vel ipsorum contradictoria. Quod etiam ab aduersariis est necessario concedendum. Siquidem Deus nequit non ponere existens alterutrum ex duobus quibusque extremis contradictionis, & neutrum aliter quam medio actu voluntatis ponere potest. Quinto ex ipsis terminis apparet satis clarè esse absurdum dicere, vt est ab aduersariis dicendum, aliquid perfectionis finitæ, quale est omne

à Deo distinctum, absolutam necessitatem habere existendi: quia absoluta necessitas existendi vim infinitè resistitiuam non existentiæ, meritúmque infinitum existendi præ se fert, quod soli perfectioni infinitæ potest competere. Ob id omnis perfectio finita habens eo ipso sibi admixtam imperfectionem, necessario debet esse contingens, quia partim meretur titulo perfectionis, & partim titulo imperfectionis demeretur existere. Vnde rursus infertur; si negatio nullam perfectionem dicit ex suo conceptu, vt aduersarij censent eo ipso nullum eam meritum existendi habere, & consequenter penitus esse nihil. Sit denique sextum absurdum ex sententia aduersa sequutum, Deum infinitas essentias à se distinctas intrinsecè sibi inhærentes de facto habere, quales sunt negationes omnium accidentium, inhærentiarumque eorum, quæ Deus vtpotè sibi repugnantia reuera non habet in se intrinsecè: idem quippè est iuxta aduersarios, non habere in se Deum intrinsecè talia accidentia, & inhærentias, atque habere intrinsecè in se negationes eorum. Mitto alia.

42 Et probo sextò propositionem: quia nihil est adstruendum existens in natura rerum sine vrgente necessitate, vt commune Philosophorum principium est. Sed nulla est necessitas, imo est opposita impossibilitas, ad adstruendum tot existentia ab entibus positiuis distincta, quot sunt entia, quæ non existunt, qualiter adstruunt aduersarij, vt ex dictis, & dicendis perspicuum fiet. Ergo.

43 Septimò. Quo fundamento asseritur negationem existentiæ cuiusuis entis esse quid existens re ipsâ ab omni ente positiuo distinctum, eodem consequenter est asserendum negationem identitatis vniuscuiusque entis cum alio esse quid etiam existens re ipsa ab omni ente positiuo distinctum. Quandoquidem non minus est vera hæc propositio negatiua. *Petrus non est Paulus*, quàm hæc. *Petrus non existit.* sed secundum sine idoneo fundamento asseritur, quia prorsus est falsum: ergo nec primum est asserendum. Probo minorem: quia si negatio identitatis vniuscuiusque entis cum alio quid esset existens ab omni ente positiuo distinctum, illud quidem nulla ratione esset cognoscibile à Deo, vt constat ex doctrinâ tactâ *disputatione 2. quæstio 3.* tradendaque ex professo *infra disputatione 11.* At hoc manifestè est absurdum. Ergo. Hæc satis. Pergo.

## *Propositio 2.*

44 Negatio entis obiectiua neutiquam consistit formaliter in positiuo impedimento entis negati ipsi essentialiter oppositio.

Hæc propositio est contra Auctores priori loco relatos *supra* pro secundâ sententiâ. Probatur autem primò auctoritate Aristotelis, & omnium Philosophorum, & Theologorum diuidentium hactenus oppositionem in contrariam, contradictoriam, priuatiuam, & relatiuam; atque adeo sententiam contrariam à contradictoriâ diuersam esse; quod in aduersariorum sententiâ locum non habet; siquidem apud eos oppositio inter ens, & eius negationem, quæ est contradictoria, aliud non est ab oppositione inter duo entia, quorum vnum impedit alterum, quæ est oppositio contraria.

45 Secundò probatur: quia vel ex ipsis terminis videtur notum hoc quod est secundum mundum non existere, diuersum quid esse formaliter ab eo quod est existere positiuè aliud quidpiam, quandoquidem independenter ab eo quod existat aliud quidpiam, vel secus, talisque existentiæ prorsus immemores negare possumus, sæpeque de facto negamus existere secundum mundum. Ego profectò nunquam credam idem esse in rustico homine, aut etiam in sapiente credere non esse secundum mundum, ac credere esse positiuam nolitionem in Deo de secundi mundi existentiâ, quæ est eius positiuum impedimentum.

Tertiò: hæc propositio planè videtur certa, & 46
euidens. *Si nullus actus Dei liber existeret, nulla existeret creatura.* Ergo creaturam non existere, non est formaliter existere aliquid incompatibile cum creatura. Probo consequentiam: quia casu quod nullus actus Dei liber existeret, nihil existeret cum creatura incompatibile, cum constet omnia Dei necessaria cum illa compati; & tamen tunc, vt propositio data in exemplum fert, verè creatura non existeret. Dices talem propositionem esse de hypothesi obiectiuâ impossibili, ex quâ subinde sequitur simul non fore creaturam & fore. Sed contra: quia ex tali hypothesi, licet sit impossibilis, non sequitur per locum, vt aiunt, intrinsecum, fore creaturam, sed tantum non fore: cum certum sit creaturam absque omni actu libero Dei simpliciter esse non posse: vnde ex tali hypothesi, quātumuis impossibili optimè arguitur ad propositum, optimèque probatur conceptum negationis creaturæ à conceptu impedimenti positiui ipsi creaturæ oppositi diuersum esse iuxta vniuersalem regulam bene, & vtiliter arguendi ab impossibili hypothesi, quam *infra suo loco* exhibebimus. Dices aliter, hypothesim propositionis datæ in exemplum inuoluere contradictionem in terminis: quia cum vnus actus liber voluntatis diuinæ non possit deficere, nisi per positionem alterius, supponere nullum existere est simul supponere existere omnes, qui sunt non existentia aliorum. Sed contra iterum primo, quia petis principium. Ego enim contendo nullum actum diuinum esse formaliter non existentiam alterius; aliundeque ex ipsis terminis videtur notum hypothesim actualem de non existentia omnium nullatenus esse hypothesim de existentia alicuius: quia omnes penitus illa excludit, neque vllum adstruit, vt iam iam monstro. Contra enim est secundò, quod iuxta meam & Recentiorum, cum quibus ago, sententiam, sicut per iudicium negatiuum, quod quidam recessus est ab obiecto negato, siue quædam actualis remotio eius, nihil omnino obiecti iudicati adstruitur, sed totum penitus excluditur, & remouetur; Ita per actualem hypothesim negatiuam, quæ pariter per modum recessus, seu remotionis versatur circa suum obiectum, nihil omnino illius adstruitur, siue positiuè supponitur, sed totum penitus suppositiuè remouetur. Ergo per hypothesim propositionis datæ in exemplum, quæ negatiua est, ita supponitur, nullum actum liberum Dei existere omnium omnino remouendo existentiam, vt minimè simul adstruatur existentia alicuius: ergo talis hypothesis nullatenus inuoluit contradictionem in terminis, etiam si nullus actus Dei liber possit deficere, nisi existente oppositō; à quo præscindit dicta hypothesis. Nec dici potest non posse intellectum per hypothesim negatiuam remouere suppositiuè omnes actus Dei liberos, nisi adstruendo simul suppositiuè omnes per hypothesim positiuam, hoc ipso quod nullus reuerâ potest deficere, ni ponatur eius oppositū. Nam hoc apertè est contra experientiam, & contra rationem: Contra experientiam quidem: quia quisque experitur posse se interius per actus intellectus, sicut & exterius

exterius per voces facere hypothesim negatiuam de non existentiâ omnium actuum Dei, quin simul faciat positiuam de eorumdem, aut aliquorum existentiâ. Contra rationem autem, quia cum hypotheses à quouis intellectu oriundæ ex sua natura sint præcisiuæ vnius obiecti ab alio, saltem quando ea realiter inter se distinguuntur, vt est notissimum, nihil est quod vetare possit fieri hypothesim negatiuam de quouis obiecto, quin fiat positiua de oppositо; vel vice versâ; stat ergo per veritatem conditionatam in exemplum adductam bene propositionem nostram probari, etiam si eius hypothesis obiectiua sit impossibilis.

47 Quartò probatur propositio: quia quàm euidens est ens creatum aliquo alio à se distincto ad existendum indigere, tam euidens esse videtur ad non existendum penitus indigere nullo: imò quo magis indiget alio ente, vt existat, eominus vt non existat, indiget illo: quia certius, firmiúsque non existet non existente, quàm existente eo, quo indiget ad existendum. Vnde licet nullum ens creatum possit de facto non existere, quin existat aliquid positiuum ipsi essentialiter oppositum, quia vt minimum debet existere in Deo iudicium essentialiter verum de talis entis non existentia, cum quo eius existentia compati nequit; attamen ad talis entis non existentiam, necunde tale positiuum requirebatur: quia quantum ex parte sui est, æque tale ens non existeret, imo magis firmiter, magisque necessariò non existeret, si omne aliud ens positiuum, ipseque Deus per impossibile deficerent, iuxta argumentum numeri præcedentis. Ex quo patet non existere ens diuersũ quid esse ab existere impedimentum positiuum eius.

48 Quintò vnius entis communi conceptione omnium vnica tantùm datur negatio. Sed si negatio entis esset impedimentum positiuum entis negati, sæpe darentur plures negationes eiusdem entis, quia sæpe dantur plura eiusmodi entis negati impedimenta. Ergo.

49 Sextò. Si negatio esset impedimentum positiuum actus negati, negatio plerumque aut semper esset quid melius & amabilius, quàm ens negatum, quia plerumque, aut semper esset aliquis actus diuinus. Tum, qui odio haberet alicuius entis negationem, plerumque, aut semper odio haberet aliquem actum voluntatis diuinæ, vnde etiam contra rationem, aut etiam illicitè existentia entis, præ non existentiâ eius appeteretur. Eoque magis æstimabilis, ac amabilis esset etiam à Deo negatio cuiusuis actus honesti creati, quàm actus ipse, quò magis est æstimabilis, & amabilis actus diuinus quam creatus. Quemadmodum etiam negatio cuiusuis boni physici melior, & amabilior esset, quam ipsum bonum. Quæ omnia, & alia plura similia, quæ ex sententia aduersa sequuntur, apertè videntur absurda.

50 Septimò Hæc propositio. *Quolibet est vel non est* plane est euidentior quam hæc. *Quodlibet est, vel aliquod eius impedimentum positiuum.* Tum prima à nemine est negabilis. Secunda ab omnibus, qui puras omissiones admittunt, sæpe negatur. Igitur non habent ambæ idem obiectum, vt tenet sententia, quam impugnamus. Et confirmari potest: quia hæc propositio *Deus est, vel non est*, ex terminis est euidentissima, sed talis non est hæc. *Vel Deus, vel aliud ens ipsi oppositum est*, vt constat. Ergo.

Octauò. Negatio non est cõceptibilis à nobis sine ente negato. Sed impedimentum positiuum est conceptibile à nobis sine ente impedito: ergo negatio ex suo conceptu formali non est positiuum impedimentum ipsius entis negati. Confirmatur: quia negatio ex suo conceptu mera remotio est entis negati, tale autem non est impedimentum positiuum eius, vt constat. Imo neque videtur intelligibile quomodò verum ens positiuum sit remotio alterius formalis tituli oppositionis, quam habet cum illo, cum valde diuersi conceptus sint, non posse vnum coexistere alteri, & esse ipsam non existentiã eius.

Nonò. Deus omnem actum suæ voluntatis liberum potuit per puram omissionem omittere: ergo potuerunt cuncta creabilia non esse citra omne impedimentum positiuum, per quod remouerentur ab esse, atque adeo negatio entium nullatenus in eorum impedimento positiuo consistit. Consequentia est bona: quia positâ purâ omissione omnium actuũ liberorum voluntatis diuinæ, ex vnâ parte mundus verè non existeret, ex aliâ nihil positiuum existeret essentialiter incompatibile cum existentiâ eius præter actum scientiæ absolutæ resultantis in intellectu diuino de ipsius non existentiâ; talem autem actum fore negationem mundi dici non potest: quia intellectus diuinus, vtpotè potentia non libera illum concipere non posset, nisi determinatus à non existentiâ mundi aliunde suppositâ vt à veritate obiectiuâ: quocirca per eiusmodi actum neutiquam impediretur, remoueretúrve mundi existentia, sed aliunde iam per puram omissionem non posita, excluſâque supponeretur, vt est notissimum. Firmúmque stat proinde citra omne impedimentum positiuum remouens existentiam mundi mundum non fore casu quod Deus circa eius creationem purè omnissiuè se habuisset. Potuisse autem sic se habere, quod est antecedens facti argumenti, ex professo probandum est *in Tract. de volunt.* Probationum capita succinctè recensita sunt. Primum, quod non minus spectat ad perfectionem libertatis, ac dominij Dei posse abstinere ab omni actu voluntatis interno, quàm ab omni externo omnipotentiæ, qui versatur quoquo modo circa creaturas. Secundum: quia id etiam spectat ad perfectionem honestatis diuinorum actuum: essent quippe singuli mĩnus honesti moraliter, si Deus non posset omnes simul omittere: quia aut tota singulorum honestas, si ponantur honesti æqualiter, aut saltem pars, si inæqualiter, non esset libera imputabiliter. Tertium, quia necunde potest necessitari Deus ad volendum, aut nolendum creaturas; cum horum tam bonitas, quam malitia simpliciter finita sit, & non pura, sed mixta. Quartum: quia si Deus esset necessitatus ab intrinseco ad volendum, aut nolendum efficaciter, directéque creaturas, vel reflexè volitionem, aut nolitionem efficacem eorum, esset per essentiam connexus cum possibilitate creaturarum, quam actus isti suapte essentiâ supponunt. Quod tamen ei repugnat, vt constabit ex dicendis *Tract. de scient.* Mitto alia *ad citatum locum.* 51

Decimo. Longè certius, & communius apud Auctores est, posse voluntatem creatam purè omissiuè se habere circa suos actus liberos. Quàm autem id verum sit, ex dicendis à me latè *in eodem Tract. de voluntate* constabit. Quibus modo suppositis, plane sequitur; posse aliquod ens non esse in rerum natura absque impedimento vllo ipsum positiuè excludente. Si enim posito ex parte Dei decreto tantum indifferente concurrendi cum voluntate creatâ ad actũ, vel omissionem actus, ipsa purè actum omittat, remera non existet actus, quin aliquid in rerũ natura existat cum actu ipso incompatibile præter scientiam Dei absolutam de eius non existentiâ, quæ impedimentum esse nequit excludens existentiam actus, vt dictum est *numero præced.* 52

54 Vndecimo denique probatur propositio nostra. Quia quoties ens aliquod antea existens citra omnis contrarij exigentiam in tempore corrumpitur à Deo, ab eo vtique tempore incipit tale ens non existere; à quo tamen nullum omnino incipit positiuum impedimẽtum eius: quia nihil extra Deum, quod tali enti sit contrarium incipit ex tunc esse vt supponimus: nolitio autem diuina de talis entis existentiâ non incipit ab eo tempore esse, quia fuit ab æterno: ergo negatio talis entis in nullo impedimento positiuo oppositio ipsi enti consistit. Confirmatur, & declaratur. Ponamúsque, quo plus se vis argumenti explicet, Deum corrumpere in instanti B. totum mundum, qui vsque ad instans antecedens A inclusiue extitisset; proindeque in instanti B. nullũ omnino ens positiuum præter Deum cum suis decretis existere, talem enim casum esse simpliciter possibilem indubitabile est. Tum sic. Mundum non esse, incipit in instanti B; nihil positiuum incipit in instanti B: ergo mundum non esse non est aliquid positiuum. Syllogismus est in *Baroco* secundæ figuræ. Maior est euidens: quia incipere mundum non esse in instanti B, seu, quod idem est, incipere in instanti B, hoc quod est mundum non esse, nihil est aliud, quam mundum extitisse in instanti A, & non existere in instanti B, quod vtrumque ponimus in casu. Minor etiam est certa: quia iuxta ipsam casus suppositionem nihil omnino positiuum distinctum à Deo cum suis decretis incipit esse in instanti B, quod non fuerit in instanti A; multo autem minus in instanti B incipit esse aut Deus, aut vllum eius decretum: quia quia omnia fuerunt ab æterno. Igitur consequentia negari non potest.

55 Respondebit aliquis decretum Dei de non existentia mundi pro instanti B. non vtcunque esse impedimentum excludens mundum ipsum, sed vt coniunctum cũ ipso instanti B, siue vt existẽs: vt sic autẽ, in ipso instãti incipere esse, etsi entitatiuè ab æterno exiterit. Atque adeo incipere mundum non existere in instanti B. idem esse formaliter ac incipere in instanti B tale decretum, prout ipsi instanti coëxistens. Quo inconcussa videtur stare sententia opposita. Nam licet instans B. de quo est sermo in casu argumenti, nihil reale sit absolutè existens, quia est instans temporis imaginarij; est tamen aliquid possibile, quale est tempus ipsum imaginarium, capacitas scilicet, seu possibilitas instantis realis. Quod satis videtur vt decretum Dei supradictum per correspondentiam cum tali instanti euadat impedimentum existentiæ mundi, atque adeo negatio eius. Cæterum solutio hæc, & si in sententia mea possit habere locum, qui compono tempus imaginarium ex quibusdam possibilitatibus durationum successiuè fluentibus, vt exponam suo loco. At in sententiâ Recentiorum, cum quibus ago, locum non habet. Apud eos enim nulla entium possibilitas potest esse successiuè fluens: quia omnis omnino est identificata cum Deo. Quocirca in eorum sententiâ non video qui possit argumentum factum dissolui.

## *Propositio 3.*

56 Negatio entis in ipso ente negato inquantum proximè negabili non consistit; vti dicebant Recentiores *suprà* secundo loco relati pro secundâ sententiâ.

Duo enim continebat eorum sententia. Alterum. Ad hoc vt ens non existens proximè negabile sit, & consequenter vt negatio formalis eius subsistat, necessariũ esse, quod aliud quidpiam positiuũ tali enti oppositum, ipsumque impediẽs reipsâ existat Alterum semel tali impedimento existente, quod negationem fundamentalem vocabant, formalis negationis conceptum in recto dicere ens ipsum negatum, in obliquo autem dictum impedimentum, aut etiam iudicium seu actuale, seu possibile, à quibus illud negabile proximè euadit, siue denominatur. Ex quibus duobus primum, quod difficultatem de re, & maioris momenti habet, abundè est iam confutatum *propos*it. 2. secundum autem, cuius controuersia & parui momenti, & ferme de solo modo loquendi est, inde vno verbo confutatur: quia nomine negationis nemo hactenus ens negatum, sed potius conceptum quemdam obiectiuum ipsi enti negato oppositum intellexit. De quo conceptu controuertimus in tota præsente quæstione, an sit aliquid habens esse reipsâ; idque an mere negatiuum, an positiuum an potius re ipsâ sit prorsus nihil, solumque in nostra imaginatione, siue apprehensione habens esse.

Verum quidem est iudicium negatiuum (quo 57
solo ab intuentibus potest iudicare ens non esse) dumtaxat habere pro obiecto ens ipsum negatum; in quod par modum cuiusdam recessus, seu potius remotionis tendit, vt ostendimus *disp.* 8. *q.* 4. *propos*it 4. vt tamen tale iudicium sit verum, reipsâ tale obiectum debet esse remotum, seu non habens esse physicè, prout iudicium ipsum prætendit. Inde enim fiet vt verè illud sit negabile iudicio negatiuo; ad hoc tamen vt tale sit, non est necesse, quod existat re ipsâ aliud quidpiam ipsum impediens: quia citra omne impedimentum sibi oppositum potest ens verè non existere, atque adeo ens verè negabile esse, iuxta doctrinam statutam *propos*it. 2. vnde si nomine negationis veritatem obiectiuam iudicij negatiui significaremus; quærenti, quid esset negatio, bene responderetur esse ens reipsa remotum, seu non habens esse, & consequenter verè negabile iudicio negatiuo. Nec amplius videntur intendere Recentiores, cum quibus agimus. Cæterum, quia nos per aliud quid ab ente negato distinctum imaginamur illud obiectiue excludi, seu remoueri; atque ita modò per iudicium negatiuum propriè iudicamus ens non esse; modò per affirmatiuum æquiualenter, sed minus propriè esse carentiam, seu negationem, seu remotionem eius, idcircò nomine negationis, remotionis, seu carentiæ, aut etiam nomine non entis, non quidem ipsum ens negatum, aut prout non habens reipsâ esse, aut prout verè ab intellectu negabile, sed id per quod nos apprehendimus illud obiectiuè negari, seu remoueri significamus. De quo *in præsente q.* quærimus, quodnam sit?

Id supereſt notandum, ſtando rigori ſermonis, 58
per verba negatiua noſtris iudiciis negatiuis correſpondentia, vt *non exiſtit*, *non eſt*, *non legit* &c. obiectum ipſum negatum, non quidem vt negabile formaliter, ſed ſecundum ſe præciſè ſignificari ſignificatione quadam receſſiua, ſeu remotiua, ſimilique in modo tendendi iudicio negatiuo, cui talis ſignificatio reſpondet. Per verba autem affirmatiua dictis negatiuis æquiualentia, vt *deeſt*, *caret*, *deficit* &c. illum conceptum obiectiuum ſignificari poſitiuè, per quem nos tanquam per extremum oppoſitum imaginamur obiectum negabile remoueri, excludi, aut deſinere eſſe, idemque poportione ſeruata dicendum venit de nominibus eiuſmodi verbis ſeu negatiuis, ſeu poſitiuis annexis, vt *non exiſtens*; *non exiſtentia*, *carens*, *carentia* &c.

Quare,

Quare, si quis diceret non ens vniuerse loquendo esse ipsum ens negatum; negationem verò entis esse id, quo à nobis ens obiectiue negari, siue remoueri concipitur, non parum apte loqueretur. Quia tamen in communi vsu non ens, & negatio entis pro eodem vsurpantur, pro eodem & nos vsurpabimus, nisi pro rei declaratione aliud quandoque expediat.

## *Propositio 4.*

59 Negatio obiectiua formalis re vera nihil omnino est extra intellectum humanum eam ac si esset aliquid concipientem, cum fundamento tamen ex parte rerum, quando cum veritate concipitur.

In hãc propositionem conueniunt omnes Doctores *supra* pro tertia sententia relati. Eaque iam satis, superque probata manet per præcedentes propositiones. Si enim negatio obiectiua formalis neque est aliquid negatiuum ab omni ente positiuo distinctum, vt *propos.* 1. probatum est, neque est aliquid positiuum distinctum ab ente negato, ipsique oppositum, vt ex *propos.* 2. constat. Neque est ipsum ens negatum, prout constat ex 3. plane conficitur penitus esse nihil extra intellectum nostrum, eam ac si esset aliquid concipientem.

60 Sed quodnam est fundamentum ex parte rerum requisitum ad hoc vt cum veritate concipiatur negatio. Dico, quod vere non sit illa res, cuius negatio esse concipitur. Si quæras: quid sit talem rem vere non esse. Dico ex terminis id esse notissimum, neque clarioribus terminis explicabile; siue sit sermo de non esse rem existentialiter, siue de non esse rem essentialiter, siue quidditatiue. Vt enim quærenti. Quid sit Petrum existere, aut Petrum esse Petrum? iure respondetur: id esse ex terminis notissimum, neque clarioribus terminis explicabile, vtpote quod ex terminis primis, atque indefinibilibus constat, iuxta generalem definiendi doctrinam à nobis *suo loco* tradendam, ita quærenti. Quid sit Petrum non existere, aut Petrum non esse Ioannem? Pariter vtique est respondendum ob eamdem rationem. Sat sit scire Petrum non existere non esse dari quidpiam in statu existentiali, sed potius non dari. Sicut Petrum non esse Ioannem, non est dari quidpiam in statu quidditatiuo præter Petrum & Ioannem, sed potius non dari. Vtrum autem per negationem identitatis inter Petrum & Ioannem, aliasque huiusmodi vere remoueatur aliquid in se conceptibile ab statu quidditatiuo, vti per negationem existentiæ Petri, & aliarum rerum vere res ipsæ remouentur ab statu existentiali. Et quo pacto inter se differant hæ negationes, *inferius disp.* 10. & 11. explicabimus: postquam de natura huiusmodi statuum egerimus.

61 Rogabis præterea. An negatio obiectiua formalis sit ens rationis fictum, vel dumtaxat suppositicium. Dico dumtaxat esse suppositicium. Quia licet re ipsa sit prorsus nihil, intellectus tamen noster, dum eam per phantasma substitutum positiuè cognoscit, aliud cognoscere non prætendit præter ipsam negationis nihileitatem, atque adeo non fingit. Potest quippe intellectus noster id, quod in se re vera est nihil, & consequenter in se nullatenus cognoscibile, in substituto alieno cognoscere, hoc est, in phantasmate sensibili pro ipso nihilo subrogato: quo casu eum aliud à nihilo ipso in tali phantasmate non cognoscat re vera non fingit; quia eius cognitio æquiualenter habet obiectum verum, hoc ipso, quod æquiualenter est idem respectu nostri intellectus iudicare, à parte rei non esse aliquid per iudicium negatiuum, seu recessiuum, quale habent etiam intuentes, ac iudicare à parte rei esse nihil, per iudicium affirmatiuum, quale intuentes, & quicumque per species proprias intelligunt, nullatenus possunt habere. De quo plura *suo loco*.

## Diluuntur argumenta contraria.

Contra doctrinam stabilitam in præcedentibus 62
propositionibus multa opponi possunt. Sit primum. A parte rei vere dantur cæcitas in homine cæco; Tenebræ in aëre tenebroso; negatio identitatis inter entia distincta; aliæque huiusmodi negationes. A parte rei etiam re vera extitit ab æterno negatio mundi, hoc ipso quod mundus existere cœpit in tempore. Tum Aristot. *lib.* 1. *Phys. cap.* 3. priuationem posuit principium generationis naturalis. Igitur falsum est negationem à parte rei penitus esse nihil. Respondeo propositiones, quibus eiusmodi negationes dari à parte rei affirmantur, æquiualenter esse veras, non quia negationes affirmatæ, vere sint aliquid à parte rei: sunt enim, vt ostendimus, omnino nihil: sed quia æquiualenter est idem comparatione nostri intellectus affirmare dari à parte rei tales negationes, quadamtenus illas adstruendo iudicio affirmatiuo; atque negare dari à parte rei entia, quæ negant illa excludendo, seu remouendo iudicio negatiuo: est autem verissimum in homine, quem cæcum vocamus, à parte rei non esse visum, in aëre, quem tenebrosum dicimus, à parte rei non esse lucem: inter entia distincta à parte rei non esse identitatem, &c. Non esse autem à parte rei eiusmodi entia, non est esse à parte rei aliquid, sed potius non esse, seu esse nihil, vt ex terminis est notissimum, iuxta paulo ante dicta. Ex quo patet quam verum sit mundum ab æterno non fuisse, quin ab æterno extiterit aliquid re vera, in quo constiterit negatio eius. Ad Aristotelis testimonium respondeo eatenus illum inter principia generationis priuationem connumerasse *loco citato*, quatenus verum est ex non igne fieri ignem, ex non planta fieri plantam, &c. Sicut est verum ex non musico fieri musicum, ex frigido calidum, &c. vt ibi latius explicauimus. Hoc autem semper manet verum, quantumuis sit nihil priuatio formæ per generationem productæ. Quid namque id interest vt subiectum per solam acquisitionem formæ, qua antea carebat, dicatur ex non habente formam transire in habens formam? Ex quo patet mutationem ex priuatione ad habitum à parte rei non esse transitum de vno extremo habente aliquod esse ad aliud, sed tantum de non esse habitus ad ipsius esse; quod idem est, atque esse transitum de nihilo ad aliquid.

Secundum argumentum sit. Quando incipit non 63
existere aliquid, quod antea existebat, vere incipit esse in rerum natura variatio: vere enim minuitur vniuersitas rerum; incipitque esse pars solum eius totius, quod antea erat; atque adeo verus transitus datur ab hoc quod est totum existere ad hoc quod est existere solam partem. Ergo quando incipit non existere aliquid, vere incipit existere negatio eius, quæ subinde aliquam existentiam habet, neque est merum nihil. Confirmatur: quia in instanti, in quo primo creatus est mundus, vere fuit destructa negatio eius; siquidem mundus vere de non esse ad esse transiuit. Ergo. Respondeo ad argumentum, quando incipit non existere aliquid, quod antea existebat, esse quidem in rerum natura

variationem , non quod ponatur existens aliquid , quod antea, non erat , sed quod ab existere remouetur aliquid , quod antea existebat : variatio quippe tam potest accidere per non existentiam eius , quod existebat , hoc est, per reductionem ad nihilum eius,quod erat aliquid, quam per existentiam eius , quod non existebat , siue per reductionem ad aliquid eius quod erat nihil : vnde fit primo in casu posito minui vniuersitatem rerum,inciperéque existere solam partem totius , quod existebat antea, reuera non esse quidpiam poni, inciperéque denuo esse,sed potius tolli, incipereque denuo non esse , nihilo prorsus denuo posito , aut esse incipiente. Fit secundo transitum illum ab existentia totius ad solius partis existentiam re verâ non esse transitum ab aliquo ad aliquid,sed potius ab aliquo ad nihil : qui proinde desitio potius quàm transitus dicendus est : quia incipere aliquid non esse, quod erat , imaginarie tantum est transire de non esse ad esse : reuera enim ad nihil transit , sed penitus desinit esse. Ad confirmationem respondeo : per creationem mundi nihil omnino fuisse destructum, quod anteà esset negatio eius : quia transisse mundum de non esse ad esse,non est transisse de aliquo ad aliquid , sed de nihilo ad aliquid , vt constat ex dictis.

64 Tertium argumentum. Hoc iudicium est verum, atque conforme cum suo obiecto. *Mundus non extitit ab æterno.* Ergo ab æterno fuit reuera eius obiectum:ergo negatio mundi reuera extitit ab æterno:ergo non fuit panitus nihil. Et confirmatur:quia hoc iudicium *Negatio Mundi, fuit ab æterno* communiter reputatur verum. Concesso antecedente argumenti,nego consequentiam : quia vt iudicium negatiuum de non existentiâ mundi ab æterno sit verum , & conforme suo obiecto , tantum requiritur vt verè ab æterno mundus non fuerit. Hoc autem non est aliquid ab æterno fuisse,sed potius non fuisse , & penitus fuisse nihil , vt sæpe dictum est. Iudicium quippe negatiuum nõ tendit in suum obiectum illud adstruendo , seu affirmando,sed potius illud remouendo , & negando : quocirca tunc est suo obiecto conforme , quando obiectum verè non est , vti per ipsum iudicatur non esse. De quo plura *supra disp.2.q.4.proposit.4.* Ad confirmationem respondeo iudicium affirmatiuum de æternâ existentiâ negationis Mundi,communiter reputari verum: quia communiter reputatur æquiualens iudicio negatiuo de non existentia Mundi ab æterno , cùm concipiatur à nobis communiter vice iudicij negatiui ad eamdem ipsius veritatem obiectiuam iudicandam , licet diuerso modo. Cæteroquin si quis per tale iudicium velit, negationem mundi , cuius æternam existentiam affirmat aliquid reuera ab æterno fuisse , aut ab omni positiuo distinctum,aut cum aliquo positiuo identificatum , vt sic eiusmodi iudicium falsum euadet , vt ex dictis hactenus liquet.

65 Quartum argumentum sæpe Deus eligit negationem alicuius entis vt vtilem ad aliquem finem. Negat enim reprobis auxilia efficacia , vt *ostendat diuitias gloriæ suæ in vasa misericordiæ,quæ præparauit in gloriam*, ad Rom. 9. sæpe vult , aut detestatur alicui subiecto , quod amat , aliquam negationem, eo quod illam tali subiecto commodam , aut incommodam videt:procurat enim sæpe,vt sui amici careant bonis temporalibus , de eorumque inopia, quemadmodum,& de peccatorum defectu gaudet,dolens quodammodo vice versa de defectu virtutum sæpe etiam Deus,& nos amamus ,aut odio habemus aliquid , quod à carentia alicuius amabile illud,aut odibile euadit.Cum constet euadere quoduis subiectum bonum à carentia formæ , quæ illud redderet malum , contraque malum euadere à carentia formæ,quæ illud redderet bonum. Peccatum etiam puræ omissionis , si est possibile, vt nos putamus , odibile est à Deo , & à nobis. Ergo falsum est huiusmodi negationes , siue carentias penitus esse nihil;alioquin illæ nec amabiles , nec odibiles, nec cognoscibiles à Deo essent , vt constat.

66 Vt argumentum hoc luculentius dissoluam , aduerto primò , nos quidem , qui titulo cognoscendi per species alienas concipimus negationes vt aliquid, cum verè sint nihil, bene posse circa illas ita conceptas directè , & positiuè per actus voluntatis tum prosequutionis , seu volitionis, tum etiam,fugæ , seu nolitionis versari. Et quoniam sicut in nobis idem est per æquiualentiam per iudicium affirmatiuum intellectus prosequi negationem , atque per iudicium negatiuum fugere ab ente negato, vt paulo antea notabamus , ita pariter idem est per æquiualentiam per volitionem voluntatis prosequi negationem , ac fugere per nolitionem ab ente negato , idcirco mori nostro assuefacti perinde de diuinis actibus,ac de nostris loqui solemus respectiuè ad negationes , & ad entia negata , veræque absolutè sunt loquutiones;tametsi in Deo verè non dentur formaliter illi actus , quos per illas adstruimus: quia saltem dantur æquiualenter in aliis, quos verè Deus habet. Itaque quotiescunque dicitur Deus per aliquem actum voluntatis circa aliquam negationem versari , per æquiualentiam dumtaxat potest esse vera loquutio : quia Deus circa negationem per se spectatam nullum omnino actum aut intellectus,aut voluntatis habere potest, cum ea per se spectata à parte rei prorsus sit nihil. Hoc tamen ipso quod Deus per actum oppositum circa ens negatum versetur, perinde se habet æquialenter , ac si versaretur circa negationem per actum , quem ipsi attribuimus ; proindeque in tali casu loquutio nostra per æquiualentiam est vera. 67

Aduerto secundò.Quemadmodum entia positiua passim redduntur amabilia, vel odibilia ab existentiâ alicuius circumstantiæ ratione sui non amabilis, vel non odibilis , vt est notissimum , & *in Tract. de voluntate* affatim ostendemus ; ita etiam passim reddi amabilia , vel odibilia à defectu alicuius circumstantiæ ; tametsi huiusmodi defectus vtpote nihil ratione sui nec sit amabilis , nec odibilis. Vide primum in pœnis damnati , quæ specialem amabilitatem contrahunt ab eius peccato respectu Dei,à quo tamen peccatum ipsum amabile non est ; nec non in actione peccaminosâ , quæ specialem odibilitatem contrahit ab extrinsecâ libertate , quâ fit;cum tamen libertas ipsa odibilis non sit in se. Secundum autem cernere poteris tum in iusto , qui specialiter est amabilis, quod caret peccato ; tum in peccatore , qui specialiter est odibilis,quod caret iustitiâ, quin sit per se præcisè amabilis carentia peccati,aut odibilis carentia iustitiæ. De quibus plura *in dicto Tract.* 68

Hinc ad argumentum factum respondeo facile. Deum nunquam eligere positiuè,nec posse aliquam negationem vt vtilem ad aliquem finem si quando autem dicitur illam eligere,quia ex intentione talis finis verè non ponit rẽ negatam,per æquiualentiam tantum esse verũ eiusmodi dictum quia perinde est æquiualenter,nolle Deũ,vt existat aliquid,ne impediméto sit illud fini præintento;ac esset velle vt existeret negatio eius ad obtinendum media illa ipsum

præin

præintentum finem, casu quod negatio esset aliquid vt medium vtile ad talem finem elegibile à Deo : Adde, quoties in scripturis sacris dicitur Deus rem aliquam non facere, vt aliquem finem obtineat, neutiquam per tale dictum significari habere Deum volitionem de negatione talis rei, sed potius nolitionem de re ipsâ, quam verè habet ab intentione talis finis oriundam. Vnde etiam dico nullam Deum negationem velle vel nolle, vt commodam, vel incommodam subiecto, quod amat, sed tantum nolle rem negatam, quod recidit in idem æquialenter. Ens verò quod à negatione alicuius circumstantiæ, seu potius à non existentia eius redditur amabile, aut odibile, bene potest Deus amare, aut odisse per actum connotantem circumstantiam ipsam, vt non existentem; quemadmodum amat, aut odit per actum connotantem circumstantiam vt existentem ens, quod ab existentia eius amabile, aut odibile euadit, vt *in Tract. de voluntate* latius etiam dicemus. Cumque peccatum puræ omissionis, si datur in potentiâ proximâ, ad ponendum, vel non ponendum actum præceptum, prout illud non ponente consistat; hoc ipso quod Deus oderit talem potentiam proximam prout non ponentem talem actum, per odium scilicet suâ naturâ connotantem ipsius actus non existentiam, peccatum omissionis odio habebit, vt pluribus eriam explicabimus *in dicto Tract.*

69 Ex his alio argumento occurres, quod à præceptis de rebus non efficiendis siue de eorum negationibus desumi posset. Talia enim præcepta, si sint humana, bene possunt circa negationes versari, præcipiendo illas positiuè eo ipso quod positiuè potest homo eas amare, vel odisse; æquialenter tamen erunt semper talia præcepta rerum negatarum prohibitiua. Si verò præcepta sint diuina, nullatenus poterunt esse positiuè præceptiua negationum, sed tantùm prohibitiua rerum negatarum, quod in idem recidit. Quæ omnia satis superque constant ex dictis.

70 Postremò denique contra sententiam nostram potest sic argui. Oppositio contradictoria, quæ datur inter ens negatum, & negationem, vera oppositio est, imo omnium potissima : ergo inter duo saltem extrema vera versari debet, absque duobus enim saltem veris extremis nulla potest oppositio vera constare : ergo negatio enti negato contradictoriè, & verè opposita non potest non esse aliquid verum, siue illud sit quid positiuum, aut complexum, aut simplex, siue quid distinctum realiter ab omni ente positiuo. Respondeo oppositionem contradictoriam obiectiuam (nam actus etiam affirmans, & actus negans idem obiectum dicuntur contradictoriè opponi; de quorum tamen oppositione nulla in præsenti est difficultas) nostro modo concipiendi versari inter duo extrema distincta, quod sufficit vt ea sub aliquem conceptum formalem communem aliis oppositionibus cadat, iuxta doctrinam vniuersalem de conuenientia plurium sub eumdem conceptum tradendam *disputatione* 17. re tamen ipsâ non inter vnum & aliud extremum, sed inter esse, & non esse eiusdem versari. Hoc tamen, licet tollat, quod ea conueniat in conceptu oppositionis rali cum aliis oppositionibus, quæ versantur inter extrema distincta, iuxta dicenda etiam *loco citato*, non tamen tollit, quod ea in suo genere sit vera & stricta, imo & omnium potissima oppositio: quia nihil est magis oppositum, aut repugnans enti, magisve incompatibile cum ipso, quam non ens, seu nihil, vt constat. Itaque maximè omniũ sunt oppositа esse, & non esse, non tamen tanquam vnum & aliud, sed tanquam vnum, & purum nihil. Ex quo patet de conceptu reali omnis oppositionis non esse, quod ea versetur inter extrema distincta, licet id sit de conceptu formali omnis oppositionis, prout à nobis omnis oppositio concipitur.

## QVÆSTIO IV.

### *Quotuplex sit negatio?*

QVamquam negatio à parte rei prorsus sit nihil, vt ostensum *q.* 3. quia tamen illa à nobis concipitur vt aliquid, ad variasque res comparata varios conceptus cum fundamento in rebus ipsis subire potest, non inutiliter in præsenti quæstione illam vt sic molimur diuidere in ea, quæ habere potest, membra magis vniuersalia. Et quoniam id, cui immediatè, & formaliter concipitur negatio opponi, est actus significabilis per verbum, circa quem iudicium negatiuum per modum recessus, siue remotionis versatur, vt ex dictis in superioribus satis est notum, per comparationem imprimis ad eiusmodi actum, ad eiusque subiectum, & terminum venit negatio diuidenda. Sit igitur 71

### *Diuisio 1.*

Negationum alia est negatio actus contingentis, alia actus impossibilis, alia actus necessarii subiecto, cuius actus concipitur. 72

Ex quibus subinde prima contingens. Secunda necessaria. Tertia impossibilis erit ipsi subiecto, cuius actum remouet, & cui vice ipsius actus conuenire concipitur, vt est notum. Tum consentaneè ad phrasim communem prima loquendo vniuersè priuatio dicetur, quia est remotio formæ (qualis est omnis actus) à subiecto apto, siue compote ad illam habendam. Secunda autem negatio pura; quia est remotio formæ à subiecto inepto, impotéve ad habendam illam. Tertia negatio impossibilis, quo sufficienter ab aliis discriminabitur.

### *Diuisio 2.*

Insuper tamen quæuis dictarum negationum aut concipitur conuenire subiecto, cuius actum remouet, prout actu existenti. Aut subiecto, cuius actum remouet, considerato secundum se quiditatiuè. 73

Et negatio quidem subiecto contingens, si conuenit ei prout existenti, strictius solet appellari priuatio, latius verò si conuenit ei considerato secundum se. Negatio verò subiecto necessaria, vtrouis modo illi conueniat, strictè videtur communiter dici pura negatio. Sicut etiam negatio subiecto impossibilis strictè talis nuncupabitur, vtrouis ex dictis modis subiectum ipsum sese habeat.

Ex his perspicies negationem, quâ quodlibet ens, aliàs contingens, de facto non existit priuationem latiori quodam modo venire appellandam: quia est negatio tali enti secundum se considerato contingens, vtpotè remouens existentiam, siue actum existendi ei possibilem; negationem verò, qua quodlibet ens iam existens actu aliquo siue forma sibi possibili carere dicitur, priuationem strictiori modo dici debere. Negationem autem, qua quodlibet ens siue existens, siue non existens dicitur non esse aliud quidpiam, estque subinde negatio actus 74

essendi

essendi aliud, siue identitatis cum illo tali enti penitus impossibilis. Tum negationem, qua quæuis chymera dicitur non existens, aut non potens existere: Tum negationes, quibus Deus non peccat. Homo non volat: lapis non intelligit, & cæteras omnes huiusmodi, quæ à subiectis, quibus conueniunt, remouent actus eis impossibiles, negationes puras in vniuersum, satisque stricte nuncupari. Denique negationes, quibus Deum non existere hominem non esse rationalem, lapidem non esse possibilem, aliaque huiusmodi figmenta concipi possunt, negationes esse impossibiles.

## *Diuisio 3.*

Amplius verò priuatio strictiori modo sumpta, vti diximus, pro carentia actus, seu formæ in subiecto apto illam prout existente, in alia membra diuidi solet, iuxta Aristotel. *lib. 5. Metaphysic. cap. 22.*

75 Primò enim dici solet priuatio, licet valde improprie (proprius enim diceretur pura negatio) quæ remouet actum, seu formam à subiecto capaci illius tantum secundum prædicatum valde commune. Vt si planta (quod est exemplum Aristot.) priuata oculis dicatur, quod ex præciso prædicato viuentis ei non repugnat illos habere. Secundò minus improprie priuatio dicitur, quæ remouet formam à subiecto capaci illius præcise secundum prædicatum genericum speciei atomæ proximum. Vt si talpa cæcus, siue oculis priuatus dicatur, quod ex prædicato animalis bene posset habere illos. Tertiò solet, & magis proprie dici priuatio, quæ remouet formam à subiecto capaci illius ex prædicato specifico, non verò pro tali tempore, pro talive peristasi circumstantiarum, vt si puer recens natus priuatus dentibus dicatur. Quartò magis adhuc proprie, frequenterque priuatio dicitur, quæ à subiecto vndequaque illius capaci remouet formam, non tamen ipsi subiecto debitã, vt quando aër priuatus lumine appellatur. Quintò denique propriissime omnium nuncupatur priuatio, quæ remouet formam subiecto debitam debito aliquo vel naturali, vel morali. Quo pacto carentia fragiditatis debitæ in aqua, omissio actus præcepti in homine, aliæque huiusmodi propriissimè priuationes erunt. Præterea ex eodem Arist. *suprà*, priuationum alia est totalis, quæ totam, integramve formam à subiecto capaci remouet. Alia partialis; quæ partem solum formæ remouet, alia parte relicta.

76 Ex dictis colligo primò. Eatenus solum dici posse priuationem suscipere posse magis, & minus; quatenus, plus aut minus de forma aliàs diuisibili potest per illam remoueri à subiecto. Nisi quis velit priuationem aliàs æqualis formæ maiorem aut minorem vocare penes maius, vel minus debitum, quo debita est subiecto forma, qua priuat. Quæ tamen loquutio impropria erit.

77 Colligo secundò. Quo sensu dici soleat communiter dari medium inter priuationem, & habitum; secus inter negationem, & rem negatam (appellant autem impræsentiarum habitum id, quod per priuationem, aut etiam per negationem excluditur; quasi haberetur, ea sublata. Etenim cum priuatio vt talis connotet in subiecto, cuius habitum seu potius actum remouet, capacitatem ad illum; sæpe fit vt defectu capacitatis connotatæ neque priuatio, neque habitus, seu actus per illam exclusus conueniat alteri subiecto. Ob id enim dicitur verè lapidem neque esse cæcum, neque habentem visum, quia de conceptu cæci, supra carentiam visus, est capacitas habendi illum, quam non habet lapis. Quod est inter priuationem & habitum dari medium. Ast cum negatio sumpta vniuersè ab huiusmodi præscindat connotationibus, ea necessario, vel res negata debet citra vllum medium vbique dari, cum sit formaliter idem alicubi non esse rem negatam, & esse ibidem eius negationem, qua ratione negatio à nobis esse concipitur sumpta vniuersè pro mera carentia entis, siue non esse eius. Quod addo: quia si sermo sit de pura negatione contraposita priuationi, non minus inter illam, & rem negatam, quàm inter priuationem, & habitum poterit dari medium: siquidem negatio pura vt talis in subiecto, cuius actum remouet, connotat ineptitudinem ad illum, vt priuatio connotat aptitudinem. Quocirca sicut verum est lapidem neque priuatum esse visu, neque visum habere; ita erit verum hominem cæcum neque esse purè negatum visu, neque visum habere: quia sicut de conceptu priuati visu est capacitas visum habendi, qualem non habet lapis: ita de conceptu pure negati visu est incapacitas habendi visum, qualem non habet homo cœcus. Hinc fit inter priuationem & actum, quo priuat non dari medium relatè ad subiectum, respectu cuius est priuatio; sed tantùm relatè ad aliud, respectu cuius talis non est, vt satis ex dictis est notum. Tantumdemque dicendum venit de negatione pura vt tali.

Collige tertiò: etiam respectu subiectorum im- 78
possibilium aliquam priuationem latius acceptam dari posse, quidquid nonnulli contradicant: talis enim erit negatio actus, quo non cognoscuntur, aut non amantur talia subiecta, cum tamen possent.

Collige quartò, ibidem omnino esse quamlibet 79
negationem per conceptionem nostram, vbi esset actus per eam negatus, nempe in eodem subiecto, in eodem loco, in eodem tempore, in eodem statu, &c. quia concipitur vt remotio formalis actus loco eius prorsus succedens. Re enim ipsa inde remouetur actus, vbi non esse dicitur. Ibidemque propterea, iuxta modum concipiendi nostrum, loco eius poni debet ipsius negatio. Hoc tamen dictum dumtaxat sit de negatione actus, cui conuenit seipso immediate esse ibi, vbi non esse dicitur; vndeque propterea re ipsa per sui non esse remouetur. Actus enim, cui conuenit non se ipso immediate, sed medio alio actu esse alicubi: bene potest ibi non esse actu intermedio deficiente: quin ibi sit eius negatio. Sic enim cognitio existens Madriti, & non Romæ, ita deest à Roma per solum defectum præsentiæ, qua Romæ esse posset, vt nequeat dici esse Romæ negatio existentiæ eius; bene tamen negatio præsentiæ, quam posset ibi habere. Verùm de his propriis in locis plura speciatim dicenda sunt.

Postremò ex dictis in hac & præcedente quæ- 80
stione colligitur, quotiescumque de negationibus rerum occurrit sermo, connaturalius, accommodatiúsque ad modum nostrum concipiendi, atque adeo explicatius dici quidquid circa eas dicere oportet, si de eis tanquam de aliquibus conceptibus verum & reale esse negatiuum habentibus, quo pacto à nobis concipiuntur, loquamur; tametsi in se re ipsa prorsus sint nihil; in seque proinde ab intuentibus non sint conceptibiles. Ob id cum loquimur de contradictoriis, vt de duobus extremis mutuo se se formaliter excludentibus loquimur, quorum alterum est negatio, alterum res negata; & consequenter perinde apud nos est dicere, rem non esse,

&

& esse eius negationem; sicque passim dicimus existere negationem rei, vbi res negata non existit, nimirum in tali tempore, in tali loco, in tali subiecto, &c. iuxta dicta *num. præcedente*. Sic chymærarum impossibilium necessarias dicimus negationes; è contra verò rerum necessariarum impossibiles negationes vocamus. Et vniuersim, quoties rigorose loquendo aliquid erat rebus negandum enunciatione negatiua, seu remotiua, toties illius negatio eis indiscriminatim solet attribui enunciatione affirmatiua, seu positiua. Qui omnes nihilominus loquendi modi per æquiualentiã sunt veri, vt ex dictis liquidum est. Ob id claritatis, & aliis morem gerendi gratia, eisdem nos indiscriminatim in nostris operibus vtemur, nisi aliud materia postulauerit. Hinc protestantes per illos nos doctrinæ statutæ *quæst. præcedente*, ne minimum quidem intendere derogare,

## QVÆSTIO V.

*Quænam propositiones euidentes, aut aliàs certæ, seu per se notæ, seu demonstratæ ex terminis huius disputationis in superioribus expositis eliciantur tum inter se tum cum terminis præcedentis collatis?*

81 QVia materia præsentis disputationis fere metaphysica est, vt principio dicebam, oportuit quæstionem hanc instituere, iuxta methodum præstitutam in præfatione ad lectorem. Cui respondetur; propositiones, quas inquirit, esse sequentes.

### *Propositio 1.*

82 Impossibile est aliquid simul esse, & non esse. Impossibile est etiam aliquid simul neque esse, neque non esse. Tum necesse est quodlibet aut esse, aut non esse. Necesse est etiam quodlibet aut deesse, aut non deesse (sumpto *deesse* pro *non esse*.

Coniungo sub vna propositione hæc quatuor principia. Tum quia in idem fere recidunt æquialenter. Tum quia ad explicandam eorum naturam oportet illa inuicem comparare. Primum tradit Aristotel. *lib. 4. Metaph. cap. 3. text. 8.* his verbis *Idem enim simul esse, & non esse in eodem secundum idem est impossibile.* Additque esse omnium principiorum firmissimum, atque certissimum. Atque omnes demonstrantes in illud tandem suas propositiones deducere, vtpote quod omnium dignitatum seu principiorum principium est. Tertium tradit *in eodem lib. cap. 7. text. 27.* dum ait. *Verum neque inter contradictiones quidquam medium esse contingit. Sed necessarium aut dicere, aut negare vnum de vnoquoque.* Quorum amborum mentionem etiam facit *lib. 1. post. cap. 8. text. 26. & 27.* his ferme verbis. *Impossibile est idem simul affirmari, & negari de eodem. Necesse est idem affirmari, vel negari de eodem.* Secundum autem, & quartum principium in primo, & tertio continetur, vt iam expono.

83 Etenim huiusmodi principia in natura extremorum contradictionis, qua talium, fundantur immediatè; eorúmque subinde immediatas, atque per se notissimas proprietates enunciant. Dicuntur autem extrema contradictionis, seu contradictoria negatio obiectiua, & id quod per illam negatur, seu remouetur, iuxta doctrinam statutam *quæst. 3. & 4.* præsertim *num. 70. & 80.* Quæ quidem extrema ita iuxta *ibidem* dicta opponuntur, vt quoduis eorum æquiualenter, nostroque modo concipiendi suapte natura & essentia sit formalis exclusio, ablatio, siue remotio alterius, & consequenter cuiusuis exclusio, ablatio siue remotio alterius sit formalis positio. Hinc autem fit primò quòd nequeat vnum contradictionis extremum esse, quin desit alterum, atque adeo, quod nequeant ambo simul esse, & consequenter, quòd *sit impossibile aliquid simul esse & non esse* prout fert primum principium. Aliquid namque simul esse, & non esse, esset simul esse ambo contradictionis extrema. Secundò fit, quod nequeat deesse vnum cõtradictionis extremum, quin sit alterum. Atque adeo quod nequeant ambo simul deesse, & consequenter, *quod sit impossibile aliquid simul neque esse neque non esse*, prout fert principium secundum. Aliquid namque simul neque esse, neque non esse, esset simul deesse ambo contradictionis extrema. Tertiò fit, quod nequeat non esse contradictorium positiuum, si deest negatiuum, & vice versa. Atque adeo, quod sit necesse alterutrum eorum esse. Et consequenter, (quod est idem) quod *sit necesse quodlibet aut esse, aut non esse*, prout fert principium tertium. Quartò fit quod nequeat non deesse contradictorium positiuum, si est negatiuum, & vice versa, atque adeo quod sit necesse alterutrum eorum deesse. Et consequenter (quod est idem) quod sit necesse *quodlibet aut non esse, aut non non esse*, prout fert principium quartum. Vnde apparet quatuor proposita principia aliter sic breuius efferri posse. *Impossibile est, vtrumque contradictorium simul esse. Impossibile est vtrumque contradictorium simul deesse. Necesse est alterutrum contradictorium esse. Necesse est alterutrum contradictorium deesse.*

Quæ cùm ita sint colligo primò. Duo priora 84
principia, quamuis formaliter sint duo: quatenus tam ex parte intellectionum nõstrarum, quam ex parte conceptuum obiectiuorum diuersitatem habent. Equiualenter tamen esse vnum & idem, quatenus veritas obiectiua per vtrumque enunciata vna est, & eadem à parte rei. Differunt enim tantùm sicut differũt propositio affirmatiua vnius extremi contradictionis, & negatiua alterius. De quibus æquiualenter esse eamdem ex dictis *quæst. 3.* constat. Etenim cum positio vnius extremi contradictionis sit ablatio alterius, & è conuerso, vt dictum est, qui vtrumque simul adstruit, eo ipso aufert simul vtrumque atque ita hæ propositiones. *Vtrumque contradictorium est. Neutrum contradictorium est*, & similes, æquiualentes sunt. Quo fit, vt duo priora dicta principia æquiualentia, vel (quod est idem) vnum æquiualenter sint. Tantumdemque eodem iure venit dicendum de duobus posterioribus inter se comparatis. De eis nihilominus ob diuersitatem, quam habent formalem, tanquam de distinctis, quoties opus fuerit loquemur.

Secundò colligo. Duo priora dicta principia 85
magis distingui à duobus posterioribus, & vice versa, quam inter se: quia duo priora veritatem quamdam negatiuam enunciant, nempe impotentiam subiecti ad vtrumque contradictorium. Duo verò posteriora veritatem quandam positiuam, nempe necessitatem subiecti ad alterutrum contradictorium. Adeo tamen euidenter, & immediatè hæ duæ veritates mutuo se inferunt, mutuóve inter se

connectun

connectuntur, vt alterutra in alterâ contineri virtualiter dici possit loquendo logicè. Ex eo enim quod subiectum est impotens ad habendum vtrumque contradictorium, confestim fit esse necessitatum ad carendum alterutro, & vice versâ. Pariterque ex eo quod sit impotens ad carendum vtroque sequitur necessitatum esse ad habendum alterutrum, & è conuerso. Quomodo autem ista principia simultanea inter se sint, etiamsi alia positiua sint & alia negatiua ex dicendis postmodum apparebit.

86 Tertiò colligo, aliud principium, quod *suprà* addidit Arist. nempe *impossibile est dari medium inter duo contradictoria.* in illud secundum recidere. *Impossibile est vtrumque contradictorium simul deesse.* Quia non posse dari medium inter duo contradictoria idem est, ac non posse vtrumque simul ita deficere, vt detur aliud quidpiam loco vtriusque.

87 Adnotare tamen oportet. Tametsi dicta principia sumpta absolutè, seu prout in statu absoluto, verissima iuxta, atque euidentissima sint. At si sumantur conditionatè, seu prout in statu conditionato, sæpissimè falsificari nisi eis aliquid adiiciatur, quo, & in tali quoque statu, atque adeo prorsus vniuersaliter vera sint. Quamquam enim verissimum sit, loquendo absolutè, non posse vtrumque contradictorium aut simul esse, aut simul deesse. Necesséque subinde esse vt sit vnum, & desit alterum. Falsum tamen id ipsum est, loquendo ex hypothesi, quod esset, aut quòd deesset, vtrumque, quia vere, si esset vtrumque, esset vtrumque, & posset esse, veréque si deesset vtrumque deesset, vtrumque, & posset deesse. Subindéque verè etiam, non esset necesse, vt esset vnum, & deesset alterum, si aut esset vtrumque, aut deesset vtrumque. Ratio autem est, quia licet quoduis ex contradictoriis suopte conceptu sit formalis exclusio alterius: atque adeo non possit non excludere illud etiam in statu conditionato, & consequenter ex vi positionis vnius sequatur necessario in omni statu defectus alterius, aliunde tamen in statu conditionato potest etiam necessario sequi ex vi hypothesis eiusdem positio, atque adeo esse conditionatè verum illud simul esse, & non esse. Vide id hâc propositione absque omni dubio verissima. *Si simul existerent duo contradictoria, simul existerent duo contradictoria.* Quanquam enim ex vi existentiæ conditionatæ vnius contradictorij sequatur non existentia conditionata alterius, indeq; præcisè propositio adstruens vtriusque existentiam videatur falsificari; aliunde tamen ex vi hypothesis adstruitur existentia eiusdem, quo fit, vt talis propositio simpliciter, & vndequaque sit vera. Itaque verum est simpliciter extiturum vtrumque contradictorium vtrumque existeret Tametsi etiam sit verum neutrum contradictorium extiturum, si vtrumque existeret, quia quoduis ex se excluderet alterum. Nec mirum cum existere vtrumque, & neutrum existere idem ex parte obiecti sit, vt constat ex dictis. Tantumdémque dicendum est de quâuis aliâ propositione conditionatâ, quæ sub conditione impossibili verè affirmat fore simul duo contradictoria, qualis est. *Si existeret secundus Deus, existerent duo contradictoria,* & similes.

88 Igitur vt prædicta principia vniuersaliter valeant etiam pro statu conditionato aliqua particula exceptiua adiicienda est, quæ omnimodis excludat veritatem obiectiuam alterius contradictorij in consortio alterius. Si enim dicas. *Impossibile est idem simul esse, & non esse simpliciter.* Vt sensus sit. Impossibile est idem ita esse, vt ex nullo capite sit verum non esse; & simul ita non esse, vt ex nullo capite sit verum esse. Tunc tale principium pro statu etiam conditionato erit verissimum, atque certissimum: quia verissimè, atque certissimè est impossibile ita esse aliquid conditionatè, vt ex nullo capite sit verum non esse, & simul ita non esse, vt ex nullo capite sit verum esse. Inde enim fieret, vt tale obiectum conditionatum absolutè esset simul verum, & non verum, id est absolutè affirmabile, & non affirmabile verè, atque ideo simul à Deo iudicabile, & non iudicabile, quod verissimè, atque certissimè impossibile est. Paritérque philosophandum est de aliis principiis. Videantur ad rem dicta *suprà disp. 3. quæst. 4.*

Hîc dubitant aliqui an principium illud. *Impossibile est idem simul esse, & non esse.* Verè sit primum omnium principiorum, in quod tandem demonstrationes omnium scientiarum deducantur, vt dixit Arist. *libro 4. Metaph. cap. 3. citato.* Negat nonnulli apud Soar. *disputatione 3. Metaph. sect. 3.* censentes esse primum alterum. *Necesse est quodlibet aut esse, aut non esse,* eo quod hoc affirmatiuum est; illud negatiuum, & omnis negatio supponit prædicatum positiuum, in quo fundetur. Soar. verò distinguens duplex genus demonstrationum ostensiuum scilicet, & deducens ad impossibile dicit in priori genere non esse dictum principium totius Metaphysicæ, nedum omnium scientiarum primum. Benè tamen in posteriori. cui ego quoad hanc secundam partem consentio; eo quod omnis demonstratio cuiusuis scientiæ deducens ad impossibile vsque ad principium dictum deducatur, necesse est; Siquidem id solùm est simpliciter impossibile, quod secum fert duo extrema contradictoria, vt demonstrabitur *inferius disputatione* 11. Quoad primam verò partem dico intra genus demonstrationum ostensiuum dictum principium non esse prioritate principij primum totius metaphysicæ, nedum omnium scientiarum: quia non omnes, imò pauciſsimæ demonstrationes ostensiuæ metaphysicæ resoluuntur in illud. Esse tamen vnum ex primis totius Metaphysicæ prioritate vniuersalitatis, vtpote, quod de subiecto vniuersaliſsimo omnium, quale est quidlibet conceptibile, siue possibile, siue impossibile, vnam ex primis eius proprietatibus prædicat, nempe esse impotens ad subeunda simul duo extrema contradictoria, hoc est, ad se exercendum simul per duos actus contradictorios, quæ proprietas in naturâ potiſsimùm ipsorum contradictoriorum fundatur, eorumdemque subinde etiam proprietas est: ab eisdem enim fundamentis denominantur immediatè subiectum quidem impotens ad sufferenda simul duo contradictoria, & ipsa contradictoria impotentia ad conueniendum simul subiecto. In quibus eisdem fundamentis nititur immediatè principium alterum positiuum, quo prædicatur de eodem subiecto, necessitatum esse ad alterutrum ex extremis contradictoriis, de quouisque horum necessitatum esse ad conueniendum subiecto ex hypothesi defectus alterius. Vnde patet duo ille principia. *Impossibile est idem simul esse, & non esse. Necesse est quodlibet aut esse, aut non esse,* quibus alia duo principia æquiualentia sunt, immediatè nasci ex essentiâ contradictoriorum extremorum relatè ad subiectum, cuius actus sunt ipsa extrema; atque ita etsi sit alterum positiuum, & alterum negatiuum, neu- 89

trum

trum prius altero, sed inuicem simultanea esse., & consequenter vtrumque ex primis totius Metaphysicæ prioritate vniuersalitatis, vtpotè, quæ subiecto conueniũt vniuersalissimo omniũ iuxta nuper dicta.

90 In istis autem duobus principiis illa alia duo logicorum fundantur *Impossibile est duas propositiones contradictorias aut simul veras, aut simul falsas esse. Necesse est, vt ex duabus propositionibus contradictoriis altera vera sit, & altera falsa.* Quod apud omnes in confesso, & ex dictis à nobis *suprà disp. 3. q. 5.* conspicuum est.

## *Propositio 2.*

91 Positio cuiusuis ex extremis contradictoriis suopte conceptu formalis est alterius exclusio, siue defectus, siue remotio. Et è conuersò, cuiusuis exclusio, siue defectus, siue remotio formalis est alterius positio.

Dicuntur autem extrema contradictionis, seu extrema contradictoria, vt nuper notaui, negatio obiectiua, & id, quod per illam negatur. Quo tamen pacto talia ea sint (vt in propositione asseritur) per quamdam solum æquiualentiam, & nostro modo concipiendi; eo quod extremum negatiuum à parte rei prorsus est nihil, eiusque veritas obiectiua potius in non positione, quàm in positione alicuius stat, ex dictis *in superioribus* præsertim *num.* 70. 80. & 83. constat, quæ ad rem recolenda. Quomodò etiam pleraque extrema apud nos contradictoria, ex parte rerum fundamentaliter tantùm contradictoria sint, non formaliter, quatenus fundamenta eorum ex parte rerum entia sunt purè positiua, positiuè solùm ab intuentibus cognoscibilia, non verò entia, & negationes, quæ tum positiuè, tum negatiuè ab intuentibus etiam cognoscibilia sunt, ex dicendis *infrà disp.* 11. constabit. Impræsentiarum verò de omnibus est idem censendum, ob omnium, quod ad rem attinet, æquiualentiam.

## *Propositio 3.*

92 Quodlibet ex suppositione, quòd est, necesse est esse. Tum quolibet ex suppositione, quòd non est, necesse est non esse.

Hæc propositio duo proposita principia continens, axioma est non minus celebre, nec minus per se euidens, quàm prima; insuperque demonstrari per illam potest. Nam si factâ, & retentâ suppositione, quòd quidpiam est, non esset, aut, quod quidpiam non est, esset. Id simul esset, & non esset contra dictam *propos.* 1. sequuntur autem ex duobus istis principiis hæc alia duo. *Ex suppositione, quòd aliquid est, impossibile est non esse. Ex suppositione, quòd aliquid non est, impossibile est esse.*

## *Propositio 4.*

93 Essentia composita, & aggregatum omnium partium, exquibus componitur, idem omninò sunt.

Hæc propositio apud omnes est certissima, satisque euidens ex ipsis terminis. Sed est notandum essentiam compositam bifariam vsurpari posse, substantiuè scilicet, & adiectiuè. Substantiuè dicitur accipi, quando omnes ex æquo partes eius directè, & in recto accipiuntur. Adiectiuè verò, quando aliqua pars eius directè, & in recto, reliquæ autem indirectè, & in obliquo, siue de connotato accipiuntur; & priori quidem modo sumpta dicitur essentia per se (qualis est semper essentia simplex, seu non composita) posteriori modo sumpta dicitur essentia per se aliud non est ab aggregato omnium suarum partium substantiuè sumptarum essentia autem per accidens aliud non est ab aggregato omnium suarum partium sumptarum adiectiuè. Quo fit, vt essentia sumpta vniuersè, & aggregatum omnium partium, ex quibus ea componitur, idem omninò sint, vt propositio nostra fert. Appello autem partem essentiæ omne illud, quod quoquo modo intrinsecè constituit ipsam.

## *Propositio 5.*

Essentia composita aut ex partibus habentibus 94
*esse* in eodem tertio, aut ex partibus habentibus *esse* in diuersis considerari potest composita.

Sermo est in propositione de omni essentiâ compositâ, siue ea sit essentia per se, siue essentia per accidens, iuxta dicta *propos.* 4. Est autem propositio certissima: quia essentiam compositam dicimus vniuersè aggregatum quoduis ex partibus quoquo modo coalescens. Compertum est autem considerari posse aggregatum coalescens ex partibus aut habentibus *esse* in eodem tertio, hoc est, in eodem statu, in eodem tempore, in eodem loco, in eodem subiecto, & si quæ sunt alia, in quibus essentiæ esse, siue habere *esse* dicuntur; aut habentibus *esse* in diuersis, vt si vna pars in statu tantùm quiditatiuo habeat *esse*, alia in statu existentiali. Tum vna in hoc tempore, alia in illo; vna in isto loco, alia in alio &c.

## *Propositio 6.*

Quoties subiectum prædicationis est aliqua es- 95
sentia per se composita, omnibus partibus eius ex æquo tribuitur prædicatum, cùm prædicatio est affirmatiua, pariterque detrahitur, cùm est negatiua, non verò aliquibus, aut alicui tantùm præ aliis; idque, siue tales partes distributiuè, siue collectiuè capiantur.

Hæc propositio ab experientiâ est euidens bene obseruanti modum, quem nos iudicandi & prædicandi habemus; rationéque insuper manifesta monstratur experientia supposita. Certum namque est nos modum quemdam fixum habere apprehendendi, atque significandi subiectum, vt ei possimus per iudicium perque externam enunciationem tribuere, vel detrahere prædicatum, qui quidem modus est apprehendendi, & significandi subiectum directe, & in recto, vt aiunt, prout experientia monstrat. Deinde est certum, quoties modo isto, nimirum directe, & in recto plura ex æquo apprehendimus, significamusve ex parte subiecti, proindeque subiectum prædicationis est aggregatum plurium dicens ex æquo illa omnia directè, & in recto non posse nos aliquibus eorum præ cæteris tribuere, vel detrahere prædicatum, aut iudicio, aut enuntiatione, sed omnibus necessario, vel nullis tribuendum, aut detrahendum esse; idque, siue ea distributiuè, siue collectiuè capiantur. Ratio est aperta: quia cùm omnia, & singula eodem omninò modo suppositа sint prædicato, non est cur aliquibus præ alis tribuatur, vel detrahatur prædicatum aut iudicio, aut enuntiatione. Deinde experientia conuincit. Si enim

semel ita iudices, aut enuncies : *Omnis homo currit*, aut, *collectio omnium hominum existit*, tribuendo scilicet cursum omnibus hominibus distributiuè, aut existentiam omnibus collectiuè, vel ita. *Omnis homo non currit*, aut *collectio omniũ hominum non currit*, *non existit*, detrahendo currum omnibus hominibus distributiuè, aut existentiam omnibus collectiuè, neutiquam tibi integrum erit eadem semper apprehensione, aut significatione subiecti retenta, aliquibus tantùm hominibus præ aliis cursum, aut existentiam tribuere, valde trahere iudicio, vel enuntiatione : alioquin hæc propositio : *Omnis homo currit*, nullatenus eius significatione variata, modò de omnibus hominibus, modo de aliquibus tantùm cursum affirmaret. Pariterque negaret hæc *Omnis homo non currit*, similiterque hæc, *collectio hominum existit*, modò de tota hominum collectione, modò de parte eius dumtaxat affirmaret existentiam ; hæcque negaret, *Collectio omnium hominum non existit* citra omnem omnino variationem significationum suarum, quod patet impossibile esse.

96 Ex his propositio venit sic demonstrãda. Essentia per se composita aggregatum quoddam est plurium partium dicens ex æquo illas omnes directè, & in recto, atque adeò substantiuè, vt constat ex eius definitione tradita *q.2.* Sed quoties subiectum prædicationis est aggregatum plurium dicens ex æquo illa omnia directè, & in recto, non potest non omnibus illis ex æquo tribui prædicatum, aut detrahi iudicio, vel enuntiatione, idque siue distributiuè illæ, siue collectiuè capiantur ; aliquibus enim præ aliis, aut tribui, aut detrahi est impossibile, iuxta modum, quem nos habemus intelligendi, vt *num. præced.* statutum est. Igitur quoties subiectum prædicationis, &c. Quod erat ostendum.

97 Habet autem propositio locum, vt in ea dixi, tam pro casu, quo partes essentiæ compositæ, positæque pro subiecto prædicationis accipiuntur distributiuè, quàm pro casu quo collectiuè. Quod vt clariùs notescat, supponendum est primò. Tunc partes subiecti compositi sumi distributiuè, quando prædicatum ita illis omnibus per affirmationem tribuitur, aut per negationem detrahitur, vt etiam singulis, cuilibétque illarum seorsim tribuatur, aut detrahatur. Tunc verò sumuntur collectiuè, quando prædicatum integræ illarum collectioni, siue aggregato ita tribuitur, aut detrahitur omninò indiuisim, vt non tribuatur, aut detrahatur singulis, vel earum vlli seorsim. Qui proinde duplex modus sumendi partes subiecti compositi distributiuè, & collectiuè dumtaxat habet locum, quando illud est essentia per se ; siquidem quando est essentia per accidens non omnibus partibus eius, sed vni tantùm, connotatis reliquis, tribuitur, detrahitúrve prædicatum, vt videbimus *propos. seq.*

98 Secundò supponendum est, esse aliqua prædicata, quæ ita conueniunt re vera omnibus, & singulis partibus essentiæ per se compositæ distributiuè sumptis, vt non conueniant eisdem collectiuè sumptis, hoc est essentiæ ipsi sumptæ indiuisim. Et esse alia, quæ vice versa, ita conueniunt essentiæ sumptæ indiuisim, vt non conueniant singulis partibus eius distributiuè sumptis. Prædicatum prioris generis est, *esse quid componens talem essentiam*, quod conuenit omnibus, & singulis partibus eius distributiuè sumptis, ipsi verò essentiæ collectim, siue indiuisim sumptæ minimè, vt constat. Prædicatum verò posterioris generis est, *esse quid compositum ex omnibus talibus partibus*, quod totu essentiæ indiuisim conuenit, secus singulis eius partibus diuisim, siue seorsim, vt etiam constat. Aliáque plura sunt huiusmodi.

Tertiò supponendum est, esse alia prædicata 99
præterea, quæ si conueniant omnibus, & singulis partibus essentiæ per se compositæ sumptis distributiue, non possunt non conuenire item essentiæ ipsi sumptæ indiuisim, atque etiam è conuerso. Tale est prædicatum existendi. Repugnat enim manifeste existere omnes, & singulas partes essentiæ, quin existat ipsa essentia ; atque etiam è conuerso repugnat existere essentiam, quin existant omnes, & singulæ partes eius. Alia verò sunt prædicata, quæ si conueniant omnibus partibus distributiue sumptis, essentiæ per se compositæ non possunt essentiæ ipsi sumptæ indiuisim non conuenire ; sed non vice versa. Tale est prædicatum potentis deficere. Repugnat enim aperte posse deficere omnes partes alicuius essentiæ, quin possit essentia ipsa deficere. At essentiam aliquam posse deficere, quin omnes partes eius possint deficere possibile est. Talis namque est essentia aggregati ex Deo, & creaturis, vt constat. Denique excogitari possunt prædicta alia (quo fiat combinatio adæquate) quæ si conueniant alicui essentiæ per se compositæ sumptæ indiuisim, non possint non omnibus partibus eius distributiue sumptis non conuenire. Non tamen è contra. Sed hoc prædicatorum genus non videtur possibile.

Itaque combinatio sic adæquate fieri potest. Præ- 100
dicatorum absolutorum quædam conueniunt essentiæ simul, & eius partibus ; quædam nec essentiæ, nec partibus ; quædam essentiæ, & non partibus ; quædam partibus, & non essentiæ. Prædicatorum verò quasi ex hypothesi ; quædam si conueniunt partibus, nequeunt non conuenire essentiæ, atq ; etiam è conuerso : quædam, si conueniunt partibus, nequeunt non conuenire essentiæ, non tamen è conuerso ; quædam, si cõueniunt essentiæ, nequeunt non conuenire partibus, non tamen è conuerso. Ad discernendum autem huiusmodi prædicatorum genera regula certa generalis facile præscribi non potest. Quare eorum natura, essentiæque item, & partium eius naturis, ad quas comparantur, probe perspectis, quænam huius, & quænam alterius sint generis diiudicandum est. Quod sæpè nos præstabimus *in seq.*

## *Propositio 7.*

Quoties subiectum prædicationis est aliqua es- 101
sentia per accidẽs ei soli parti, quam dicit directe & in recto, tribuitur prædicatum affirmatione, detrahiturque negatione, connotatis tamen per prædicatum cæteris talis essentiæ partibus quoad idem *esse*, secundum quod illæ in ipsa essentia connotantur, siue indirecte, & in obliquo dicuntur.

Consonat hæc propositio doctrinæ traditæ *suprà disput. 2. quæst. 4. conclus. 5.* quæ ad rem recognoscenda est, probandaque venit potissimum ab experientia ipsa. Experimur enim apertè ei soli parti subiecti, quæ sumitur directe, & in recto, tribui prædicatum affirmatione, & detrahi negatione. Si namque dicas, *Leo Petri currit*, non Petro sumpto in obliquo, sed leoni sumpto in recto tribuis actum currendi, eidemque detrahis, si dicas, *Petrus legens Romæ librũ est homo* nec lectioni cadenti obliq; sub conceptũ *legens* nec libro, nec Romæ sumptis etiam oblique, sed soli Petro sumpto in recto tribuis actum essendi homo, & in cæteris pariter. Ob id apud

Gramma

Grammaticos suppositum verbi semper ponitur in nominatiuo, qui est casus rectus. Constat autem apud Grammaticos de solo supposito verbi dici ipsum verbum; atque adeò apud Logicos de solo subiecto directo respondente supposito venire dicendum prædicatum respondens verbo, iuxta dicta in *eâ q. 4 Sect. 1.* Quæ omnia notissima sunt.

102 Cùm igitur essentia per accidens aggregatum quoddam sit plurium partium dicens directè, siue in recto vnam earum, & cæteras indirectè, siue in obliquo, atque adeò adiectiuè, iuxta definitionem traditam *q. 2.* planè consequitur; quoties subiectum prædicationis est aliqua essentia per accidens, ei soli parti, quam dicit directè, & in recto, tribui prædicatum affirmatione, & detrahi negatione, quæ nostræ propositionis prima pars est.

103 Secunda autem. Connotari scilicet per prædicatum cæteras talis essentiæ partes, quoad idem *esse*, secundum quod illæ in ipsâ essentiâ connotantur, siue indirectè, & in obliquo dicuntur, inde planè monstranda venit: quia cùm prædicatum (vtpotè, quod est actus subiecti, aut actum subiecti includit in se, iuxta dicta in *eo Sect. 1. super citato* nõ possit non connotare subiectum ipsum quoad *esse* saltem eius quiditatiuum, vt constat ex doctrinâ statutâ *disp. 8. q. 4. proposit. 2.* nec potest non connotare terminos alios per ipsum subiectum connotatos. Connotatio quippè coniunctio quædam est extremi connotantis cum connotato; repugnat autem primum coniunctum esse cum secundo prout coniuncto cum tertio, quin primum etiam sit coniunctum cum tertio, vt est notissimum.

104 Hinc autem fit primò, non posse nos affirmare expressè, & formaliter prædicatum de subiecto prout connotante terminos alios, siue prout subest illis, quin simul eâdem affirmatione affirmemus tacitè, & virtualiter terminos ipsos connotatos, quoad illud ipsum eorum *esse*, secundum quod sunt connotati. Quoniam, qui expressè, & formaliter affirmat, quodpiam habere *esse* coniunctum cum *esse* alterius, consequenter affirmat tacitè, & virtualiter, & alterum habere *esse*.

105 Secundò fit benè posse nos negare expressè, & formaliter prædicatum de subiecto prout connotante terminos alios, quin tacitè, & virtualiter negemus terminos ipsos quoad *esse*, secundum quod sunt connotati. Quia, qui negat expressè, & formaliter quidpiam habere *esse* coniunctum cum *esse* alterius, non eo ipso negat tacitè, & virtualiter hoc alterum habere *esse*, quandoquidem dumtaxat negat coniunctionem extremi connotantis cũ connotato, quæ tam per defectum vnius, quàm per defectum alterius potest deesse. Vide hæc duo consectaria fusius monstrata, & explicata, exemplisque illustrata *suprà disp. 2. q. 4. consect. 5. citato.*

106 Ex quibus, & ex præsente propositione, præter alia, quæ ibi intulimus, multa pro variis materiis scitu digna, & necessaria sequuntur breuiter inferenda. Sit primum. Ex eo quòd actus conueniat subiecto, & ei tribuatur prout connotanti alios terminos, non sequi vt conueniat pariter, & tribuatur ipsis terminis, tametsi non possit non illos connotare, aut respicere. Sic materia prout habens tales dispositiones vnitur formæ, cui nõ vniuntur dispositiones ipsæ etsi ab vnione supponantur, atque ita connotentur. Sic agens physicè elicit actionem prout excitatum, seu motum aliquâ præuiâ motione physicâ, vel morali, quæ tamen motio actionem non elicit physicè, etsi per illã cõnotetur; & in cæteris pariter.

107 Hinc secundò sequitur sæpè esse verum amari, aut odio haberi quidpiam prout subest aliquibus circunstantiis, siue prout illas connotans, quin verum sit amari, aut odio haberi circunstantias ipsas; tametsi nequeat non esse verum eas connotari, atque adeò respici per actum amoris vel odij. 108

Vnde sequitur tertiò verissimum esse à Deo odio haberi peccatum, tametsi Deus neutiquàm oderit libertatem pertinentem intrinsecè ad conceptum realem peccati; pertinet enim ad illum in obliquo, & ex connotato, perindeque propterea est peccatum à Deo odio haberi, atque à Deo odio haberi actionem prauam prout, connotantem libertatem, 109 siue prout subest illi.

Quartò sequitur sæpè esse verum vnum extremum connotare aliud, atque adeò cum illo esse coniunctum, siue simul cum illo habere *esse*, quin ambo simul sint, siue habeant *esse* in eodem tertio, hoc est, in eodem statu, vel tempore, vel loco, vel subiecto &c. sed in diuersis; eo quod alterum non vtcunque, sed prout habens *esse* in vno tertio connotat alterum prout habens esse in alio vnde rursus fit, vt extremum connotans verè dicatur habere in eo tertio, in quo habet *esse*, denominationem oriundam ab extremo connotato, tametsi hoc non habeat *esse* simul cum illo in eodem tertio: quoniam habere extremum connotans ibi talem denominationem, siue appellari, euadereque, siue esse ibi tale, vel tale à consortio extremi connotati, nihil est aliud, quàm habere ibi illud suum *esse* prout connotans extremum alterum, quatenus habens alibi suum; seu, quod in idem recidit, nihil est aliud, quàm habere 110 illud ibi suũ *esse*, habente extremo, altero alibi suum.

Sic scientia diuina de obiecto futuro ab æterno dicitur esse vera, tametsi denominatio veræ intrinsecè claudat in suo conceptu reali, de connotato tamen, & in obliquo futurum obiectum: quia esse eam ab æterno veram, aliud non est, quàm eam existere ab æterno, extituro eius obiecto in suâ differentiâ temporis. Sic etiam, & ob eamdem rationem hodie vere est propositio de obiecto contingente posteà futuro. Sic hodiè est homo dignus pœnâ à peccato anteà commisso, tametsi denominatio digni pœnâ in suo conceptu reali obliquè includat ipsum peccatum, quod hodie iam non est: quia esse hominem hodie dignũ pœnâ, re ipsâ non est aliud, quàm illud hodiè habere *esse*, cùm anteà peccauerit. Sic hodiè dies hodiernus est prior, quàm crastinus, etsi in denominatione prioris de connotato inuoluatur crastinus dies, ob eamdem rationem. Sic hodiè est Matriti Petrus coniux Mariæ à contractu in alio tempore, in alioque loco celebrato. sic Ioannes est Toleti Episcopus hodiè ab electione suâ factâ Romæ anno præterito. Passimque similia exempla occurrunt sexcenta, vt cunctis notissimum est.

Quam doctrinam satis profectò pertiam, & no- 111 tam: quia quidam Recentiores ex nostris non benè aduertunt extraneo, nec parum ab omnium communi opiniòne alieno philosophandi modo hasce omnes denominationes adiectiuas, siue essẽtias per accidens extraneis cõstitutiuis componere, solicitè satagunt, & anxiè, veraque earũ constitutiua obliqua ab illis remouent contra existimationem communem. Quo verum sit omnes earum partes intrinsecas idem, siue in eodem tertio esse, in quo illæ de suis subiectis verificantur, quasi illæ compositæ essent ex suis partibus non adiectiuè, & vt essentiæ quædam per accidens, sed substantiuè, & vt essentiæ quædam per se, quarum est proprium omnes omninò suas partes secum in eodem tertio, vbi esse dicuntur, semper habere, iuxta statim dicenda.

## *Propositio 8.*

112 Vbicunque est aliqua res, ibidem esse eius essentiam necesse est, & vice versâ. Et vndecunque deest aliqua res, inde deesse essentiam eius necesse est, & vice versâ.

Dico *vbicunque* & *vndecunque*, sumptis his vocabulis latè pro quouis tertio, in quo res, earumque essentiæ dicuntur esse, vt est status, tempus, locus, subiectum &c. Quo etiam pacto hæc, & similia aduerbia deinceps vlurpabo compendij causâ: igitur propositio sic intellecta certissima est: quia cum res, & eius essentia sint prorsus idem, iuxta definitiones statutas *suprà q.* 1. & 2. si alicubi esset aliqua res, & ibi non esset eius essentia, vel vice versâ, ibi vtique esset simul ipsa res, & non esset contra *propos.* 1. Et si alicundè deesset aliqua res, & inde non deesset eius essentia, vel vice versâ: inde vtique simul deesset, & non deesset ipsa res, contra eamdem propositionem primam. Est autem sermo in propositione de essentiâ vnicuique rei proportionatâ, de quâ absolutè verum est idem esse cum illâ, nempe de essentiâ per se, si res sit ens per se, seu quidpiam substantiuè sumptum; & de essentiâ per accidens, si res sit ens per accidens, seu quidpiam sumptum adiectiuè, iuxta dicta in præcedentibus.

## *Propositio 9.*

113 Impossibile est aliquam essentiam compositam habere *esse*, quin omnes, & singulæ partes eius habeant *esse*, & è conuerso: Impossibile est omnes, & singulas partes essentiæ compositæ habere *esse*, quin habeat *esse* essentia ipsa.

Hæc propositio ex terminis ipsis est satis euidens quia prædicatum habendi *esse*, siue essendi euidenter est de genere eorum, quæ non possunt conuenire essentiæ compositæ, quin omnibus, & singulis partibus eius conueniant, & vice versâ, iuxta dicta *propos.* 6. *sub finem.* Sed declarari insuper potest, atque etiam demonstrari. Et primum quoad primam partem: quia dum pars essentiæ non habet esse, nihil aliud præter residuum ex pertinentibus intrinsecè ad talem essentiam potest habere esse, quandoquidem illa ex solâ eâ parte, quæ non habet *esse*, ex talique residuo consideratur composita. At tale residuum non est essentia, cùm sit ab eâ distinctum vt quid inclusum ab includente, vt est notissimum: ergo dum pars essentiæ non habet *esse*, nequit essentia habere *esse* Fieret enim, vt dum pars essentiæ non habet *esse*, nihil & simul aliquid ex pertinentibus intrinsecè ad talem essentiam haberet *esse* præter dictum residuum, contra *propos.* 1. siquidem essentia & est aliquid distinctum à dicto residuo, & est aliquid ex pertineniibus intrinsecè ad se. Concluditur ergo essentiam compositam neutiquàm posse habere *esse*, dum aliqua pars eius *esse* non habet, atque adeò, quin habeant *esse* omnes, & singulæ. Breuius aliter. Impossibile est, aliquod totum habere *esse* sine suis partibus. Vt per se est notissimum. Ergo & aliquam essentiam compositam habere *esse* sine suis. Quæ erat prima pars ostendenda propositionis.

114 Secunda autem sic ostenditur: quia habentibus *esse* omnibus partibus essentiæ non potest quidpiam deficere, seu non habere *esse*, nisi hoc ab omnibus illis, & singulis adæquatè distinctum sit vt est notissimum. Si enim illis omnibus permanentibus, aliquid inadæquatè saltem identificatum cum aliquâ earum deficeret hæc simul deficeret, & non deficeret, contra *propos.* 1. sed essentia non est quidpiam adæquatè distinctum ab omnibus, & singulis suis partibus, vt constat: ergo eis omnibus permanentibus, siue habentibus *esse* ipsam deficere, siue non habere *esse* impossibile est.

Porrò hæc propositio non solùm in essentiâ per se compositâ, sed etiam in essentiâ per accidens locũ habet. Quia licèt hæc alicubi possit habere *esse*, quin habeant ibidem *esse* omnes partes eius, iuxta dicta *propos.* 7. & postmodùm iterùm dicenda *propos.* 11. At absolutè loquendo, vt loquimur in præsente propositione, nullatenus potest essentia per accidens habere *esse*, quin omnes itẽ partes eius *esse* habeãt, & vice versâ. Quandoquidèm etiam essentia per accidens in suo conceptu adæquato, atque, adeò in suo *esse* omnium suarum partium *esse* complectitur, non quidem directè, vti essentia per se, sed partim directè, & partim de connotato, atque adeò ad suam obiectiuam veritatem omnium etiã suarum partium veritatem obiectiuam exposcit, vt planè constat ex dictis *propos.* 7. 115

## *Propositio 10.*

Impossibile est aliquam essentiam per se compositam aliculi habere *esse*, quin omnes, & singulæ partes ibidem habeant *esse*, & vice versâ. 116

Hæc propositio præterquàm quòd etiam ex terminis est euidens, eodem insuper modo venit demonstranda, ac præcedens, cuius proinde demõstratio facilè ei ab vnoquoque applicari poterit, ne à nobis repetatur.

Itaque nequit essentia per se composita esse in aliquo statu, aut tempore, aut loco, aut subiecto &c. quin in eodem sint omnes, & singulæ partes eius; & è conuerso: nequeunt omnes, & singulæ partes essentiæ per se cõpositæ esse in aliquo statu, aut tempore, aut loco, aut subiecto &c. quin in eodem sit ipsa essentia. 117

## *Propositio 11.*

Essentia per accidens benè potest habere *esse*, siue esse alicubi, quin sint, siue habeant *esse* ibi omnes partes eius. Non tamen e conuerso. 118

Prior pars propositionis inde monstratur: quia essentia per accidens ibi cum veritate dicitur esse, vbi est ea pars, quam illa dicit directè; tametsi non sint ibidem cæteræ partes, quas dicit de connotato, vti *propos.* 7. ostensum est. Ergo benè potest essentia per accidens esse, siue habere esse alicubi, quin ibi sint, siue habeant esse omnes partes eius.

Secunda autem pars ostenditur: quia si omnes partes essentiæ per accidens alicubi, siue in eodem tertio sunt, non potest nõ esse ibi ea pars, quã illa dicit directè, vt est notũ sed vbi est ea pars, quã dicit directè essentia per accidens, ibi esse ipsam essentiam necesse est, vt constat etiam ex dictis *propos.* 7. Ergo nequit fieri, vt omnes partes essentiæ per accidens alicubi, siue in eodem tertio sint, quin sit ibidem ipsa essentia. 119

Itaque benè potest cum veritate dici, passimque dicitur essentia per accidens esse in aliquo statu, aut tempore, aut loco, aut subiecto, &c. in quo non sunt omnes partes eius; oportet tamen illas esse in eo statu, aut tempore, aut loco, aut subiecto, in quo connotatur, prout multis exemplis est comprobatum dicta *propos.* 7. Si verò omnes partes essentiæ per accidens sunt in eodem statu, aut tempore, aut loco, aut subiecto, &c. planum est non posse ipsam essentiam non esse in eodem. 120

Propositio

## Propositio 12.

121 Impossibile est aliquam essentiam deficere, siue non habere *esse*, quin vel ipsa tota, vel aliqua pars eius deficiat, siue non habeat *esse*.

Hæc propositio vniuersalissima est, in omniq; essentia locũ habet, & demonstratur facilè. Quoniam vel est essentia simplex, vel composita ex partibus? Si simplex, impossibile est eam deficere, quin tota ipsa deficiat, vt patet; aliàs deficeret simul, & non deficeret contra *prop.* 1. Si composita; aliqua saltem pars eius deficere debet, vt deficiat ipsa. Alioquin habentibus *esse* omnibus, & singulis partibus eius; atque adeo non deficientibus, ipsa non haberet *esse*, atque adeo deficeret contra *prop.* 9.

## Propositio 13.

122 Quoties aliqua pars essentiæ compositæ deficit, siue non habet *esse*, & ipsam essentiam deficere, siue non habere *esse* necesse est.

Est clarum: Quia si deficiente aliquâ parte essentiæ compositæ, essentia ipsa non deficeret, fieret, vt talis essentia composita haberet *esse*, quin omnes, & singulæ partes eius haberent esse contra *prop.* 9.

123 Quod si ad defectum vel vnius tantum partis essentiæ compositæ deficere ipsam essentiam, necesse est, potiori iure necesse erit, deficere ad defectum plurium, aut omnium, vt constat.

## Propositio 14.

124 Impossibile est aliquam essentiam per se compositam alicubi non habere esse, siue inde deficere, quin vel ipsa tota, vel aliqua pars eius ibidem non habeat *esse*, siue inde deficiat.

Quoniam alioquin habentibus ibi *esse*, atque adeo inde non deficientibus omnibus, & singulis partibus essentiæ per se compositæ, ibidem non haberet *esse*, atque adeo inde deficeret essentia ipsa contra *prop.* 10.

## Propositio 15.

125 Quoties aliqua pas essentiæ per se compositæ alicubi non habet *esse*, atque adeo inde deficit, & ipsam essentiam ibidem non habere *esse*, indidémque deficere, necesse est.

Fieret enim ex oppositio, vt aliqua essentia per se composita alicubi haberet *esse*, quin ibidem haberent *esse* omnes, & singulæ partes eius, contra *propositi.* 10.

126 Vnde patet potiori iure necesse esse, vt inde deficiat essentia per se composita, vnde deficiunt aut plures, aut omnes partes eius.

## Propositio 16.

127 Vt aliqua essentia per accidens cum veritate dicatur alicunde deficere, non est necesse, vt aliqua pars eius deficiat indidem.

Dummodo enim aliqua pars eius deficiat alicunde, inde vbi diceretur ea esse, dicetur deficere. Sic propositio affirmans obiectum aliquod cras extiturum, hodie non erit vera, hodieque proinde deficiet veritas eius, ex eo præcisè, quod tale obiectum non sit cras extiturum, quantumuis hodie nihil deficiat eorum, quæ existerent hodie si illa esset vera. Recognosce doctrinam traditam *propositi.* 7. 9. & 11.

## Propositio 17.

Vndecumque deficiat aliqua pars essentiæ per accidens, necesse est ipsam essentiam absolutè deficere. 128

Supponitur enim talem partem prout habentem *esse* ibi, vnde deficit, pertinere ad talem essentiam; atque ita in ordine ad illam componendam absolutè deficere, eo ipso, quòd inde deficit, etsi permaneat alibi. Constat autem ex *propositi.* 13. quoties aliqua pars essentiæ compositæ deficit absolutè loquendo, non posse non etiam deficere essentiam ipsam.

## Propositio 18.

Quoties partes essentiæ per se compositæ in diuersis tertiis habent *esse*, iuxta doctrinam statutam *propositi.* 5. neque in eorum vllo, neque in illis omnibus, aut in aliquibus distributiue sumptis habet *esse* talis essentia sumpta indiuisim. Habet tamen illa *esse* in omnibus per quamdam distributionem accommodam. 129

Prior pars propositionis inde monstratur: quia ex oppositio fieret, vt essentia per se composita alicubi haberet *esse*, vbi omnes, & singulæ partes eius *esse* non habent contra *propositi.* 10. Posterior autem pars inde constat: quia habere *esse* talem essentiam in omnibus prædictis tertiis per quamdam distributionem accommodam, nihil est aliud, quam partes eius ita esse distributas per talia tertia, vt singulæ in singulis, siue vnaquæque in suo diuerso à reliquis habeant esse.

Ex hac propositione sequitur primò eiusmodi essentiam indiuisim sumptam in nullo tertio, atque adeo nullibi habere *esse*, loquendo cum rigore: quia nullum est tertium, in quo tota illa habeat *esse*. Absolutè tamen loquendo alicubi dicitur esse, quatenus per sui distributionem accommodam in omnibus illis tertiis est, in quibus sunt distributæ omnes partes eius. 130

Secundò sequitur; quoties eiusmodi essentia deficit ad defectum alicuius partis sui, iuxta *propositi.* 13. ita eam deficere, vt necvnde indiuisim sumpta deficiat rigorosè loquendo, tametsi alicunde deficiat ea pars, ad cuius defectum illa deficit: quia, quod nullibi esset, si esset, necvnde deficit, si deficit, sub eodem rigore sermonis. Absolutè tamen loquendo alicundè dicitur deficere, quando deficit, nimirum ab aggregato eorum tertiorum sumpto indiuisim, in quo per distributionem accommodam suarum partium esset, si esset. 131

## Propositio 19.

Id, quo præcisè deficiente, & cæteris omnibus per possibile, aut impossibile permanentibus, deficit quælibet essentia, aut est essentia ipsa, aut aliqua pars eius ipsam intrinsece constituens. 132

Vt hanc propositionem demonstrem, pono id, ad cuius solius defectum essentia deficit, esse A. Et arguo sic primò. Impossibile est essentiam deficere, quin, vel ipsa tota, vel aliqua pars eius deficiat, iuxta *propositi.* 12. Sed deficiente A præcisè, & cæteris omnibus per possibile, aut impossibile permanentibus, deficit essentia, vt supponimus: ergo A, vel est essentia ipsa, vel pars eius. Alioquin deficeret essentia, quin vel ipsa tota, vel pars eius deficeret, contra eamdem *propositi.* 12. Secundò

aliter. Si A non esset,vel essentia ipsa,vel pars eius (quo casu necessario esset A aliquid adæquatè distinctum ab ipsa essentia, vt constat) & nihilominus solo A deficiente, deficeret essentia, vt supponitur, fieret vt deficiente solo A, non deficeret solum A contra *propos.* 1. Siquidem deficiente solo A, deficeret insuper aliud ab ipso A adæquatè distinctum, nimirum ipsa essentia, quæ deficit, vti supponitur, deficiente A.

133 Ex hac propositione sequitur primò demonstratiuè; falsam esse doctrinam illam, quam de connotatis appellant, quorumdam Doctorum dicentium in denominationibus, quas nos semiextrinsecas per identitatem vocamus,iuxta dicta *disp.*8.*q.*3.*diuis.*1. formam denominantem adæquatè esse identificatam cum subiecto;indigere tamen eam extrinseca aliqua conditione,vt ipsi suum præbeat effectũ formalem, quin vllomodo talis conditio ad talem effectum formalem, ad talemve denominationem pertineat intrinsecè. e. g. entitatem A per relationem similitudinis sibi adæquatè identificatam reddi, seu denominari similem entitati B, dummodo tamen existat ipsa entitas B,& non aliter,quin sit propterea entitas B aliquid intrinsecè pertinens ad talem denominationem, sed tantùm conditio quædam merè extrinseca,extrinseceque requisita,vt ipsa denominatio existat. Ita etiam dicunt decretum, quo Deus decreuit dare existentiam Antichristo futuro, & scientiam, qua illum futurum videt, adæquatè esse identificatam cum Deo, indigere tamen tanquam extrinseca conditione,quòd sit Antichristus futurus ad hoc,vt denominet Deum decernẽtem,& cognoscentem fore Antichristum;pariterque passim in similibus philosophantur. Verùm,quàm sit falsa hæc doctrina ex propositione demonstrata plane conuincitur.Si enim sola entitate B deficiente,in exemplo priori, & cæteris cunctis permanentibus, deficit essentia denominationis, qua entitas A reddebatur similis ipsi B,non potest non,iuxta dictam propositionem, entitas B intrinsecè pertinere ad talem essentiam,vt quædam pars intrinseca eius. Tantumdemque dicendum venit in posteriori exemplo, & in quibusque aliis similibus.

134 Secundò sequitur vniuersè, quoties quæuis essentia indiget aliquo ad existendum, & non vt termino extrinseco alicuius connexionis, quam cum eo habeat, non posse non indigere illo, vt constitutiuo intrinseco sui: quia nequit tunc non esse verum, eo præcisè deficiente, talem essentiam defecturam. Est clarum: quia id quo essentia indiget ad existendum necessario debet esse aut constitutiuum, aut non constitutiuum essentiæ: iuxta *propos.* 1. Sed non est non constitutiuum in casu, in quo loquimur: quia esset terminus extrinsecus alicuius connexionis essentiæ,quem casus ipse excludit. Igitur est constitutiuum; atque adeo eo præcisè deficiente, essentia deficeret. Vnde iterum redargui possunt connotatores commemorati: quia conditio illa,quam pro denominationibus semiintrinsecis extrinsecam ponunt,nullius connexionis eiusmodi denominationum est extrinsecus terminus; siquidem permanentibus cæteris omnibus,ipsa præcisè potest absolutè deficere. Terminus autem extrinsecus connexionis absque defectu alterius entis à se distincti deficere nequit,vt constat,constabitque ampliùs ex dicendis *disp.*14.

135 Tertiò spèciatim sequitur contra quosdam Thomistas è numero connotatorum: quia materia, & forma possunt existere,quin existat compositum,siue physicum,vt homo,siue morale,vt sacramentum, non posse non in tali composito includi id,ex cuius solius defectu deficit illud, materia, & forma persistentibus; & ipsi extrinsecam tantùm conditionem ad compositi existentiam appellant. Quod aliter sic demonstrari potest. Existentibus materia, & forma præcisè, existunt duo, & non existit compositum:ergo compositum aliquid ampliùs est intrinsecè, quàm hæc duo. Sed,quod est intrinsecè plus, quàm duo, vt minimum debet esse intrinsecè tria. Ergo compositum vt minimum est intrinsecè tria. Et consequenter id,quod ad complendum ternarium deest, & cuius solius defectu deest compositum,nequit non esse vnum ex constitutiuis intrinsecis ipsius compositi. Deinde aliter demonstratur id ipsum. Compositum seu physicum, seu morale nihil aliud claudit intrinsecè præter materiã,& formam, iuxta aduersarios: ergo aggregatum coalescens ex solis materia, & forma idem est atque aggregatum omnium partium intrinsecè constituentium compositum. Est clarum:ergo quæcunque alia deficiant, impossibile est deficere essentiam compositi, existẽtibus materia, & forma, prout Aduersarij ipsi prætendunt. Nam vbicunque est aggregatum omnium partium,ex quibus quæuis essentia composita est,ibi sit ipsa essentia necesse est,iuxta *propsit.*10. Hisce duabus arguendi formis venit etiam propositio data vniuersaliter demonstranda pro casibus,in quibus essentia,de qua in illa est sermo, ex partibus composita sit.

Ex quibus patet contra Doctores commemoratos 136
intentionem ministri intrinsecè ad essentiam sacramenti spectare: quia ea sola deficiente, non est sacramentum,& aliquod genus vnionis à materia, & forma distinctum ad essentiam compositi physici: quia existentibus materia,& forma hominis absque omni vnione ab illis distincta, non existit homo. Patet similiter contra Scotistas confessionem pœnitentis, doloremq; eius de peccatis ad sacramentum Pœnitentiæ intrinsecè spectare: quia deficiente confessione,aut dolore,& cæteris omnibus existentibus, tale sacramentum non existit. Pariterque in similibus philosophandum est.

## *Propositio* 20.

Contradictorium eius, ad cuius solius positio- 137
nem essentia deficit, aut est essentia ipsa, aut pars eius.

Quia deficere essentiam ad illius solius positionem, & deficere ad defectum solius contradictorij eius,idem omnino est, cùm idem prorsus sit ipsum poni, & eius contradictorium deficere, iuxta *propsit.*2. Sed id, ad cuius solius defectum essentia deficit, aut est essentia ipsa aut pars eius, iuxta *propos.*19. Ergo contradictorium eius, ad cuius solius positionem essentia deficit, aut est essentia ipsa, aut pars eius.

## *Propositio* 21.

Quidquid habet *esse*, quale est omne ens, aut à 138
se ipso habet illud, aut ab alio tanquam à principio efficienti habet acceptum.

Est clarum. Quoniam habens quidpiam aut à se ipso,aut ab alio habeat necesse est. Habens autem *esse* ab alio aliter,quàm vt à causa efficiente,perque effectionẽ sui habere non potest.Ob id enim quidpiã de non esse ad esse trãsire aliter,quàm per sui effectionẽ impossibile est;vt ex se euidentissimè patet. Dicitur autem causa efficiens principium influens

*esse*

*esse* in effectum, siue illi per affectionem dans *esse*. *Esse* verò, quod omne ens habere dicitur, aliud est essentiale, à quo vnumquodque dicitur esse id, quod de suo, siue ex conceptu suo obiectiuo est; aliud existentiale, à quo vnumquodque dicitur esse, existereue in naturâ rerum. Quorum primum omnibus entibus etiam non existentibus conuenit in statu rerum quiditatiuo, siue obiectiuo; secundum solis existentibus in statu rerum existentiali. Et quidem *esse* existentiale nullũ ens habet à se prætervnũ Deum optimum maximum, sed cuncta illud habent acceptum ab aliquâ causâ efficiente, secundum fidem. *Esse* verò essentiale quodammodò dicuntur habere à se, siue de suo cuncta entia intra statum quiditatiuum, seu obiectiuum, qui ab existentiâ eorum præscindit, prout *infra disp.* 10. explicabimus.

139 Porrò idem ens habere *esse* à se, & simul ab alio impossibile est: quia illud ens dicitur habere *esse* à se, quod non habet tale *esse* acceptum ab alio. Illud verò dicitur habere *esse* ab alio, quod tale *esse* habet ab alio acceptum. Habere autem idem ens aliquod *esse* simul acceptum, & non acceptum ab alio, planè est impossibile, iuxta *propos.* 1. Ex quibus patet primò idem ens quoad idem sui *esse* nullatenus posse esse simul ens à se, & ens ab alio. Secundò patet omne ens à se, quâ tale esse ens non factum: quia omne ens à se, quâ tale *esse* habet non acceptum ab alio, omne autem ens factum, quâ tale *esse* habet acceptum ab efficiente; siquidem efficiens quidpiam illi dat *esse* per effectionem, vt constat ex dictis. Tertiò patet omne ens ab alio, quâ tale, ab eo esse factum, à quo est, quia ab eo habet *esse* acceptum; aliter autem, quàm per effectionem habere non potest, vt statuimus.

140 Hæc propositio cum suâ explicatione, aliæque nonnullæ ex sequentibus ex parte saltem pertinent ad alias materias; oportet tamen eas per modum quorumdam lemmatum hîc assumere pro aliis ex eis in sequentibus demonstrandis.

## *Propositio 22.*

141 Aliquod ens se ipsum facere, sibiue ipsi per effectionem dare *esse* impossibile est.

Hoc est principium ex terminis ipsis satis euidens, ampliúsque declaratur. Primò: quia cum *esse* in eo, quod facit suâ naturâ præsupponatur ad facere, in eo autem, quod fit, postponatur, vt satis itidem ex terminis notum est; si aliquid faceret se ipsum, id quidem priùs esset, quàm esset, quæ est contradictio in ipsis terminis. Secundò: quia si quid per effectionem daret sibi *esse*, priùs daret, quàm haberet, quod dabat; & ita daret, quod non habebat, quod pariter est implicatorium.

## *Propositio 23.*

142 Integrum aggregatum entium ab aliquo constitutiuo sui fieri, aut ipsum facere impossibile etiam est.

Quia si integrum aggregatum entium ab aliquâ parte constitutiuâ sui fieret, aut ipsam faceret, talis pars à se ipsâ fieret, & se ipsam faceret contra *propos.* 22. esset enim causa effectiua partialis sui, vt constat. De hoc tamen plura *infrà* explicatius.

## *Propositio 24.*

143 Principium effectiuum, seu productiuum, & id, quod ab illo fit, seu producitur, realiter inter se distingui necesse est.

Si enim possent esse idem; idem posset esse principium effectiuum, seu productiuum sui; atque adeò idem à se ipso fieri posset, seu produci contrà *propos.* 22.

## *Propositio 25.*

Quidquid existit, aut semper extitit, aut aliquan- 144
do cæpit existere.

Hæc propositio ex terminis est satis euidens: quia existere aliquid, & neque semper extitisse, neque vnquam cæpisse existere euidenter est impossibile. Etenim omne existens in aliquo tempore existere siue finito, siue infinito necesse est. Repugnat enim quidpiam existere, & nunquam, siue in nullo tempore, siue extra omne tempus existere: quia nihil est extra existentialiter, cum tempus, quod imaginarium appellant, necessariò complectatur suâ amplitudine omnia existentia, vt lumine naturæ est notum. Vel ergo id, quod existit, existit in tempore finito, vel in tempore infinito à parte ante? si in infinito semper extitit: si in finito, aliquando cœpit existere, vt est notissimum. Igitur quidquid existit, aut semper extitit, aut aliquando cœpit existere, vt propositio nostra fert.

Sed demonstremus eam insuper, vt firmior eua- 145
dat, suppositis duobus principiis, altero certo secundum fidem; altero & fide etiam certo, & lumine naturæ noto. Primum est. Deum titulo suæ æternitatis necessariò existere in omni tempore. Secundum est. Deum cæteris omnibus existentibus necessariò coëxistere: tum quia æternus, tum quia dans illis existentiam per effectionem. Nullum enim efficiens posse operari quidpiam extra tempus, in quo est existens, euidenter est notum, iuxta dicenda *infrà propos.* 30. Ex quibus sic propositio ostenditur. Id, quod existit, aut est ipse Deus, & sic semper extitit, vt constat; aut est quid factum à Deo, & sic nequit non coëxistere Deo, id est, simul cum Deo existere in eodem tempore. Vel ergo tale tempus est infinitum à parte ante, & sic semper extitit, vel finito, & sic aliquando cœpit existere. Quod erat ostendendum.

## *Propositio 26.*

Quidquid denuò incipit existere, ab alio fiat ne- 146
cesse est.

Quia, quod modò incipit existere, cum anteà non exstitisset, modò incipit habere *esse* existentiale, quod non habebat, modóque subindè accipit *esse*, quo anteà carebat; accipere autem *esse* existentiale, & fieri, idem omninò est, cùm sit compertum non posse quidpiam transire de non esse ad esse, nisi per aliquod genus effectionis, qua fiat, iuxta *propos.* 21. At idem à se ipso fieri impossibile est, iuxta *propos.* 22. Ergo, quod denuò incipit esse, ab alio fiat necesse est.

## *Propositio 27.*

Quod semper, & ad æterno extitit, nec vnquam 147
incepit existere, ab alio quopiam factum esse necesse non est.

Quia esse, quo nunquam caruit, de suo, & per essentiam potuit habere, quin illud per sui effectionem acciperet; necesseque proinde non est ab alio quopiam factum esse. Hoc autem pacto solus Deus

optimus maximus semper, & ab æterno fuit, iuxta fidem.

148 Si quid tamen aliud ita semper, & ab æterno extitisset, nec vnquam incœpisset in tempore, vt *esse* existentiale per sui effectionem haberet acceptum; id certè non posset non ab alio quopiam esse factum, cùm sit vniuersè impossibile aliquid à se ipso fieri, iuxta *proposit.* 22.

## *Propositio 28.*

149 Omne existens non factum ab alio, à seque proinde habens existere, iuxta *proposit.* 21. semper, atque adeò ab æterno extitisse necesse est.

Quoniam si non extitisset semper, cœpisset aliquando existere, iuxta *proposit.* 25. si autem cœpisset aliquando existere, ab alio esset factum, iuxta *proposit.* 26. & simul, vti supponitur, non esset factum ab alio, contra *proposit.* 1.

## *Propositio 29.*

150 Quòd aliqua duo, vel plura se mutuò efficiant, siue producant physicè secundum idem sui *esse* impossibile est.

Hæc propositio principium est etiam satis euidens, & receptum ab omnibus, ex aliisque iam statutis facilè sequitur. Etenim si A primò efficeret B, à quo vicissim primò fieret, A certè seipsum efficeret saltem mediatè. Tum A daret *esse* B, antequam haberet *esse* ab illo; atque adeò daret; quod non habebat. Esset etiam A, & simul non esset prius naturâ suâ, quàm B, & è conuerso: quia A prius esset, quàm B, & simul posterius in eadem serie, & secundum idem, quæ manifestè sunt opposita. Vnde etiam fieret vt A, prius esset se ipso quoad primum sui *esse*, atque ita prius esset, quàm esset. Aggregatum denique ex A, & B, seipsum primò transferre posset de non esse ad esse, atque ita sibi ipsi dare *esse*, quod non haberet, siue antequam haberet, denuóque subinde posset incipere existere, quin fieret ab alio quopiam. Quæ omnia contra *proposit.* 22. & 26. sunt & manifestè impossibilia.

151 Quod autem dicimus de repugnantia mutuæ effectionis, seu productionis physicæ secundum primum, & idem factorum *esse*, vniuersaliter est verum, siue ea sit immediata, vt in exemplo proposito de A, & B, siue sit mediata, seu remota, vt si fingamus A producere B, & B producere C, & C producere D, & D producere ipsum A. Quippe eadem absurda, eædemque repugnantiæ cernuntur in mutuâ effectione mediatâ, atque in immediatâ, imò apertiùs in illa apparent. Plus enim videtur repugnare, quòd nascantur ex A tria entia B, C, D. proposito ordine, antequam A accipiat primum esse à D; quàm, quòd nascatur solum B, & consequenter, quod A tantò antequam habeat, det, quod non habet ipsi B, & quod cùm sit tantò antè priusquàm D, sit nihilominus posterius ipso D, &c. Itaque siue sit mediata, siue immediata, repugnat prorsus effectio mutua plurium entium secundum idem sui *esse*.

152 Quod addo: quia mutua plurium entium causalitas secundum diuersas existentias eorum, ita vt vnumquodque secundùm alteram existentiam causet, & secundum alteram diuersam causetur, non est vnde repugnet: quia diuersæ eiusdem entis existentiæ, diuersis, quod ab rem attinet, æquiualent entibus. Propterea mutua causalitas intentionalis, aut partim intentionalis, & partim physica non repugnat, vt in fine, & mediis cernere licet; finis enim prout apprehensus, & amatus est causa mediorum, à quibus vicissim causatur. Quælibet etiam duo, vel plura entia prout apprehensa possunt se mutuò causare quoad existentiam physicam: quia nimirum, quod intentionaliter causat, non influit secundum existentiam physicam in id, à quo talem existentiam accipit, sed secundum existentiam obiectiuam, quam non accipit ab illo. Similiter non repugnat mutua causalitas physica plurium entium secundum existentias physicas eatenùs inter se diuersas, quatenus diuersis temporibus correspondentes sunt. Si enim ignis A primò producat ignem B, intereaque ignis A, permanente B, nihil vetat, quòd ignis A ab igne B reproduci possit, accipereque subinde secundum *esse* ab eodem, cui communicauit primum. Pariterque suppositò, quòd omnia, quæ fiunt, indigent causa conseruante, & perseuerent; si ignis A conseruatus ab alio quopiam primò producat ignem B, benè poterit ignis B postmodum conseruatus ab alio conseruare ignem A, tametsi pro eâdem temporis mensurâ mutuò nequeant se conseruare, sicut neque primò producere.

## *Propositio 30.*

Ens non existens, dum non existit, alteri enti dare existentiam, siue illud facere impossibile est. 153

Hæc propositio cunctis est euidens, omninóque certa ex ipsis terminis; & confirmari potest primò: quia in omni ente prius est esse, quàm operari: ergo impossibile est quidpiam operari, dum non est. Secundò: quia nullum ens potest dare alteri, quod in se nullomodò habet. Sed ens non existens nec formaliter, nec eminenter habet in se existentiam alterius: quia dum non existit, nihil prorsus existentialiter habet in se: ergo ens non existens alteri enti existentiam dare non potest. Tertiò quia si ens non existens alteri posset dare existentiam per effectionem, nihil vetaret, quominùs duo entia mutuò se se possent efficere secundum idem *esse* contrà *proposit.* 29. Imò idem se ipsum posset facere quoad primum *esse*, contra *proposit.* 22. Siquidem repugnantia horum duorum inde tandem ducit originem, quod *esse* ad facere necessariò præsupponendum est, vt cuique perpendenti patebit.

Ex hâc propositione constat causam efficientem, 154
& eius effectum in eâdem temporis mensurâ debere necessariò coexistere, nec esse possibile vt effectus accipiat existere in aliquo tempore à causâ non existente in eodem, quantumuis ea existat in alio antecedente, vel subsequente, vt suprà etiam obiter est statutum *proposit.* 25.

Cum quo stat posse esse aliquid requisitum, vt 155
sit causa efficiens proximè potens ad producendum physicè effectum, & consequenter conducens per modum conditionis, aut aliter, vt talis causa tali effectui det existentiam physicam, quin sit existens in eâdem temporis mensurâ, in quo coëxistunt causa, & effectus: eo quòd non prout existens in eâ temporis mensurâ, sed aliter est requisitum, conducensque ad eiusmodi munera. Sic possibilitas intrinseca effectus, quæ ab eius existentiâ præscindit ad dicta munera est requisita, conducensque, vt ex dictis *disput.* 8. *quæst.* 5. *proposit.* 5. constat. Sic veritas conditionata de existentiâ termini connexionis effectus sub conditione ipsius effectus, iuxta dicta in *eâdem quæst.* 5. *proposit.* 7. E. g. vt intellectus humanus sit proximè potens in hoc instanti ad eliciendum actum fidei

fidei diuinæ de existentiâ futurâ Anti-Christi, & consequenter vt illum eliciat de facto, duo sunt requisita. Primum, quòd talis actus fidei ex suo conceptu sit possibilis, siue nullam secum ferens contradictionem. Secundum, quòd sit verum saltem sub conditione ipsius actus Anti-Christum esse futurum in suâ temporis mensurâ. Absque quouis enim horum duorum non esset potens intellectus humanus elicere talem actum fidei in hoc instanti, cùm tamen neutrum eorum sit quidpiam in eodem instanti existens. Quæ etiam duo pariter fuerunt requisita, atque adeò conducentia vt Deus esset proximè potens ad reuelandum, vtque reuelaret de facto fore Anti-Christum. Similiter bonitas finis cras producendi, quid requisitum est, & conducens, vt Deus hodie, vel homo producat medium ad obtinendum cras talem finem & tamen talis bonitas hodiè existens non est: si enim finis de suo bonus non esset, Deus, vel homo non iudicaret esse eum talem; proindeque nec per iudicium de bonitate eius ad ipsum desiderandum, & procurandum moueretur.

156 Præterea. Vt Deus, vel homo sit hodiè proximè potens punire delictum, quid requisitum est, & conducens ipsum delictum præxtitisse; quod tamen hodiè iam existens non est. Et vniuersè terminus connexionis cuiuslibet constitutiui potentiæ proximæ causæ ad effectum, quid requisitum est, & conducens vt existat talis potentia proxima, & consequenter vt existat effectus; & nihilominùs talis terminus sæpè non est quid existens pro tempore, quo effectus producitur, vt cernere est, quando per actum fidei diuinæ de obiecto futuro, aut præterito, aut purè possibili connexum cum obiecto ipso fit proximè potens voluntas ad eliciendum actum amoris, timoris, aut spei, in aliisque huiusmodi casibus. Denique vt mobile producat præsentiam sui nunc in hoc spatio, requisitum est, & conducens, quod fuerit illud præsens tempore immediate antecedente in spatio huic immediato, quæ tamen præsentia præterita iam non existit nûc. Itaq; posse esse aliquid requisitum, atque adeò conducens per modum conditionis, aut aliter, vt causa det existentiam effectui, quin sit coexistens causæ, & effectui, quando est requisitum, & conducens secundùm aliquod sui *esse* diuersum à coexistentiali cum causâ, & effectu; dubitandum non est. Tametsi causa efficiens effectum, atque ita illi dans existentiam necessariò debeat esse coëxistens illi in eâdem mensurâ temporis, in quo efficit ipsum, vt propositio data postulat.

## *Propositio 31.*

157 Omne ens existens ab alio aliquâ causâ effectiuâ sui indiget ad sui existentiam prout sibi coexistente.

Quia nullum ens existens ab alio potest existere aliter, quàm per sui effectionem, iuxta *propos.* 21. Per sui autem effectionem non potest ens aliquod sibi ipsi dare existentiam, sed illam ab alio necessariò debet accipere, iuxta *propos.* 22. At ab alio non coëxistente sibi nequit accipere, iuxta *propos.* 29. Ergo omne ens existens ab alio ad sui existentiam aliquâ causâ effectiuâ indiget, prout sibi coëxistente.

## *Propositio 32.*

158 Nullum ens non existens ad non existendũ indiget causâ effectiuâ sui non existere, siue suæ negationis.

Hæc propositio satis superque videtur euidens & ferè ab omnibus, ni fallor vt talis recipietur. Ob id eam inter euidentes enumero, tametsi nequeat non dissidere à singulariſſimâ illâ opinione vnius, aut alterius Recentioris ponentis negationes entium formaliter in impedimentis positiuis eorum, de quâ nobis actum est *suprà quæst.* 3. Probari autem potest primò: quia ex hypothesi, quòd deficeret omnis causa effectiua per locum intrinsecum, sequitur fore, vt omne ens non existens necessariò non existeret absque causâ effectiuâ. Tantùm abest, vt illâ indigeat ad non existendum.

159 Secundò: quia vt ens aliquod existentiam non habeat, vtque subinde vniuersitas existentium non habeat illud, non opus est, quòd quidpiam detur aut ipsi enti, aut vniuersitati existentium, sed potiùs, quòd non detur, vt patet. Ad non dandum autem non est opus datore, cùm potius ibi non datio certior sit, vbi nullus dator existit: ergo vt ens aliquod existentiam non habeat, non opus est causâ effectiuâ, quæ munus datoris exerceat comparatione effectus. Similiter, vt aliquod ens non existat in rerum naturâ non opus est, quòd quidpiam existens in rerum naturâ ponatur, sed potius, quòd non ponatur, seu quòd ponatur nihil, vt abundè ostensum est *suprà quæst.* 3. ad nihil autem ponendum nullo ponente opus est, vt constat. Ergo. Similiter, vt aliquod ens non existat, non opus est, quòd fiat quidpiam, sed potiùs, quòd non fiat. Vbi autem nullo opus est facto, neque opus est vllo factore, siue efficiente, vt constat: ergo.

160 Tertiò respectu non existentiæ, seu negationis entis, nulla causæ effectio est possibilis: quia impossibile est causam efficere, & nihil efficere: non existentia autem, seu negatio entis prorsus est nihil, vt *quæst.* 3. *citatâ* monstratum est: ergo respectu non existentiæ; seu negationis entis nulla effectio necessaria esse potest, cùm certum sit necessarium esse non posse, quod est impossibile, sublata autem necessitate effectionis respectu non existentiæ, seu negationis entis, & quòd è medio tollatur respectu eiusdem necessitatis causæ effectiuæ necesse est, vt constat.

161 Quartò. Nullum ens distinctum à Deo indiget ad suam non existentiam causa effectiua creata, siquidem absque omni causa effectiua creata verè non extitit ab æterno omne ens distinctum à Deo, vt fide sanctum est: sed neque indiget causa effectiua increata, nimirum ipso Deo prout efficiente: ergo absolutè nullum ens distinctum à Deo indiget ad suam non existentiam causa effectiua. Cætera constant. Minor ostenditur ab absurdo: quia si Deus ab æterno aliquam exercuisset effectionem circa non existentiam, seu negationem omnium aliorum entium, cùm effectio suopte conceptu absque termino per ipsam facto stare non possit, vt est notum, sequeretur tot Deum ab æterno fecisse effectus, quot fuerunt ab æterno negationes aliorum omnium entium. Quod tamen contra fidem est, iuxta quam nihil Deus ab æterno fecit verè, & realiter, sed cuncta in tempore.

162 Ex his concluditur nullum ens, quoad suam non existentiam, & consequenter nullam entis negationẽ, quoad suam obiectiuam veritatem (quæ à nobis tanquam quid positiuè existens concipitur, cùm nihil prorsus tale sit, iuxta dicta *quæst.* 3.) aut aliqua effectiuâ causa indigere, aut ab aliqua causa effectiua posse effectiuè dependere. Cum quo stat negationes entium possibilium, quoad suam obiectiuam veritatem, atque adeò quoad existentiam, quam

nos

nos illis, iuxta dicta loco citato, per quandam æqui-
ualentiam tribuimus, à causâ permissiua sui depen-
dere posse. Dico autè causam permissiuam eam, quæ
cùm possit tales negationes impedire per positionē
entium illis oppositorum non impedit. Quo pacto
Deus ab æterno fuit causa permissiua negationum
omnium entium possibilium, quatenus eas non im-
pediuit, cùm posset per effectionem ipsorum en-
tium. Quod tamen non faciendo quidpiam, sed
potius nihil faciendo cùm posset, subindeque liberè
præstitit.

163 Cæterum, quia causa libera affectu efficaci potest
aut velle, quòd existat negatio, aut nolle, quòd exi-
stat ens illi oppositum, quæ duo æquiualentia sunt;
scire opus est in tali casu eiusmodi causam non tam
permissiuè, quàm positiuè dici in talem negation-
nem influere loquendo moraliter. Quocirca duplici-
cem ad rem permissionem oportet distinguere,
physicam vnam, moralem alteram. Permissio physi-
ca interuenit, quando causa eatenus solùm influit in
id, quod dicitur permittere, quatenus illud non im-
pedit, cùm posset per positionē oppositi vltra quod
permissio moralis exposcit, vt causa non velit dire-
ctè, & efficaciter, vt illud sit, quâ ratione est. Dum
enim vult directè, & efficaciter vt sit illud, non tam
permissiuè, quàm positiuè censetur in illud influere,
loquendo moraliter, tametsi non det illi existentiam,
eo quod illud accipiendi ab alio existentiam inca-
pax est. Igitur, quod statuimus est negationes entium
aliter quàm per sui physicam permissionem à causa
dependere non posse. Tametsi permissio earum
physica, interdum sit etiam moralis; interdum non
item, iuxta dicta. Quo casu per sui moralem positio-
nem non quidem effectiuam, sed affectiuam dicen-
tur à causa dependere.

164 Quod si negationum entium nulla causa effecti-
ua datur, aut dabilis est; nec dabitur causa materia-
lis, seu receptiua: quia causa materialis non aliter
causat effectum, quàm recipiendo illum ab efficien-
te, huiusque actionem sustentando. De causa autem
formali positiua certum est nullatenus dari respectu
negationum: quia nulla negatio est quid composi-
tum ex positiua forma, vt constat. Causam autem
finalem eatenus solùm potest habere negatio, qua-
tenus causa influens in illam, aut purè permissiue,
aut physice permissiue, & moraliter positiue, prout
explicuimus, ex aliquo fine id præstare potest. Tunc
enim talis finis quodammodo etiam dicetur concur-
rere ad existentiam negationis.

165 Vnde tandem consequitur, quando negatio, nec
permissiuè quidem dependet ab aliquo ente, eo
quod nullum ens est potens ad impediendam illam
per positionem oppositi, vti euenit negationibus
chymærarum impossibilium, tunc illam nullam
omninò habere causam sui.

## *Propositio 33.*

166 Quoties pars essentiæ compositæ sine alio quo-
piam esse non potest; & ipsa essentia sine eodem
esse non potest.

Demonstratur facilè: quia essentia composita
non potest esse sine sua parte, iuxta *propos.* 9. Ergo
de primo ad vltimum nec poterit esse sine eo, sine
quo sua pars esse non potest. Vel aliter. Si essentia
composita potest esse sine eo, sine quo pars sua esse
nequit: ponamus esse, fietque vt pars inclusa in ta-
li essentia, atque adeò simul habens *esse* cum illâ sine
eo sit, sine quo non potest esse, quod est impossibi-
le. Conuenit namque actus subiecto non habenti
potentiam ad ipsum actum contra *propos.* 3. sta-
tutam *disputatione* 8. *quæst.* 4.

Ex hac propositione constat: quoties pars essen- 166
tiæ compositæ non potest sine alio quopiam exi-
stere, nec posse sine eodem existere essentiâ ipsam.

## *Propositio 34.*

Quoties pars essentiæ compositæ sine aliqua cau- 168
sa effectiua sui non potest existere, neque essentia
ipsa potest existere sine eadem, Idque tanquam sine
causa pariter sui effectiua.

Prior pars propositionis constat ex præcedente.
Neque vlla eget demonstratione. Posterior autem
inde monstratur, quia omnis causa afficiens partem
ex qua, suppositis reliquis, resultat totum, eo ipso di-
citur facere totum. Sic enim homo dicitur produce-
re hominem, etsi producat solam vnionem, ex quâ
suppositâ materia, & anima resultat homo. Sic Ar-
tifex dicitur facere statuam, licèt non faciat mate-
riam eius, quia facit aliquid, ex quo, suppositis reli-
quis, resultat statua. Sic homo facit peccatum, quia
ponit aliquid, ex quo, suppositis reliquis fundamen-
tis ab ipso non factis, resultat peccatum. Et in cæte-
ris, quæ valde sunt obuia similiter.

Ex hac propositione constat. Quoties pars essen- 169
tiæ compositæ aliqua causa effectiua sui eget ad
existendum, eadem causa effectiua sui egere ad exi-
stendum essentiam ipsam. Idem namque est posse
quidpiam existere sine causa effectiua sui, & illa ad
existendum egere, vt est notum.

## *Propositio 35.*

Quoties pars essentię compositæ facta est, & ipsam 170
essentiam ratione talis partis factam esse necesse est.

Hæc propositio adeò est ex præcedente mani-
festa, vt nullâ egeat demonstratione.

## *Propositio 36.*

Quoties omnes, & singulæ partes essentiæ com- 171
positæ causa sui effectiua egent ad existendum, non
potest non essentia ipsa eadem causa effectiua sui
egere ad existendum.

Hæc propositio ex *propos.* 34. sequitur manife-
stè. Si enim essentia composita nequit non indige-
re ad existendum eadem causa effectiua sui, qua in-
diget ad existendum pars aliqua eius, vt ibi demon-
stratum est; potiore iure nequibit indigere ad exi-
stendum eadem causa effectiua sui, qua indigent ad
existendum omnes, & singulæ partes eius: vt est
notissimum.

Ex hac propositione constat; quoties omnes, & 172
singulæ partes essentiæ compositæ totidem causis
mutuò diuersis egent ad existendum; eisdem omni-
bus egere ad existendum essentiam ipsam.

## *Propositio 37.*

Quoties omnes, & singulæ partes essentiæ com- 173
positæ sunt factæ; & ipsam essentiam esse factam
necesse est.

Hæc sequitur ex 35. Si enim essentia composita
nequit non esse facta, quoties vel vna pars eius est
facta: Potiori iure nequibit non esse facta, quoties
omnes, & singulæ partes eius sunt factæ. Vt est
notissimum.

Propo

## *Propositio 38.*

174 Essentia composita, cuius non omnes partes sunt factæ intra se ipsam habere potest causam sui effectiuam, quin egeat vlla causa effectiua existente extra se.

Pars enim non facta factarum, atque adeo essentiæ ratione illarum poterit causa effectiua esse, quin alia opus sit existente extra essentiam ipsam. Ita enim essentia aggregati coalescentis ex Deo, & creaturis ab ipso Deo, qui pars est eius, vnice facta est, quatenus ex creaturis à solo Deo factis, supposito ipso Deo à nulla alia causa facto, talis essentia resultauit. Quæ omnia ex se, & ex *præcedentibus* satis superque nota sunt.

## *Propositio 39.*

175 Essentia composita, cuius omnes partes sunt factæ, neutiquam potest intra se ipsam habere causam sui effectiuam, quin egeat aliqua causa effectiua extra se ipsam existente.

Est clarum. Quia posito, quòd omnes partes essentiæ compositæ sunt factæ, & consequenter, quod ipsa essentia etiam est facta, iuxta *posit.* 37. Si nullam ea causam sui effectiuam extra se habeat, sed prorsus sit facta à causa existente intra se, sequitur planè huiusmodi causam intrinsecè componentem essentiam, eatenúsque facientem ipsam essentiam, quatenus facit residuum, cum quo illam componit, aut esse factam à se ipsa, aut à residuo, quod ipsa facit. Quod vtrumque repugnat, vt constat ex *posit.* 22. & 29. *suprà* statutis.

176 Distinctius. Si omnes partes essentiæ compositæ sunt factæ à causa existente non extra, sed intra essentiam ipsam, & ipsa essentia ab eadem causa erit facta, iuxta *prop.* 36. & 37. Tum sic. Causa efficiens omnes partes, & ratione illarum essentiam, aut est aliqua tantùm pars, aut aliquæ, aut omnes? Si aliqua tantùm; ea faciendo omnes se ipsam faciat necesse est, vt constat. Si aliquæ, aut omnes, vel illæ similiter facient se ipsas, vel mutuo, vicissimque se se facient. Quod vtrumque est impossibile, vt dictum est. Aliter enim huiusmodi effectio non potest peragi, vt est notissimum.

177 Ex hac propositione inferemus suo loco progressum infinitum causarum, quarum vna sit facta ab alia, & hæc ab alia, & ita deinceps absque vlla, quæ sit omnium prima, omnino impossibilem esse: quia essentia aggregati omnium eiusmodi causarum quædam essentia est composita, & facta, cuius omnes partes sunt factæ, non habens extra se causam sui, sed prorsus intra se. Quæ essentia propterea non potest non esse chymærica, iuxta præsentem propositionem.

178 Deinde inferemus item suo loco progressum infinitum generationum, vt modo eueniunt; ita vt hoc genitum ab hoc generante nascatur, & hoc ab illo, & illud ab alio, & ita deinceps; quin detur vllum generans, quod sit primum, etiam impossibilem esse. Tametsi Deus ad omnes huiusmodi generationes vt causa vniuersalis dicatur concurrere, & esse extra cumulum huiuscemodi generatorum, & generantium: quia etiam vt sic talis cumulus causam factiuam sui partialem habebit intra se, eamque actione generatiua factam ab aliquo existente intra ipsum cumulum; quæ proinde causa actione generatiua aut à se ipsa, aut ab aliquo à se genito facta erit; quorum vtrumque est impossibile, vt dictum est. An autem Arist. huiusce generis, an alterius seriem generationum à parte ante æternam concesserit, *ibidem* decernemus.

## *Propositio 40.*

Subiectum necessitatum ad actum negatiuum 179
nulla ratione influit in existentiam eius.

Non enim influit in existentiam eius vt causa effectiua: quia negatio, qualis est actus negatiuus nec habet, nec habere potest causam sui effectiuam iuxta *propos.* 32. Neque influit in existentiam eius vt causa permissiua: quia tunc solùm est subiectum causa permissiua sui actus, quando illum non impedit, cùm possit per positionem actus contradictorij. Subiectum autem necessitatum ad actum negatiuum eo ipso est impotens ad ponendum contradictorium eius. Neque influit in existentiam eius vt causa materialis, seu receptiua: quia, quod est incapax causæ effectiuæ, & materialis, seu receptiuæ incapax est, vt constat ex dictis in ea *propos.* 32. *sub finem.* Nec influit in existentiam eius, vt causa formalis, vt etiam constat ex dictis *ibi.* Vt causa autem finalis influere nequit prout existés, quo pacto de illo sermo est: quia finis non provt existens, sed prout intentus influit in id, in quod ex illius intentione influit intendens aut effectiuè, aut permissiuè. Concluditur ergo, subiectum necessitatum ad actum negatiuum nulla ratione influere in existentiam eius. Quod etat ostendendum.

Id, quod etiam apertè constat ex omnium com- 180
muni æstimatione. Nemo enim hactenus attribuit existentiã actus negatiui subiecto necessitato ad illum, vt principio influenti in eam aliquomodo. Ob id etsi ego verissimè dicor modo non producere Angelum, aut alterum mundum, aut chymæram, atque adeo carere productione à me oriunda Angeli, aut alterius mundi, aut chymæræ; nullatenus tamen dicor esse causa talis carentiæ, siue vt existat talis carentia, vt dicerer sanè, si ita non producerem Angelum, aut alterum mundum, aut chymæram, vt possem producere. Eo enim casu causa prrmissiua essem talis non productionis, siue carentiæ productionis.

Ex hac propositione sequitur subiectum necessi- 181
tatum ad actum negatiuum, quatenus tale nullum genus prioritatis habere comparatione illius, præterquam dignitatis, seu perfectionis entitatiuæ. Quia tale subiectum tali actu non est prius prioritate causæ, aut positiue influentis, aut permissiue, iuxta dicta. Neque est prius prioritate temporis, cum talis actus, extiterit ab æterno, qua ratione per æquiualentiam à nobis existere dicitur, iuxta doctrinam statutam *propos.* 32. Neque est prius prioritate inconnexionis non mutuæ, siquidem connexus ponitur cum actu ipso, eo ipso, quod ad illum necessitatum ponitur. Aliud autem genus prioritatis non est, quæ propriè prioritas sit iuxta dicenda *infrà disp.* 15.

Vnde aliud sequitur valde notandum. Quoties 182
voluntas ad aliquem actum negatiuum necessitata est, huiusmodi necessitatem propriè non esse antecedentem: quia non est necessitas habens prioritatem aliquam respectu talis actus præter prioritatem dignitatis, de qua hic non curatur. Atque ita necessitatē libertati oppositam non semper esse antecedentem proprie loquēdo, vt vulgo putatur. Tametsi semper sit antecedens, sumpto hoc vocabulo latè, & improprie pro necessitate ineuitabili, seu inimpedibili per libertatem. De quo plura *suo loco.*

Sufficiant

183 Sufficiántque modò propositiones istæ. Plures enim elicient alij ex terminis huius disputationis; & nos etiam in sequentibus eliciemus.

## QVÆSTIO VI.

### *Vtrum essentia, & existentia distinguantur inter se? Et qua ratione?*

184 NOn agimus in hâc quæstione de essentiâ, & existentia Dei; acturi *suo loco* sed de essentia, & existentiâ creaturarum. Circa quam.

185 Prima sententia est essentiam creatam realiter à suâ existentia distingui tanquam ab aliquo sibi realiter superaddito, quo existens redditur. Ita vnanimiter Thomistæ Caiet. Ferrar. Capreol. Soncin. Sot. Bann. & alij apud Soar. *tom. 2. Metaph. disput. 31. sect. 1.* omnésque Recentiores, Quam sententiam insuper amplexi sunt P. Molin. *1. p. quæst. 13. art. 4. disputatione 2.* & P. Albertin. *de prædicam. subst. disp. 2. quæst. 1.*

186 Secunda sententia est Scot. *in 3. dist. 6. quæst. 1.* & discipulorum eius communiter. Necnon P. Fons. *tom. 1. Metaph. lib. 4. cap. 2. quæst. 4. sect. 1.* asserentium essentiam creatam, non quidem realiter, sed formaliter ex naturâ rei à sua existentia distingui.

187 Tertia sententia est essentiam creatam, & existentiam nullâ omninò distinctione reali, aut formali ex naturâ rei distingui; sed à parte rei idem omninò esse. Ita Soar. *suprà*, Vasquez *1. p. disput. 179. n. 6.* Valent. *disput. 1. quæst. 3. punc. 4.* Pereir. *lib. 6. Phys. cap. 4.* Rub. *lib. 1. Physic. Tract. 1. quæst. 4* Alarc. *Tract. 6. disputatione 1. cap. 2.* Petr. Hurt. *disputatione 8. Metaph. sect. 4.* Arriag. *disputatione 2. Metaph. sect. 3.* Ouied. *contr. 2. Metaph. pun. 2.* & apud eos alij plures. Qui omnes aut docent, aut supponunt essentiam creatam per nostram rationem à sua existentia distingui. Quod à nullo Theologorum negari testatur Soar. *suprà sect. 6. n. 16.* An verò distinctio hæc præcisiua sit formalitatum ex parte obiecti, vti supponunt antiquiores plerique; vel tantùm ex parte actus se habeat, Recentiores vertunt in dubium. Ex quibus Hurt. Arriag. Ouied. *suprà*, & alij censent, esto inter alias formalitates præcisio obiectiua sit admittenda inter essentiam tamen, & existentiam, solam formalem debere admitti ex parte actus, non ex parte obiecti se habentem. Nescio tamen, cur in eâ hypothesi non ponunt præcisionem obiectiuâ non mutuam inter essentiam, & existentiam, vti eam ponunt inter ens, & suas differentias, inter omniaque prædicata trâscendentia, & subiecta, quæ dicuntur transcendere, vt suo loco notabimus. Existentia quippe prædicatum trâscendens est comparatione existétium. Alij verò Recentiores absolutè opinantur inter essentiam, & existentiam præcisionẽ obiectiuam, eamq; mutuam dari oriundam ab intellectu nostro pro statu præsenti; vti vniuersa fermè Antiquitas citra dubiũ est opinata.

### *Propositio 1.*

188 Existentia non aliquid distinctũ realiter ab essentia, eique re ipsa superadditũ, vt Thomistæ autumãt.

Probatur primò generali ratione: quia non sunt superaddendæ entitates sine necessitate: sed sine entitate sibi realiter superaddita potest quæuis essentia existere, vt ex dicendis constabit. Ergo.

Secundò: quia si essentia realiter distincta esset ab existentia, realiter quoque priùs naturâ esset, quàm illa: quia vel esset causa eius materialis, seu receptiua, vt communiter Aduersarij concedunt, vel existẽtia modus esset essentiæ non mutuò cum illa connexus, eoque titulo aliter, quàm effectus posterior natura, quam illa, iuxta generalem doctrinam ordinũ, tradendam à nobis *infrà suo loco*: ergo in priori ante existentiam se ipsa existeret essentia (Siquidem esse vnum prius, quam aliud realiter, habereque *esse*, seu *existere* prius, quàm illud idem omninò est.) Vt quid ergo noua existentia superadueniens, postquàm iam independenter ab illâ existit essentia? 189

Tertiò probatur: quia essentia existens aut producitur vt condistincta ab existentia superaddita, per seque terminat productionem, aut non? Si non: ergo nihil est actu, & extra causas; sed manet intra ipsas purè possibilis, atque adeo non est existens, contra suppositionem. Etenim, quidquid est ens actu (vno Deo excepto) ab alio est productum, per séque subinde terminat productionem, vt constat. Si verò essentia vt condistincta ab existentia superaddita terminat, per se productionem: ergo vt condistincta ab existentia superaddita, atque adeò præscindendo ab illa, est extra causas: productio quippe extrahit à causa rem productam: ergo vt condistincta, & præcisa ab existentia superaddita est existens: quia esse extra causas, & existere in idem recidunt: ergo existentia superaddita superuacanea est. Confirmatur, & declaratur: quia effectus productus non solùm accipit à causa per productionem existentiam essentię suæ superadditam; sed etiam & potiori iure ipsam essentiam: accipit enim à causa totum, quod est à parte rei, nec posset talem existentiam accipere sine essentia, cuius ea est modus: ergo effectus productus re ipsa habet extra causas tum essentiam, tum existentiã superadditam; illam quidã per identitatem; hanc per inhæsionem, siue adhæsionem. Sed habere à parte rei essentiã suam extra causas est formaliter existere à parte rei: ergo effectus productus antecedẽter, independẽterve à superaddita existẽtia, seu præscindendo ab illa, se ipsa existit à parte rei. Superfluè igitur vt existat, ei talis existentia adiungitur. 190

Quartò probatur propositio. Quia ens in actu constituitur tale per existentiam, vt fatentur omnes. Vel ergo effectus productus vt condistinctus ab existentia superaddita est ens in actu; vel solùm in potentia? Si tantùm in potentia? Ergo est quid purè possibile, neque datur à parte rei, quãdo datur existentia eius, suamque terminat productionem, quod est chymericum. Si autem vt condistinctus ab existentia superaddita, & præscindendo ab illa est ens in actu. Igitur ea secluſa manet existens actu. Ea ergo prorsus redundat. Nec dici potest in eo signo præcisionis, neque esse ens in potentia, neque ens in actu: quia nequit non habere in eo signo suam essentiam (cùm sit impossibile quidpiã aut esse, aut concipi alicubi sine se ipso) vel ergo illã habet actualiter; & ita erit ens in actu, vel illam habet tantùm possibiliter; & ita erit ens in potentia. Alius autem modus habendi essentiam non est, quod ad rem attinet, vt constat. 191

Quintò probatur. Essentia existens prout condistincta ab existentia superaddita terminat actum scientiæ Dei, distinctum saltem ratione nostra ab actu, quem terminat ipsa existentia; siquidem distinctorum obiectorum distinctos nos actus concipimus in scientia diuina. Vel ergo actus ille est simplicis intelligentiæ; & sic essentia per eum cognita purè erit possibilis, cùm tamen ponatur existens, quod est contradictio: Vel est visionis; & sic essentia per eum 192

cognita,

cognita, vt cõdistincta ab existentiâ superadditâ per se ipsam exit existens. Existentia ergo superaddita superflua est. Simile argumentum fieri potest de gaudio, quo Deus de essentiâ existente gaudet haud dubiè, prout condistinctâ à superadditâ existentiâ.

193 Sextò denique propositio nostra probatur efficacissimè. Quia omnia argumenta, quibus contendunt Thomistæ præfati existentiam esse aliquid reale realiter ab essentiâ distinctum, pariter probant, si quid probant, ipsius existentiæ dandam esse aliam distinctam, & huius tertiam, & sic in infinitum, qui processus implicatorius est, vt constat. Ratio est clara: quia illa existentia superaddita habet suam essentiam indifferentem, vt sit, aut non sit extra causas, à Deoque potest vel produci, vel non produci, vt aduersarij fatentur, omninoque tenentur fateri, ne Deum aliquâ obligent necessitate producendi creaturã. Ergo aut essentia existentiæ eget aliâ existentiâ, vt determinetur ad existendum, aut reliquæ essentiæ illâ non egent. Nec valet respondere existentiam esse rationem existendi, & ideò non egere alia existentiâ: id, quod non habent reliquæ essentiæ. Quoniam si esse rationem existendi benè potest componi cum indifferentiâ dictâ, quam habet existentia vt sit, aut non sit extra causas; etiam ego dicam, quamuis essentiam esse rationem existendi comparatione sui, cùm id non tollat indifferentiam, quam habet ad existendum, & non existendum. Idemque argumentum potest desumi à coniuncto ex essentiâ, & existentiâ superadditâ sumpto indiuisim.

194 Huiusmodi argumentis conuictus Thomista quidam apud Hurt. *suprà* §. 43. & apud Arriag. *n.* 65. fatetur essentiam productam habere quidem ante existentiam superadditam *esse* actuale, & extra causas; hanc tamen nihilominùs illi adiungi vt complementum quoddam. Cæterùm, quàm sine idoneo fundamento Auctor iste aliam confingens valdè diuersam, sententiam deserat suorum vnanimiter requirentium superadditam existentiam, adhoc vt essentia actu sit extra causas, benè ibi Hurt. prosequitur In quo propterea ne immoremur.

195 Verùm contra propositionem statutam multa pro sententiâ Thomisticâ obiici solent. Sit primum. Si essentia non distingueretur realiter ab existentiâ, sequeretur existentiam esse prædicatum essentiale cuiuslibet entis singularis: ergo quodlibet existeret essentialiter, vti existit Deus: ergo non posset non existere, sicuti non potest non esse id, quod essentialiter est. Confirmatur primò. Hæc propositio fuit ab æterno vera, *Petrus est rationalis*, eo quòd rationalitas est prædicatũ indistinctum à Petro, ob idq; ei essentialis. Ergo etiam hæc fuisset ab æterno vera, *Petrus est existens* ob eamdem rationẽ, si existentia Petri realiter est ipse Petrus, Petrúsque subindè absolutè, extitit ab æterno, quod est absurdũ. Confirmatur secundò. Quidquid est idem cum ente singulari est de essentiâ eius saltem physicâ, de eóque proinde dicitur essentialiter: sed enti creato existenti accidentale est existere; cùm solus Deus existat essentialiter: ergo ab ente creato existente realiter est distinctum ipsum existere. Confirmatur tertiò. Quælibet creatura est indifferens ad existendum, & non existendum ergo existere distinguitur à creaturâ re ipsâ. Neque enim fieri potest vt aliquid sit indifferens ad id, quod secum est idem, & ad carentiam eius. Confirmatur quartò. Essentia Petri modò existens est eadem prorsus numero cum essentiâ eiusdem Petri, quæ ad æterno fuit purè possibilis, quia quidquid actu est, purè possibile fuit primum: sed quando erat purè possibilis non concipiebatur ex parte obiecti existentia exercita Petri, tota omninò essentia cõcepta, potiùs concipiebatur talis essentia vt non existẽs: ergo existẽtia exercita Petri non potest nõ esse aliquid ab esẽtia Petri distinctũ.

Omnia hæc argumenta optimè à nostris Doctoribus in ipsos retorquentur Thomistas: quippè, quæ eodẽ modo probant existentiam superadditam, quã ipsi adstruunt, & quædam etiam essentia est, debere per aliam secundam superadditam existentiam existere, & hãc per tertiam, & sic deinceps in infinitũ, quod tamen est absurdum. Etenim existentia illa, si est suum existere, essentialiter existet, atque adeò ab æterno. Tum non erit illi accidẽtale esse, & non esse, quod repugnat creaturæ. Neque erit illa indifferens ad existendum, & non existendum; neque esse poterit, aut concipi purè possibilis absque exercitio existendi, &c. Quæ omnia enti creato impossibilia sunt. Pariterque in coniuncto ex essentia, & existentia superadditâ sumpto indiuisim locum habent. Ex quo patet argumenta prædicta ad rem inefficacia esse, & ab Aduersariis etiam necessariò soluenda. 196

Igitur ad primum respondeo, existentiam prædicatum accidentale, & contingens esse essentiæ creatæ; non quia ei contingenter accidat vt quid realiter superadditum (vt sic enim ei persistenti in eodem statu citra omnem variationem intrinsecam posset existentia deficere, vti possunt alia omnia accidentia ei contingenter superaddita titulo talium, quod est absurdum) sed quia essentia ipsa cum sua existentia contingenter ponitur in rerum vniuersitate, illique proindè accidit, seu contingit; contingenterque transfertur de non esse ad esse, in esseque recepto durat. Vnde existentia non accidens prædicamentale, sed tantùm prædicabile est essentiæ creatæ, cui propterea identitas cum illa non obstat. Eatenus enim existentia vt accidens dictæ essentiæ concipitur, quatenus hæc considerata secundum se in statu quiditatiuo, seu obiectiuo, qui ab existentiali præscindit de suo, siue ex conceptu suo obiectiuo indifferens est ad existendum, & non existendum. In quo differt ab essentia diuinâ, quæ de suo, siue ex conceptu suo obiectiuo omninò est ad existendum determinata, nullaque ratione subinde ab statu existentiali, vti creata, potest deficere. Vide dicenda fusius de huiusmodi statibus *infrà disp.* 10. Sed dices. Non potest non essentia creata esse determinata de suo ad id, quod secum idem est: ergo si suum existere est idem cum illa, non potest non esse de suo determinata ad existendum, perinde atque essentia diuina. Distinguo antecedens: Non potest non esse essentia creata determinata de suo intra statum quiditatiuum, à quo ea nequit deficere, ad id, quod secũ idem est, concedo; intra statum existentialem, à quo ea deficere potest, differens eo ipso à diuinâ, nego; & nego consequentiam. Itaque status quiditatiuus essentiæ creatæ non est connexus cum existentiali, sicut status quiditatiuus essentiæ diuinæ. Atque adeò licèt essentia creata nequeat non esse suum existere in statu quiditatiuo, inde non fit debere esse suum existere in statu existentiali, vt debet essentia diuina: quia essentia creata cum omnibus, quæ secum sunt idem ab statu existentiali potest deficere, diuina non item. Quod ipsum est, essentiam creatam posse simpliciter non existere: diuinam non item. 197

Ad primã confirmationem respondeo, hanc propositionem, *Petrus est rationalis*, in sensu merè quiditatiuo, seu obiectiuo, atque adeò præscindente ab existentiali, fuisse ab æterno verã, quatenus verè ab æterno dici potuit, Petrum ex suo conceptu obiectiuo idem esse cum rationali. Quo pacto si proferretur hæc propositio, *Petrus est existẽs*, vt sensus esset, Petrum ex conceptu suo obiectiuo esse idem cũ suâ 198

existentia, etiam fuisset vera ab æterno. Prolata tamen, vt semper solet, in sensu existentiali, ponente scilicet Petrum cum suâ existentiâ in statu existentiali, neutiquam fuit ab æterno vera, qualis nec fuisset illa, *Petrus est rationalis*, si in eodem sensu proferretur. Ex quo patet identitatem prædicati, & subiecti non facere, quòd propositio in rebus creatis sit de materiâ necessariâ; atque adeò vera ab æterno, nisi ea in sensu quiditatiuo præscindente ab existentiali sumatur; sumptis videlicet eius terminis, prout in statu quiditatiuo, seu obiectiuo cum præcisione ab existentiali.

199 Ad secundã confirmationẽ iam cõstat ex dictis, quo pacto existẽtia possit esse accidens prædicabile, contingensque essentiæ creatæ tametsi sit idem cum illa.

200 Ad tertiam etiam ex dictis constat, posse optimè creaturam indifferentem esse de suo ad existendum. & non existendum, id est, ad essendum & non essendum in statu existentiali, quantumuis ea cum suâ existentiâ idem re ipsâ sit.

201 Ad quartam deniquè, concedo maiorem, nempè existentiam Petri existentis eamdem esse, quæ fuit ab æterno purè possibilis; & distinguo minorem. Sed quando erat purè possibilis non concipiebatur ex parte obiecti cum existẽtiâ exercitâ, sed potiùs sine illa à præscindentibus obiectiuè vnam formalitatem ab aliâ, quales nos sumus pro hoc statu concedo: à non præscindentibus obiectiuè vnam formalitatem ab aliâ, quales sunt, qui intuitiuè, seu per species proprias cognoscunt, subdistinguo. Non concipiebatur ex parte obiecti cum existentiâ exercitâ, sed potiùs sine illâ in statu existentiali, concedo; in statu purè obiectiuo, seu quiditatiuo, nego; & nego consequentiam. Lege dicenda circa *propos.* 5. quæ, vt hanc solutionem percalleas, lucem præstabunt.

202 Deinde contra propositionem statutam ita obiici solet. Nulla creatura est actus purus, quia id est proprium Dei: ergo omnis creatura est composita ex potentiâ, & actu: sed non est excogitabilis compositio ex potentiâ, & actu communis omni creaturæ, præterquam ex existentiâ, & essentiâ. Ergo. Concedo nullam creaturam esse actum purum, quatenùs actus purus naturam dicit non perfectibilem ab extrinseco, vtpote habentem de suo omnem perfectionem formaliter, aut eminẽter, qualis est solus Deus; nego tamen hinc sequi, omnem creaturã debere esse compositam ex potentiâ, & actu: vt sic enim ipsa potentia, & ipse actus vtpote creaturæ deberent rursus ex potentiâ, & actu componi, abireturque in infinitum, quod est absurdum. Solùm ergo sequitur de ratione creaturæ esse, limitatam perfectionẽ habere, eamq; acceptã ab extrinseco per sui productionem, atque adeò per quemdam transitum de potentiâ ad actum, qui absque existentiâ superadditâ fit, vt constat ex dictis.

203 Tertiò obiicitur. *Esse* creaturæ est *esse* receptum, aliàs non esset limitatum; ergo *esse* creaturæ, nempe existentia recipitur in eius essentiâ, quia aliud non est, in quo recipiatur. Respondeo *esse* creaturæ receptum esse à principio effectiuo, indeque limitatum, quatenùs principium efficiens dicitur dare *esse* creaturæ ipsamque creaturã ab illo sanm *esse* recipere. Non est tamen de ratione creaturæ habere *esse* in se, vt in causâ materiali receptum; alioquin ipsum *esse* siue existentia titulo creaturæ, in se quoque haberet *esse* receptum, & abiremus in infinitum, quod est absurdum.

204 Quartò. Essentia creaturæ est separabilis ab existentiâ, siquidem potest non esse existens: ergo distinguitur ab illâ. Distinguo antecedens: Essentia creaturæ est separabilis ab existentiâ, separatione strictâ, nego antecedens: separatione latâ, quâ vnumquodque dici potest separari à se ipso per sui corruptionem, quo solùm pacto potest essentia non esse existens, concedo; & nego consequentiam.

Quintò obiicitur. Existere Petrum hodiè non est 205
existere cras: ergo existentia Petri hodierna, & crastina non sunt idem: at essentia Petri eadem est hodiè, quæ cras: igitur existentia Petri distinguitur ab eius essentiâ. Hoc argumentum probat existentiam Petri intrinsecè esse successiuam, atque adeo singulis instantibus habere Petrum existentiam diuersam; pariterque probari potest Petrum per existentias distinctas existere in singulis locis, quando mouetur; siquidem existere Petrum in vno loco non est existere in alio. Quæ tamen existentiarum multiplicatio aliena prorsus esse videtur à mente Thomistarum. Respondeo ergo existere Petrum hodiè, præter existentiam Petri ab eius essentiâ indistinctam dicere durationem hodiernam, sicut existere Petrum in hoc loco, præter eamdem existentiam ab essentiâ indistinctam dicit præsentiam Petri in hoc loco. Duratio autem hodierna Petri à duratione crastina distincta est; vel propter connotationem, quam inuoluit desumptam à idistincto tempore extrinseco, vt multi opinantur; vel quia duratio modus quidam est superadditus rei existenti essentialiter successiuus, vt ego cum aliis opinor: quemadmodum præsentia in communi sententiâ modus quidam est superadditus rei existenti pro locorum diuersitate diuersus. Malè ergo ex eo quòd existere Petrum hodiè non sit existere cras, infertur existentiam, quam Petrus hodiè habet, ab existentiâ, quam cràs habebit distinctam esse; maléque propterea inde deducitur Petri existentiam ab eius essentiâ distingui.

Sextò obiicitur. Scientia simplicis intelligentiæ, 206
& scientia visionis distinguuntur in Deo, quia prima est de veritatibus necessariis, vt *homo est possibilis*: secunda de contingentibus, vt *homo existit*. Primaque subinde circà rerum essentias; secunda circà existentias versatur: sed non potest idem obiectum simul necessarium esse, & contingens: ergo nec possunt rerum essentiæ non esse distinctæ ab existentiis. Hoc argumẽtum, sicut & cætera, in ipsis existentiis infringitur. Quæ tum per scientiam simplicis intelligentiæ in quantum possibiles, quo pacto veritatis sunt necessariæ; tum per scientiam visionis in quantum existẽtes, quo pacto veritatis sunt contingentis, cognoscuntur à Deo; cum tamen per se ipsas, & non per alias existẽtias distinctas, à suâ essentiâ existant. Ad illud ergo, concessa maiore, distinguo minorem. Non potest idem obiectum simul necessarium esse, & contingens secundum eamdem considerationem, concedo: secundũ diuersas, nego; & nego cõsequentiam. Itaque nihil vetat eumdem hominem per se ipsum necessarium esse in essendo id, quod ex suo, conceptu obiectiuo est; & esse contingentem in existendo, sub prioreque consideratione proinde terminare scientiam Dei necessariã, qualis est simplicis intelligẽtiæ, & sub posteriori contingentẽ, qualis est visionis. Vide ad rem plura *inferius loco citato.*

Septimò obiicitur. Multa sunt, quæ connectuntur 207
cum aliis vt possibilibus, & non vt existentibus: ergo possibile ratione existentiæ superuenientis est distinctum ab existente. Primò retorqueo argumentum. Idem est connecti cum aliis vt possibilibus, & non vt existentibus, ac connecti cum eorum existentiâ vt possibili, & non vt existente: ergo existentia possibilis ratione alterius existentiæ superuenientis distinguitur ab existente, & sic in infinitum. Secũdò, concesso antecedente, nego consequentiam quia licèt possibile, & existẽs entitatiuè sunt prorsus

idem,

idem, ratione tamen diuersorum statuum diuersas veritates obiectiuas sortiuntur, quarum vna bene potest terminare respectum, quem non terminat altera, sicut & scientiam. Circa quod vide etiam dicenda *ibidem*. Mitto alia leuiora, quæ ex dictis facile quisque diluet.

208 Opponitur tandem S. Th. qui 1. *p. quæst. 3. art. 4. & lib. 2. contra Gent. cap. 52. & opusc. de ente. & essentia cap. 5. & lib. 4. Metaph. lec. 2. aliisque in locis* aperte, pro aduersariorum sententia stare videtur. Cæterum satis appositè exponi potest Doctor Angelicus de distinctione essentiæ creatæ ab existentia in tempore, hoc est, à duratione, quâ ea in tempore existere, siue durare dicitur: hæc enim in mea, multorumque sententia, modus quidē est realiter superadditus essentiæ existenti per quem ea determinatur ad existendum in hoc potiùs tempore, quàm in alio, sicut iuxta opinionem communē per præsentiam, tanquam per modum superadditum determinatur ad existendum in hoc loco potiùs, quàm in alio. De quo ex professo agendum suo loco. Et quidem Molin. noster, qui 1. *p. q. 3. art. 4. disp. 2.* existentiam censet realiter distingui ab essentia, §. *His ita constitutis*, probat existentiam, & durationem omninò esse idem, & hanc esse sententiam S. Th. & communem affirmat Valent. 1. *p. disp. 1. q. 10. pun. 1.*

## *Propositio 2.*

209 Essentia creata à sua existentia formaliter ex naturâ rei distincta non est.

Hæc propositio est contra Scotistas, perspicuéque constabit ex infrà dicendis *disp. 13. quæst. 5.* vbi distinctionem formalem ex naturâ rei, quam adstruūt Scotistę inter formalitates identificatas realiter, quales essentia, & existentia sunt apud ipsos, tanquā penitus impossibilem latè, & efficaciter refutabimus. Vide *ibi* scripta, & applica propositioni præsenti.

## *Propositio 3.*

210 Essentia creata, & existentia neque virtualiter distinguuntur à parte rei in ordine ad subeunda sine contradictione prędicata contradictoria, vti à plerisque Theologis distingui dicuntur essentia, & Personalitates diuinæ.

Quoniam huiusmodi distinctio in rebus creatis nullatenus est admittenda, vt apparebit ex dicendis *dicta disputatione 13. quæst. 6.*

## *Propositio 4.*

211 Essentia creata, & existentia per nostrā rationem distinguūtur, & quidem vt duæ eiusdē rei formalitates ex parte obiecti, & mutuò præcisæ ab intellectu nostro. Præcisio quippè obiectiua non mutua omnino impossibilis est.

Hæc propositio est contra Hurt. Arriag. & Ouied. citatos suprà. Eam tamen præter nobiles Recentiores tenuit haud dubiè vniuersa Antiquitas, quæ solam distinctionem rationis ex parte obiecti se habentem, & consequenter mutuò præcisiuam agnouit, vt ostendunt, quæ latè scribemus *infrà d. 13. q. 9. & seqq.* vbi propositionem hanc tum sub vniuersali doctrinā, tum sub specialiori, tum etiam in particulari affatim comprobabimus.

## *Propositio 5.*

212 Ab iis, qui cognoscunt intuitiuè, siue per propias species, nullam distinctionem rationis sub-



ire possunt essentia creata, & existentia.

Quia, quæ realiter sunt idem vt sunt essentia, & existentia, iuxta doctrinam *propos. 1.* iis qui cognoscunt per proprias species nullatenus possunt apparere distincta aliquâ distinctione rationis, vti nobis cognoscentibus per alienas apparent, prout latè etiā probabimus loco nuper citato. Vnde probatio huius propositionis pariter atque præcedentis petenda est.

Inferet aliquis: ergo qui cognoscunt intuitiuè, non 213
poterunt iudicare veritates necessarias, vt *homo est animal*, cum præcisione ab existentia, Quod est absurdum. Fieret enim inde, vt de solis rebus actu existentibus possent ij iudicare, non item de purè possibilibus, nec de conditionatè futuris. Distinguo illatum: Qui cognoscunt intuitiuè nō poterunt iudicare veritates necessarias cum præcisione ab existentia, tanquā à quadam formalitate non cognita per actū, quo cognoscunt essentiā, concedo. Tanquā ab statu existentiali, vbi quoad nihil sui cognoscuntur veritates prædictæ, nego. Quo cessat absurdum propositū, & propositio nostra firma consistit. Id enim non est cognosci ab intuentibus essentiā, ne cognitā per eumdem actum existentia identificata cum illa, vti cognoscitur à nobis; quod eis possibile negamus; sed cognosci totum, quod re ipsa est essentia in vno statu, & non in alio ab illo diuerso; quod eis possibile concedimus. Qomodo autem status quiditatiuus, in quo veritates necessariæ prædictæ cognoscuntur ab intuentibus, atque etiam à nobis diuersus sit ab existentiali *inferius disp. 10. quæst. 1.* declarabimus.

Hinc fit. Nos tùm vtroque modo commemorato, 214
tùm altero solo posse præscindere essentiam ab existentia, cùm tamen cognoscentes intuitiuè altero tantùm modo possint, vt dictum est. Præscindimus nos vtroque modo, cum de aliquâ essentia purè possibili verè sic iudicamus, *hæc essentia est essentia*. Nam tale iudicium nullatenus tangit existentiam cum tali essentia identificatam; atque ita essentiam ipsam ab illa vt à quadam formalitate præscindit; tum de illa iudicat, prout in statu quidditatiuo, & non prout in statu existentiali quod est etiam illam ab statu existentiali præscindere, solo autem posteriore modo præscindimus nos cùm de aliquâ existentia purè possibili, aut de concreto ex illa & subiecto verè sic iudicamus, *hæc existentia est existentia*: aut, *hoc existens est existens*, putà ex conceptu suo obiectiuo. Cōstat enim per huiusmodi actus nos non præscindere ab existentia, vt à formalitate per eos non tacta; quandoquidem expresse illa per eos attingitur. Cùm tamen prorsus præscindamus ab statu existentiali iudicantes solùm, quid sit de suo ea existentia, aut id existens in statu quiditatiuo, seu obiectiuo. Igitur, qui intuitiuè cognoscunt hoc posteriori modo, dumtaxat iudicant de rebus non existentibus cum præcisione ab existentia, siue ab statu existentiali. Apprehendunt enim eas quoad omnia, quæ re ipsâ sunt, citra omnem præcisionem formalitatum, atque adeò sicuti à parte rei essent, si existerent; de illisque sic apprehensis vnico simplici intuitu iudicant, quidquid illis conuenit prout in statu quiditatiuo, nihil de eisdem iudicando, prout in statu existentiali; vnicoque subinde iudicio de vnaquaque re sic concepta iudicant omnes veritates, quæ cum illa sunt idem, & ei conueniunt in illo statu, quæque à nobis vtpotè formalitates, præscindentibus iudicandæ pluribus veniunt, è quibus vna est illa, quæ in nobis respondet his verbis, *hæc existentia est existentia*; aut, *hoc existens est existens*, scilicet ex conceptu suo obiectiuo.

Adde nos etiam passim præscindere essentiam ab 115

existentia,vt à formalitate, ab statu existentiali non præscindentes, nimirum cùm iudicamus de rebus existere, quod cognoscentes intuitiuè præstare nequeunt : veritas enim obiectiua correspondens his verbis, *Petrus existit*,composita est apud nos ex duplici formalitate obiectiue præcisa,ex essentia scilicet Petri,& existentia eius,apud illos verò minimè; sed ipsa est simplex entitas Petri existentis,sicuti est à parte rei. Imò verò quotiescunque nos iudicamus de aliquo,quòd existit, non possumus non obiectiuè præscindere existentiam à subiecto existenti, quantumuis ex parte ipsius subiecti expresè existentiam concipiamus. Sic cùm iudicamus, *existentia existit*; aut *existens existit*. existentia posita ex parte prædicati formalitas est ratione nostra distincta ab existentia posita ex parte subiecti, & ei superaddita; ob idque propositiones istæ accidentales sunt de accidenti prædicabili metaphysico, vtpote, quarum prædicatum aliquid adiicit subiecto, iuxta doctrinam tradendam *infrà.d.* 17. Nec terreat te, quòd iuxta hanc doctrinam progressus infinitus formalitatum videtur necessariò admittendus:nos enim lubentes illum admittimus in formalitatibus transcendentibus,qualis est formalitas existentiæ. Putamus enim connaturalissimum esse modo, quem iudicandi habemus, prorsusque immunem ab omni incommodo, cùm syncategorematicè tantùm, non item categorematicè sit infinitus; De quo non semel *in sequentibus* sermo redidit.

216 Hinc vnum colliges notandum. Si hæc propositio, *existens est existens*, sumatur in sensu quiditatiuo,vt sub istis terminis solet, eam quidem essentialem esse,& necessariæ veritatis, atque ita eius prædicatum nihil subiecto adiicit, sed illud repetit, formalitásque proinde existentiæ posita ex parte prædicati in concreto eadem est omninò, quæ pariter posita est ex parte subiecti. Si verò dicta propositio in sensu existẽtiali sumatur,vt potest, ita quod huic ōminò æquiualeat,quę in tali sensu sumi solet,*existens existit*;tunc quidem formalitas existentiæ posita ex parte prædicati in concreto distincta erit ab eâ,quæ pariter posita est ex parte subiecti,& ei superadiecta.Quo fiet,vt propositio,& sit accidentalis, vtpotè,cuius prædicatum aliquid adiicit subiecto,& sit veritatis contingentis,vtpote,quia existẽtia creata, de quâ tractamus, accidens contingens censetur subiecti existentis,prout *suprà proposit.* 1.explicatum est,Pariterque de similibus propositionibus philosophandum est; solerterque attendendum semper, an propositio in sensu quiditatiuo; an in sensu existentiali sumatur : pleræq; enim possunt sumi in vtrouis, iuxta intentionẽ proferentis;tametsi paucæ sint dubij sensus,si termini iuxta communem vsum,& non aliter accipiãtur.Etenim hęc propositio,*homo est rationalis*, iuxta communem vsum in sensu quiditatiuo sumitur,quo pacto necessariæ,æternæque veritatis est. Nil tamen vetat sumi eam à proferente in sensu existentiali, vt sensus sit,*homo existentialiter, seu in statu existentiali,est rationalis*;quo pacto contingentis,temporariæque veritatis erit,è contrà verò hæc propositio, *homo est existens*, iuxta communem terminorum vsum,sensum existentialem habet, de materiáque contingente subinde est. Si tamen velit illam proferens,vt sit eius sensus,*homo existens ex conceptu suo obiectiuo est existens, siue idem cum suâ existentiâ*, sensum habebit quiditatiuum, atque materiam necessariam;similitérque de similibus ratiocinandum est.

## DISPVTATIO X.

### *De variis statibus entium, seu rerum atque; adeò obiectorum intellectus humani.*

HÆc disputatio, tametsi etiam bona 1
ex parte sit metaphysica, propius accedit nihilominus ad præsens propositum, vbi de obiectis intellectus humani,qua talibus potissimùm agitur. Etenim status rerum dicitur impræsentiarum ille modus essendi earum, ratione cuius aliqua veritas obiectiua de ipsis scibilis, siue iudicabilis est. Vnde, quot fuerint rerum modi essendi diuersi, ratione quorum diuersæ de eisdem veritates obiectiuæ scibiles, siue iudicabiles fuerint, totidem rerum status recensendi erunt; censeri autem possunt hoc pacto. Primus est status essentiæ, seu quiditatis rerum,qui status earum quiditatiuus,siue obiectiuus appellatur.Secundus status existentiæ, seu actualitatis rerum, qui non abs iure status earum existentialis dicetur. Vterque autem rursus aut est status absolutus,aut status conditionatus.Absolutus in quo vnumquodque aut est absolutè id quod est;aut absolutè existit. Conditionatus in quo vnũquodq; aut est quod est;aut existit non absolutè,sed sub cõditione aliqua,siue hypothesi.Præterea status absolutus,aut etiam conditionatus,quicumque ille sit in statum determinatum, & vagum, seu disiunctiuum diuidi potest. Determinatus est in quo res determinatè aut est id, quod est,aut existit. Vagus in quo sub aliqua disiunctione. Denique status existentialis,quicunque etiam sit,in statum præsentiæ,præteritionis, futuritionisque diuiditur iuxta tres differentias temporis, præsentis, præteriti, & futuri in quibus res potest existere. Igitur de omnibus hisce rerum statibus impræsentiarum tractandum est.

## QVÆSTIO I.

### *Quid sit status rerum existentialis. Quid status quiditatiuus, seu obiectiuus. Quid status conditionatus Quid absolutus, Et quotuplex?*

COmplector sub hac vnâ quæstione hos omnes 2
status compendij causâ;tum quia ex mutuâ eorum comparatione meliùs vniuscuiusque quiditas innotescet; tum quia eorum aliqui aut confunduntur, pro eodemque reputantur apud Auctores; aut eodem prorsus modo explicantur,siue constituuntur.

Status existentialis rerum ille modus essendi 3
est, quem habere dicuntur dum actualiter existunt existentia reali. Quid autem sit res actualiter existere existentia reali aut, in quo id consistat,adeò est ex terminis ipsis cunctis notissimum, vt ampliùs per clariores terminos explicare nec necessarium sit,nec possibile.Existentia quippe rerum realis, & actualis, prout ad hunc pertinet statum, siue

siue ipsum constituit, ex terminis primis, & notissimis, atque adeò indefinibilibus est, iuxta doctrinam generalem definiendi tradendam *disp. 25. vt suprà etiam disp. 9. quæst. 1.* notatum est. Itaque status existentialis rerum nihil est aliud ab ipsis rebus prout actualiter existentibus, in quo puncto Doctores omnes citra omnem controuersiam conueniunt. Hæc dicta de statu existentiali absoluto, in quo illæ res esse dicuntur, quæ simpliciter, & absolutè, nullâque hypothesi facta existunt in aliquâ temporis differentia. Ad quemque subinde spectat omnes veritates obiectiuę, existentiales, & absolutę.

4 Datur tamen insuper status existentialis conditionatus, ad quem non absoluta existentia rerum; sed tantùm conditionata pertinet. Estque ille propterea, in quo omnes veritates conditionatæ existentiales esse dicuntur, siue illæ sint necessariæ, vt *Si Petrus existeret sine contradictione existeret*; siue sint contingentes, vt *Si Petrus vocaretur responderet*; siue illæ rebus alias absolutè existentibus conueniant, siue conueniant rebus absolutè non existentibus. Præscindit quippe status iste conditionatus ab absoluta existentia rerum; proindéque tam rebus absolutè non existentibus, quàm absolutè existentibus communis est. In quo tamen ille consistat, controuersum est apud Auctores vt statim videbimus.

5 Porrò status existentialis, tam absolutus, quàm conditionatus in necessarium, & contingentem est diuidendus. Necessarius est ille ad quem pertinent veritates existentiales necessariæ. Contingens autem ad quem veritates existentiales contingentes spectant, prout ampliùs explicabitur in *seqq.*

6 Status autem quiditatiuus rerum dicitur ille, in quo veritates obiectiuæ quiditatiuæ, & necessariæ censentur esse, quæ omnibus rebus etiam non existentibus competunt, atque adeò æternæ, incorruptibilésque appellantur. Est duplex, quemadmodũ existentialis sed vterque necessarius. Alius absolutus, ad quem pertinent veritates quiditatiuæ absolutæ, & necessariæ, vt *Homo est animal rationale: Homo est risibilis, secundus Deus est chymera.* Alius conditionatus, ad quem pertinent veritates quiditatiuæ conditionatæ & necessariæ vt, *Si aliquid est homo est animal. Si quid fuerit triangulus habebit tres angulos æquales duobus rectis. Si Angelus esset homo, esset risibilis.* Tametsi nomine status quiditatiui solum absolutum videantur intelligere Auctores confundentes cõditionatum cum conditionato existentiali. abs iure tamen, vt ex se patet, ampliúsque ex dicendis patebit. Dicuntur autem veritates pertinentes ad huiusmodi statum quiditatiuæ, ipseque status quiditatiuus, non quia omnes sint de prædicato essentiali, seu quiditatiuo subiecti, plereque enim sunt de passione eius aut propria, aut communi; sed quia omnes fert secum annexas subiecti quiditas, seu essentia; cum earum prædicatum vel sit tota ipsa essentia, aut pars eius, vel aliqua passio eiusdem propria, aut communis. Quod plenius vt percalleas, lege doctrinam prædicabilium tradendam à nobis *infrà disp. 17. q. 7.* Cæterum in quo huiusmodi status consistat, etiam sub controuersia est.

7 Etenim, vt hinc exordiamur, ingenioſi quidam Recentiores enixè contendunt, statum quiditatiuum rerum nihil à Deo distinctum esse; sed quid omninò cum Deo identificatum solum quippe Deũ posse esse constitutiuum omnium veritatum necessariarum, quæ pertinent ad talem statum, atque adeò verificatiuum omnium propositionum, quæ de materia necessaria, & sempiternæ veritatis dicuntur. Idemque censent de omni statu conditionato etiam existentiali, deque veritatibus ad illum spectantibus, à quibus conditionatæ propositiones euadunt veræ. Opinantur namque vniuersè, nullam omninò assignari posse veritatem obiectiuam re ipsa distinctam à Deo, præterquam rerum absolutè existentium in aliqua differentia temporis. Non negant hi Recentiores, imò expresè fatentur res, quæ obiectiuè veræ dicuntur distingui à Deo, putant tamen eas secundum se præcisè spectatas nullum penitus habere esse nullamque proinde iudicabilem veritatem ante absolutam sui existentiam: denominari tamen ante eam veras obiectiuè denominatione purè extrinseca ab entitate vera & necessaria Dei veluti à quadam forma: (quemadmodum existentia salutis non extiturę desiderata denominatur à desiderio sui,) à talique forma proindè habere illud *esse* sibi quidem omnino extrinsecum, & identificatum cum Deo, atque adeò necessarium, & sempiternum, ratione cuius terminant propositiones, atque iudicia vera, quæ necessariæ, & sempiternæ veritatis dicuntur. Deum enim per suam essentiam antecedenter ad omnipotentiam, & scientiam ipsissimam talium veritatum necessitatem esse. Hoc pacto dicunt possibilitatem possibilium realiter esse idem cum Deo, similitérque futuritionem conditionatam conditionatè futurorum; necnon impossibilitatem, seu repugnantiam impossibilium, & vniuersè omnem veritatem obiectiuam independentem ab absoluta existentia rerum, omnemque statum ab hisce veritatibus indistinctum; tametsi subiecta denominata extrinsecè possibilia, aut sub conditione futura, aut repugnantia, aut alio quouis modo vera re ipsa à Deo distincta sint. Adeóque cogitatione ista præfati Recentiores abrepti sunt, vt consequenter; sed nescio an satis tutò, affirmauerint futuritionem etiam conditionatam contingentium, pro quibus cognoscendis in Deo scientia illa celebris conditionata adstruitur contingens item, seu defectibilis, quã nostra schola mediam vocat, realiter omninò esse idem cum ipsa scientia indistincta à Deo. Nullámque subinde esse veritatem obiectiuam ex parte rerum extra diuinum intellectum, per quam ille determinetur ad talem scientiam, sed ipsum à semetipso per scientiam, ipsam determinari. Quod certè ante hos Recentiores prorsus fuit inauditum.

Sit secunda sententia aliorum, qui existimarunt 8
statum rerum quiditatiuum per simplicem apprehensionem earumdem diuinam, aut etiam creatam constitui, ratione cuius illæ ita existunt intentionaliter, seu obiectiuè in mente eas apprehendentis tanquàm in quodam statu (quidquid sit de earum existentia aut non existentia reali) vt de eis prout sic omnes ipsarũ veritates quiditatiuę ab eisdem indistinctæ sint iudicabiles. Ob idque huiusmodi statum tum obiectiuum, tum quiditatiuum vocari. De statu verò conditionato existentiali dicebant isti, illum ex parte conditionis esse obiectiuum, constituique per apprehensionem constituentem hypothesim, ex parte verò conditionati prorsus esse reale, quia semel per intellectum factâ hypothesi, quòd quidpiam existat, realiter ei coexisterent illa, quæ verè extitura dicuntur sub tali hypothesi.

Sit tertia sententia eorum, qui supponunt, 9
aut exprimunt statum quiditatiuum à conditionato existentiali nullatenus esse diuersum. Quid verò sit status conditionatus existentialis, aut in quo consistat, tanquam quid satis ex se notum inexplicatum relinquunt. Huius sententiæ sunt qui

semper propositiones quiditatiuas per existentiales conditionatas declarant, quasi vtrarumque sensus sit idem, vt hanc: *Homo est rationalis*, per hanc: *Homo erit rationalis, si extiterit*; aut *Homo esset rationalis si existeret*. Ita Soar. *disp.* 31. *Metaph. sect.* 12. *n.* 45. Arriag. Ripal. & alij referendi *disp.* 11. *q.* 1. qui possibilitatem intrinsecam cuiusuis rei in hac veritate conditionata ponunt: *si talis res extiterit, sine contradictione existet.*

10 Quarta sententia est, asserentium, res omnes independenter à sua absoluta existentia habere de suo suam essentiam, hoc est, esse id, quod re vera sunt, sumpto verbo *esse* substantiuè, non verò existentialiter, quòd ipsum est eas habere de suo, siue ex conceptu proprio *esse* quoddam quiditatiuum, siue *esse* essentiæ, seu quiditatis à se indistinctum ab omni causa, ab omnique existentia independens, atque adeò indefectibile prorsus, & necessarium. Auctores quippe huius sententiæ ea ipsa supponunt, statum quiditatiuum absolutum rerum nihil esse entitatiuè distinctum à rebus ipsis, sed quid cum eis entitatiuè identificatum, veritates videlicet obiectiuas necessaria, & absolutas in eisdem rebus secundum essentiam consideratis repertas, siue eis vt sic conuenientes, quales sunt: *Homo est animal rationale*: *Homo est risibilis*, & similes. Tenent autem sententiam præfatam ex antiquioribus Enric. Ægid. Capreol. Caiet. & alij, quos referunt, & sequuntur Basil. de Leon. *tom.* 1. *variarum q.* 8. Scholast. *cap.* 8. Albertin. *in prædicam. subst. disp.* 1. *q.* 1. Hemelm. *tit.* 7. *disp.* 1. *cap.* 5. Gran. 1. *p. tract. de diuin. pot. disp.* 7. *sect.* 2. Molin. 1. *p. quæst.* 3. *art.* 4. *disp.* 2. §. *ad quintum.* Tenent etiam, me quidem iudice, quotquot dicunt, possibilitatem rerum primariam in eo consistere quòd illæ tales essentiæ sint, vt contradictionem non implicent; è quorum numero sunt S. Thom. & omnes eius expositores communiter, aliique referendi *infrà disp.* 11. *quæst.* 1. Imò verò omnes fermè Theologi, qui punctum hoc non discusserunt, aut eius immemores de rerum essentiis, atque passionibus loquuntur in tacita quadam persuasione huius sententiæ esse videntur, dum passim dicunt, res esse tales, vel tales ex conceptu suo obiectiuo independenter ab eo quòd existant, vel secus. In quo verò status conditionatus, aut quiditatiuus, aut existentialis consistat, neque in supradicta sententia videtur adeò clarè supponi, neque in commemoratis Auctoribus video speciatim explicatum.

## *Propositio 1.*

11 Omnis status necessarius rerum realiter distinctarum à Deo, realiter quoque ab ipso Deo distinctus est, vtpote identificatus realiter cum rebus ipsis.

Hæc propositio directè opponitur sententiæ Recentiorum primo loco relatæ. Pro cuius probatione suppono id, quod apud omnes est certum, constatque ex præmissis in hac quæstione, & ampliùs ex dicendis constabit; status scilicet necessarios rerum realiter distinctarum à Deo nihil esse aliud à veritatibus obiectiuis necessariis earumdem rerum, quæ ad tales status pertinere dicuntur. A veritatibus, inquam, obiectiuis, sumpta veritate obiectiua non formaliter pro denominatione extrinseca, vel semiextrinseca proueniente rebus à cognitione vera, per quam sunt cognoscibiles; sed fundamentaliter pro modo essendi, quem res habent ante sui cognitionem, ratione cuius idoneæ euadunt, vt terminent cognitionem veram. De hoc enim genere posteriori veritatum obiectiuarum; non de priore sermo est in tota præsente quæstione, atque etiam in seqq.

Quo posito probo propositionem primò. Veri- 12
tates obiectiuæ necessariæ rerum realiter distinctarum à Deo, realiter quoque ab ipso Deo distinctæ sunt, vtpote identificatæ realiter cum rebus ipsis. Ergo idem dicendum est de statibus necessariis earum, ad quos tales veritates pertinere dicuntur. Consequentia est euidens ex suppositione facta. Probo antecedens. Nulla res potest reddi obiectiuè vera per aliquid à se distinctum realiter; sed per se necessariò est talis, quæcumque obiectiuè vera est: ergo veritates obiectiuæ rerum realiter distinctarum à Deo, realiter quoque ab ipso Deo distinctæ sunt, vtpote identificatæ realiter cum rebus ipsis. Consequentia rursus est euidens. Probo ergo antecedens. Quæcumque res pro exemplo accipiatur, rogo, vel potest per se, siue per suum esse intrinsecum terminare aliquam cognitionem Dei, ita vt ipsamet obiectiuè sit in mente diuina; aut non potest? Si non potest, nullo omnino modo talis res erit à Deo cognoscibilis, nedum obiectiuè vera; siquidem quidquid à Deo cognoscitur, ipsummet est obiectiue in mente diuina: hæc enim duo in idem recidunt; vt est notissimum. Si autem potest: de facto talis res per se terminabit aliquam cognitionem Dei, subindeque ipsamet obiectiuè erit in mente diuina etiam de facto (siquidem quidquid potest à Deo cognosci, de facto cognoscitur, vt constat.) Rursus igitur rogo: aut talis res tale *esse* habet intrinsecè, & identicè in se quale intrinsece, & identice habet obiectiue in mente diuina? & hoc ipsum est esse illam intrinsece, & identice veram citra omne adiunctum extrinsecum ab ipsa distinctum, vt cunctis notissimum est, constatque ex dictis *suprà disp.* 3. *q.* 7. Aut talis res non habet tale *esse* intrinsece, & idetice in se, quale intrinsece, & identice habet obiectiue in mente diuina (quod euenire potest, & sæpe euenit, quando res per solam simplicem apprehensionem à Deo concipitur, vt ex mox dicendis constabit) & sic, vt nequit illa per aliquid à se distinctum reddi formaliter in se intrinsece, & identice talis, qualis intrinsece & identice est obiectiue in mente diuina; (nam id manifeste repugnat: haberet enim res ab adiuncto extrinseco sibi tanquam à forma aliquod *esse* identificatum secum, quod citra tale adiunctum non habet: quod planè est chymæricum, & contra *propos.* 12. *inferius disp.* 13. *q.* 3. demonstratam) ita nec potest per aliquid à se distinctum reddi obiectiue vera, quantumuis sit obiectiue verum illud distinctum, quod ei adiungitur, siquidem esse rem obiectiue veram, & esse in se intrinsece, & identice talem, qualis obiectiue est in mente diuina idem omnino est, vt tanquam notum cunctis suppono ex dictis *in tota disp. illa* 3. *cit.* Concluditur ergo satis aperte, nullam rem posse reddi obiectiuè veram per aliquid à se distinctum realiter; sed per se necessariò esse talem quæcumque obiectiue vera est, & consequenter veritates obiectiuas rerum realiter distinctarum à Deo, realiter quoque ab ipso Deo distinctas esse, vtpote identificatas realiter cum rebus ipsis.

Et confirmari potest id ipsum: quia veritas ob- 13
iectiua æque est passio entis metaphysica, ac bonitas, vnitas, distinctio ab aliis, &c. Ergo sicut non potest ens per adiunctum à se distinctum, tanquam per formam reddi bonum transcendentaliter, aut

vnum,

vnum, aut distinctum ab aliis, alias citra tale adiunctum non tale, vt est notissimum; ita nec potest ens alias non verum obiectiuè per adiunctum à se distinctum reddi obiectiuè verum. Hinc pergo.

14 Et probo secundò propositionem ab absurdo. Sequitur namque ex sententiâ oppositâ, Deum nullam veritatem obiectiuam necessariam, aut etiam contingentem cognoscere, præterquam rerum absolutè existentium, quod est erroneum: Cùm sit de fide, cognoscere insuper Deum res purè possibiles, & conditionatè futuras, vt suo loco videbimus. Id autem sequi, sic ex dictis ostendo. Opposita sententia statuit, res absolutè non existentes nullam veritatem obiectiuam secum identificatam habere. Sed probatum est contra illam, nec posse vllam habere veritatem per puram denominationem extrinsecam desumptâ ab entitate Dei: igitur tali sententiâ positâ, sequitur, res absolutè non existentes nullatenus esse obiectiuè veras, nullatenúsque subinde à Deo cognoscibiles iudicatiuâ cognitione, atque adeò Deum nullam veritatem obiectiuam præterquam rerum absolutè existentium cognoscere, loquendo absolutè dumtaxat enim dicuntur loquendo absolutè cognosci, quæ iudicatiuè cognoscuntur.

15 Sed probemus tertiò propositionem descendendo ad specialiora, & ampliùs declarando iam dicta. Dicunt Aduersarij, loquendo e. g. de Petro purè possibili, veritatem obiectiuam harum propositionum: *Petrus est possibilis: Petrus est homo*, realiter esse idem cum Deo, quatenus entitas necessaria Dei Petri est possibilitas necessaria, siue (quod idem putant) necessitas, vt si existat Petrus sine contradictione existat. Tum veritas necessaria, quâ Petrus necessariò est homo, siue (quod idem putant) necessitas, vt si existat Petrus, sit homo. Entitatem verò Petri realiter distinctam a Deo extrinsece denominari possibilem, & verum hominem ab entitate extrinsecâ Dei citra omne *esse* verum intrinsecum sibi; neque opus est, inquiunt, vt subiectum huiusmodi denominationum adæquatè extrinsecarum aliquod verum *esse* habeat, vt cernere est in denominatione, quâ existentia salutis nunquam futura desiderata denominatur à desiderio extrinseco sui. ita illi. Ex quibus ita infero ego. Ergo iudicare Deum obiectum huius propositionis *Petrus est possibilis* (tantumdémque censè de altera, & de similibus) nihil est aliud, quàm, Deum iudicare possibilitatem Petri, hoc est se ipsum existere, nullatenus iudicato Petro, sed summum apprehenso simpliciter; quemadmodum iudicare Deum, existentiam salutis nunquam extituræ desideratam esse à me, nihil est aliud, quàm iudicare Deum existere in me desiderium de existentiâ salutis, nullatenus iudicatâ existentia salutis, sed tantum apprehensa simpliciter. Ex quo absurdum nuper illatum rursus infertur; nimirum Deum nihil iudicatiuè cognoscere, atque adeò nihil scire præter absolute existentia. Apertiusque constat, nullam rem per aliquid à se distinctum posse reddi obiectiuè veram: siquidem cognoscibilis à Deo iudicatiuè reddi non potest, qualiter omne verum cognoscibile est.

16 Dicent fortasse cum iis qui negant posse Deum quidpiam simpliciter apprehendere. Cùm iudicat Deus, Petri possibilitatem existere, iudicatiuè tangere vtrumque terminum, Petri quidem possibilitatem per assensum; ipsum verò Petrum per dissensum, iudicando scilicet simul illam existere, & hunc non existere; sicut cùm Deus iudicat existere desiderium de existentiâ salutis nunquam futuræ, simul affirmat illud existere, & hanc non existere. Sed contrà primò: quia iudicium contingens de non existentiâ Petri impertinenter se habet ad iudicium necessarium huius obiecti. *Petrus est possibilis*: sicut ad hoc vt re verâ sit Petrus possibilis, impertinens est, quod ille absolutè existat, vel non existat. Contrà secundò: quia iudicium de absolutâ non existentiâ Petri ad scientiam reducitur veritatum absolutè existentium: ergo si iudicare Deum, Petrum esse possibilem aliud non est, quàm iudicare Deum, possibilitatem à se indistinctam existere, & Petrum non existere; idemque consequenter euenit in cæteris huiusmodi obiectis. Conficitur planè præter veritates absolutè existentes, nullam aliam cognosci, seu iudicari à Deo; Quod erat absurdum illatum. Contrà tertiò: quia in illo signo indifferentiæ, in quo Deus cognoscens, Petrum esse possibilem, indifferens est ad decernendam, vel non decernendam Petri existentiam nondum Deus iudicat, nec iudicare potest aut absolutè existere Petrum, aut absolutè non existere, vt est notum: igitur si pro eo signo entitas Petri nullum esse habet intrinsecum iudicabile, prout Aduersarij ponunt necesse est vtique vt pro eo signo entitas Petri quoad intrinsecum ab intellectu diuino aut nullo modo, aut purè apprehensiuè attingatur, quod absolutè loquendo non est cognosci, aut sciri. Vnde iterum concluditur, iudicare Deum pro signo prædicto, Petrum esse possibilem, nihil esse aliud, quàm iudicare Deum, siue scire suam entitatem existere, & nihil ampliùs. Quo in idem absurdum recidimus.

17 Propter hæc Aduersarij forsan aliter respondebunt. Nimirum. vt quis dicatur, loquendo absolutè, & simpliciter, iudicare, & scire quoduis complexum integrum ex subiecto, & formâ coalescens, quod obiectiue verum est, totâ veritate se habente ex parte solius formæ, eiusmodi sunt hæc: *Salus desideratur*: *Petrus est cognitus*: *Petrus legit*, & similia: satis, superque esse, quod iudicet de subiecto formam, nihil interim decernendo de intrinsecâ entitate subiecti. Sic igitur Deum iudicando formam de subiecto ab illâ distincto citra omne iudicium de ipso subiecto quoad intrinsecum, simpliciter, & absolute dici iudicare, & scire integra complexa ista. *Petrus est possibilis*: *Petrus est homo*, & cætera huiusmodi, quæ inadæquate ab ipso Deo tanquam includens ab incluso realiter distincta sunt; cessareque subinde absurdum superius illatum. Sed contra: quia responsio hæc imprimis videtur deceptionem nimis crassam inuoluere, iudicare scilicet Deum, sicuti nos, attribuendo prædicatum subiecto; quod plus quàm falsum est. Non enim ita iudicat (vt neque alij intuentes) sed inspiciendo vnumquodque obiectum, intuitiuéque penetrando quidquid re verâ illud intrinsece est, tametsi quando est relatum, terminum quoque, ad quem refertur debeat concipere, aut illud etiam iudicando, aut tantùm pure apprehendendo, quo pacto est relationis terminus, iuxta naturam relationis, prout *suo loco* ostendemus. Hinc iudicia Dei de obiectis per verba hæc significatis: *Salus desideratur*. *Petrus est cognitus*: *Petrus legit*, non tam iis verbis, quàm his respondent. *Desiderium salutis existit*: *Cognitio Petri existit*: *actus legendi Petri existit*. Idemque est de aliis huiusmodi. Quo posito, impossibile est, vt totum hoc integrum complexum *Petrus est possibilis* iudicetur, & sciatur à Deo, si sola possibilitas Petri realiter ab ipso Petro distincta

ſtincta intrinſece eſt vera ; in tali enim caſu iudicium Dei in tale complexum tendens aliud ab hoc eſſe non poteſt : *Poſſibilitas Petri à me indiſtincta exiſtit.* Per hoc autem ſolùm iudicatur, & ſcitur exiſtere entitatem Dei, nullatenus iudicata, ſed ſummum apprehenſa ſimpliciter entitate Petri, vt ex ſuperius dictis ſatis eſt notum. Quemadmodum per hoc Dei iudicium : *Deſiderium de exiſtentia ſalutis nunquam futuræ exiſtit,* nullo modo iudicatur ſalutem exiſtere ; ſed ſolùm exiſtere deſiderium eius, vt patet.

18 Adde, nos, dum iudicamus dicta complexa, non ſolùm iudicium ferre de veritate intrinſeca formæ attribuendo illam ſubiecto, vt quid illi re vera adiunctum, ſed inſuper de ea veritate ſubiecti intrinſeca, quæ connotatur per formam, vt enim *ſuprà diſp. 2. q. 4. conſect. 5.* latè explicuimus. Qui affirmat expreſſe actum ſignificatum per verbum, implicite per idem iudicium affirmat ita ſe habere intrinſece ſubiectum actus: ſicut per actum cõnotatur. Sic in exẽplis propoſitis, cùm iudicamus *Petrus legit,* expreſſe affirmamus actum legendi prout exiſtentẽ, implicitè autẽ Petrũ exiſtere: quia actus legendi prout exiſtẽs neceſſario cõnotat, ſeu reſpicit Petrum prout exiſtentem ; & cùm iudicamus *ſalutem deſiderari*, ſi deſiderium ponatur intrinſece reſpiciens talem ſalutem præ cæteris rebus ab ea diſtinctis, neceſſario connotabit eſſe eam talis naturæ à cæteris rebus diſtinctæ ; quocirca affirmantes expreſſe deſiderium, implicite quoque affirmabimus, ſalutem deſideratam talis eſſe naturæ ex ſuo conceptu obiectiuo, ſeu exiſtat, ſeu non exiſtat. Igitur in huiuſmodi caſibus nihil mirum, ſi complexa huiuſmodi integre iudicari, & ſciri à nobis dicantur quandoquidem omnes eius partes iudicamus, & ſcimus ; ſi verò detur complexum, cuius ſubiectum nullam penitus veritatem intrinſecam vllo modo iudicabilem habeat, nullaque ſubinde veritas intrinſeca eius connotetur per formam, vt eſt ſecundum Aduerſarios hoc *Petrus eſt poſſibilis* ; ne nos quidem dicemur tale complexum integrum, ſed alteram tantum partem eius iudicare, & ſcire, quantumuis videamur per noſtrum iudicium tribuere formam ſubiecto: quia in tali caſu non plus adſtruet ſiue ponet in rebus hoc iudicium *Petrus eſt poſſibilis,* quàm hoc, *Poſſibilitas Petri cum Deo identificata exiſtit.* Ex quibus apparet per propoſitas ſolutiones neutiquam argumentorum noſtrorum vim eneruari. Mihi autem alia ſolutio non occurrit, per quam vel quoad ſpeciem ea poſſit infringi. Pergo igitur :

19 Et ex principio indicato nuper probo quartò propoſitionem, ſententiamque oppoſitam impugno. Deus eſt intrinſece iuxta Aduerſarios poſſibilitas Petri, & non eſt poſſibilitas chymeræ. Sed hoc conſtare non poteſt, niſi Petrus ſuoptè conceptu obiectiuo independenter ab exiſtentia diſtinctus re vera ſit à chymera : quia ſi eſſet vt ſic idem cum chymera, nequiret non eſſe poſſibilitas chymeræ id ipſum, quod intrinſece eſt poſſibilitas Petri, vt patet. Igitur Petrus pure poſſibilis antecedenter ad denominationem poſſibilis ei prouenientem extrinſece ab entitate Dei, veritatem aliquam obiectiuam ſibi intrinſecam habet ; nimirum, eſſe eum ſuaptè natura verè diſtinctum à chymera ; imò hoc ipſum eſt eſſe eum poſſibilem intrinſece ante omnem poſſibilitatẽ ſibi extrinſecam, & identificatam cum Deo. Male ergo aduerſarij dicunt ; omnes huiuſmodi veritates cum Deo eſſe identificatas. Reſpondebunt iuxta principia ſua ; hoc ipſum quod eſt Petrum diſtinctum eſſe à chymera extrinſece tantùm eſſe verum ab entitate Dei, ſicut & alia huiuſmodi vera abſolutè non exiſtentia. Reſponſio tamen hæc non ſatisfacit. Sumo enim omnes veritates, nulla dempta, prouenientes Petro, & non chymeræ extrinſece ab entitate Dei ; & argumentum factum inſtauro. Vel Petrus ante omnes haſce veritates extrinſecas ſibi, & vt præciſus ab illis, eſt diſtinctus verè à chymera ; vel non eſt diſtinctus, vel neque eſt diſtinctus, neque eſt non diſtinctus? ſi primum : iam habebit aliquam veritatem intrinſecam ſibi, & abſolutè non exiſtentem. Si ſecundum : eaſdem, quas Petrus, veritates extrinſecas ſortietur chymera. Si tertium, cum eodem modo chymera debeat ad Petrum comparari, non erit vtique cur potius Petrus quàm chymera tales veritates ſortiatur. Vtrumque igitur, vel neutrum illas ſortietur : quæ omnia contra Aduerſarios ſunt. Et ſane non videtur intelligibile, quod ab eadem Dei entitate denominetur Petrus poſſibilis, & chymera impoſſibilis, & tamen conceptus Petri intrinſece non ſit verè diſtinctus, diuerſuſque à conceptu chymeræ.

Et confirmari poteſt amplius, ac declari hoc pa- 20
cto. Aut Petrus intrinſece, & identice eſt verè capax dictarum denominationum ipſi intrinſece prouenientium à Deo, aut eſt intrinſecè incapax, aut intrinſece neque eſt capax, neque incapax. Similiter chymera aut eſt intrinſecè incapax earumdem denominationum, aut intrinſecè capax, aut neque capax, neque incapax. Si dicatur primum ; tam chymera, quàm Petrus habebunt quamdam veritatem non exiſtentem abſolutè, & intrinſecam ſibi, quod deſtruit ſententiam Aduerſariorum : ſi dicatur ſecundum. Petrus ſubibit de facto extrinſecas denominationes, quarum eſt incapax, eaſdemque non poterit ſubire chymera, quarum eſt capax. Quæ eſt contradictio in terminis. Si dicatur tertium: conceptus Petri, & conceptus chymeræ eodem omnino modo comparabuntur vt ſubiectum ad tales denominationes, ſiquidem vterque nec capax nec incapax eſt earum : igitur, vel vterque ſortietur illas ; ſicque chymera perinde ac Petrus euadet poſſibilis, verus homo, verum animal, &c. Vel neuterque ; ſicque Petrus perinde ac chymera nec erit poſſibilis, nec homo, nec animal, nec quidpiam aliud verum. Quod vtrumque eſt abſurdum.

Idem argumentum poteſt vrgeri paulò aliter, 21
comparando Petrum pure poſſibilem ad alium terminum etiam purè poſſibilem, e. g. ad Angelum. Vel enim Angelus, & Petrus ante omnem veritatem extrinſecè ſibi prouenientem ab entitate Dei, intrinſecè ſunt inter ſe diſſimiles ; vel intrinſecè ſunt ſimiles ; vel intrinſecè nec ſunt diſſimiles, nec ſimiles. Si primum : habebunt contra aduerſam ſententiam veritatem intrinſecam ſibi, diſtinctamque ab entitate Dei. Si ſecundum præterquam quod habebunt itidem veritatem oppoſitam ſibi etiam intrinſecam, nequibunt extrinſecè à Deo denominari verè diſſimiles, atque adeò nec verus Angelus ; nec verus homo, (quorum conceptus veri nequeunt non eſſe verè diſſimiles : ) quia ſubiecta aliàs in ſe ſimilia per vnicam, & eamdem numero formam, eamque ſimpliciſſimam ſibi adiunctam, qualis eſt entitas diuina, nullo modo poſſunt euadere diſſimilia, vt eſt notiſſimum ; ſiquidem talis forma ſibi ipſi diſſimilis eſſe non poteſt, necundeque ſubinde eiuſmodi diſſimilitudo ſubiectorum aliàs non diſſimilium poteſt enaſci. Si denique dicatur tertium : idem omnino ſequitur, quia ſubiecta etiam in ſe non diſſimilia

milia nullatenus per eamdem prædictam formam possunt dissimilia reddi, vt rursus est notum. Concluditur ergo, Petrum purè possibilem, & Angelum purè possibilem per se, & ab intrinseco habere veras essentias verè inter se dissimiles: primus scilicet veram essentiam hominis, secūdus veram essentiam Angeli, nec eas vllatenus ab extrinseco habere posse per denominationem extrinsecam desumptam ab entitate Dei.

22 Id, quod aliter clariùs adhuc sic confirmari potest. Quoties duo complexa inadæquatè tantum distincta sunt, neutiquam possunt euadere dissimilia, aut inæqualia ab ea parte, quæ in vtroque est eadem; vt est notissimum; siquidem idem sibi ipsi, nec dissimile esse potest, nec inæquale, vt constat: igitur si talia complexa absolutè sunt dissimilia ab aliis partibus ratione quarum distinguuntur, & quæ inter se distinctæ sunt, totam suam dissimilitudinem, atque inæqualitatem habeant necesse est. Est clarum. Pergo; sed hæc duo obiecta: *Petrus est homo. Angelus est spiritus*, absolutè sunt dissimilia, & inæqualia in perfectione, vt omnes fatentur, & iuxta Aduersarios complexa quædam sunt inadæquatè tantùm distincta; primum ex entitate Dei, & Petro; secundum ex entitate Dei, & Angelo: ergo ea non ab entitate Dei, quæ in vtroque est eadem, sed ab essentiis obiectiuis Petri, & Angeli euadunt dissimilia, & inæqualia. Hoc autem ipsum est, tales essentias intrinsece & non ab entitate Dei sibi extrinseca esse inter se dissimiles, & inæquales. Quod erat probandum. Quo eodem pacto venit probandum, essentiam Petri purè possibiles, & essentiam chymeræ intrinsece esse inter se dissimiles, intrinsecèque subinde, & de suo habere id, in quo potissime dissimilantur; nimirum primam esse possibilem, secundam impossibilem. Pariterque de cæteris huiusmodi est censendum.

23 Quintò potest propositio probari sic. Petrus purè possibilis prout in statu quiditatiuo est verè distinctus à Deo, & vere dissimilis Deo: sed nequit per entitatem diuinam, tanquam per formam extrinsecam talis esse: ergo per se ipsum intrinsece talis est. Cætera patent. Probatur minor. Impossibile est, vt aliquid per formam sibi superadditam distinguatur ab alio, eidemque dissimile euadat, nisi talis forma ab hoc alio distincta, eidemque dissimilis sit, quia vt fert vulgatum axioma Philosophorum: *Propter quod vnumquodque tale, & illud magis.* Non enim est intelligibile, quòd subiectum reddatur verè distinctum ab alio extremo, eique vere dissimile per formam sibi superadditam, quale ante talem formam non erat; & quod forma ipsa à tali extremo non sit distincta, nec ei dissimilis, vt patet. Sed entitas diuina, neque est distincta à Deo, neque ei dissimilis, vt constat. Igitur per entitatem diuinam, tanquam per extrinsecam formam non potest Petrus purè possibilis euadere vere distinctus à Deo, & vere dissimilis illi. Relinquitur ergo, vt per se ipsum intrinsece talis sit. Quæ possunt responderi ad hoc argumentum, si quæ sunt, facillime quisque reuincet ex dictis circa præcedentia, atque etiam sequentia.

24 Sextò arguitur. Multa potest Deus producere, quæ non producit. Ergo, quæ Deus potest producere, & non producit, multa sunt. Antecedens est certissimum, & consequentia videtur euidens. Distinguunt tamen nihilominus consequens Recentiores. Multa sunt actualiter, negant; possibiliter concedunt. Bene. Ego dumtaxat volo pure possibilia ita esse re vera multa mutuò inter se distincta in suo possibilitatis statu, vt Deus independenter ab eorum actuali existentia vere iudicet ea esse multa, & inter se distincta, quod negari non potest. Tum sic argumentum formo simile præcedenti. Repugnat, vt verè euadant multa per formam sibi superadditam, quæ ante talem formam talia non sunt, si forma ipsa non est multiplex, sed prorsus vna, & simplex: quia *propter quod vnumquodque tale, & illud magis.* Igitur ab entitate diuina vnica penitus, & simplici non possunt purè possibilia tanquam à forma extrinseca vere euadere multa: aliàs citra talem formam non talia. Relinquitur ergo, vt per se ipsa, & ab intrinseco talia sint. Quod destruit Aduersariorum sententiam. Recognosce doctrinam traditam circa argumentum quartum.

Septimò. Veritates omniū propositionum de ma- 25
teria necessaria non sunt mutuo inter se connexæ. Quis enim hactenus putauit fore hanc propositionem falsam. *Michaël est Angelus*, casu, quod illa falsa esset: *formica est viuens?* Aut quis vnquam censui, si formica esset impossibilis, Angelum quoque fore impossibilem? Sed essent mutuo inter se connexæ, si omnium earum verificatiuum esset entitas Dei, prout aduersarij docent; quin imò vnicas, & indiuisibilis esset earum omnium veritas obiectiua, nempe ipsa entitas Dei, vt aduersarij confitentur, tametsi addant subiecta denominata vera esse plura. Quod etiam à mente omnium alienum haud dubie fuit hactenus. Ergo. Quomodo autem hinc sequatur vnicum etiam à tali veritate esse obiectiue verum; atque adeò Deum præter absolute existentia nihil aliud verum cognoscere, *in superioribus* ostendimus. Adde, ex eo quod veritas obiectiua omnium rerum, atque adeo omnium essentiarum sit vna, & eadem, nimirum entitas diuina, vt Aduersarij docent, aliud immane absurdum sequi euidenter; nempe obiecta omniam humanarum scientiarum, quæ de rebus, de rerumque essentiis, & passionibus agunt prout in statu quiditatiuo, & cum præcisione ab existentia absoluta, quales pleræque sunt, confundi penitus nullamque subinde esse obiectum verum, ex quo non sequatur quodlibet, aliud, & consequenter nullā esse essentiam, quæ non habeat proprietates omnium aliarum. Circulus videlicet habebit proprietates quadrati, & quadratum proprietates circuli; & triangulus proprietates quadrati, & circuli, & vicissim. Necnon homo habebit proprietates Angeli, Leonis, lapidis, &c. & è conuerso, pariterque in cæteris omnibus. Nullaque subinde erit cuiuspiam essentiæ proprietas; sed omnes omnium erunt passiones communes. Quod, quàm sit absurdum, imò ridiculum, palam est.

Octauò propositionem probo contra Aduersa- 26
rios: sequitur enim ex eorum sententia, essentias omnium rerum absolute non existentium realiter, & formaliter esse identificatas cum Deo, quod est absurdum. Dico *realiter & formaliter*, quia in phrasi plurium Theologorum, eminenter; & virtualiter dicitur Deus identificari cum essentiis rerum ab ipso causabilium, quatenus virtualiter, & eminenter in sua omnipotentia, cum qua idem est, continet illas. Quod tamen verè aliud non est, quam esse Deum identificatum cum sua essentia potente tales res causare. Ego autem modo contendo, sequi ex Aduersariorum sententia, Deum verè, & formaliter esse idem cum essentia Angeli, hominis, Leonis, &c. tum cum essentia chymeræ, imò & cum essentia peccati, & malitia eius, vt paulò post inferam. Quæ omnia ingentia absurda sunt. Id autem sequi sic probo. Obiectum huius

propositi

propositionis : *Petrus est homo* ( loquimur semper de Petro absolutè non existente ) veram essentiam Petri continet secundum Aduersarios , & omnes, sed totam omnino veram essentiam , quam Petrus in tali obiecto contentam habet , formaliter habet participatam à consortio entitatis Dei : quia Petrus de suo,& præscindendo à tali consortio nullum omnino *esse*, atque adeo nullam omnino essentiam habet,vt Aduersarij expresse docent. Igitur vera essentia Petri in prædicto obiecto contenta realiter est indistincta ab entitate Dei.

27 Confirmatur primò. Nihil omnino includitur in obiecto prædicto, quod possit esse formaliter essentia Petri præter entitatem diuinam : quia entitas Petri , quæ sola cum entitate diuina includi concipitur per se , & de suo nulla est essentia , sed penitus nihil : ergo sola entitas diuina esse potest essentia Petri in prædicto obiecto contenta. Quod ipsum est essentiam Petri in prædicto obiecto contentam cum entitate diuina identificari.

28 Confirmatur secundò. Quoties alicui vero enti concipitur adiici alter conceptus , qui re vera non est ens ; sed penitus nihil , non plus resultat veræ entitatis post adiectionem , quàm erat antea , quia quod est in se nihil per sui adiectionem, formaliter nequit addere aliquid , quia solùm potest addere nihil , cùm solùm possit addere , quod ipsum est, ipsum autem est nihil. Est clarum. Sed conceptus Petri adiectus Deo enti vero in se , & de suo re vera prorsus est nihil , iuxta Aduersarios. Igitur complexum , quod ex Deo , & tali conceptu resultare intelligitur , nihil amplius veræ entitatis , atque adeo nec veræ essentiæ continet in se, quam Deus solus. Igitur in tali complexo sola est omnino vera entitas , seu vera essentia Dei. Hæ consequentiæ etiam sunt claræ. Pergo. Sed obiectum supradictæ propositionis *Petrus est homo* ipsissimum iuxta Aduersarios complexum est, quod ex entitate vera Dei , & ex conceptu intrinseco Petri resultare concipitur , aliundeque iuxta ipsos Aduersarios , & iuxta omnes in tali obiecto continetur ; includiturve vera essentia Petri ; Igitur vera essentia Petri in tali obiecto , seu complexo contenta ipsissima est essentia , siue entitas Dei ; atque adeo idem cum illa ; quod erat probandum.

29 Confirmatur tertiò ad hominem contra Aduersarios. Ipsi enim sæpe expresse pronunciant , possibilitatem rerum non existentium realiter esse idem cum Deo ; sed possibilitas rerum non existentium prædicatum earum est essentiale , sicut & reliqua , quæ habent. Igitur iam ex ipso ore Aduersariorum habemus , aliquod prædicatum essentiale eiusmodi rerum, præter obiectiuam veritatem earum esse idem cum Deo. Tantumdem ergo erit de reliquis , quia omnium eadem ratio est, & consequenter de tota essentia. Itaque possibilitas Petri , quæ est potentia ad existendum , non minus intrat essentiam Petri , quam animalitas , quæ est potentia ad sentiendum , & rationalitas , quæ est potentia ad ratiocinandum. Si igitur iam non sola veritas,à qua tres istæ potentiæ veræ obiectiuè euadunt ; sed etiam earum prima est idem cum Deo, vt Aduersarij confitentur ; & reliquæ duæ erunt idem ob eamdem rationem;subindeque tota essentia Petri,vt præsens argumentum prætendit.Ex quo obiter deprehendes,quam certum sit assumptum argumenti à nobis primo loco factum:nullam scilicet rem posse esse obiectiuè veram per veritatem identificatam cum alio quopiam distincto à se ; si enim veritas obiectiua rei cum alio quopiam realiter à re ipsa distincto esset idem tota essentia , & quiditas rei cum eodem pariter esset idem ; atque adeo distincta realiter à re , cuius essentia est , vt patet ex hoc argumento. Quod tamen euidentiùs repugnat.

Quot verò absurda præter *superius* illata ex con- 30
clusione huius argumenti sequantur, nemo non videt: Sequitur enim Deum re vera,& formaliter esse hominem, esse brutum, esse lapidem,& cætera huiusmodi cuncta. Tum esse chymeram impossibilem, esse peccatum,& omnia mala. Denique esse quidquid ante existentiam absolutam aliquam veram essentiam habere concipitur. Quod totum plus profecto quam chymericum est.

Nonò hac ratione probari potest propositio, 31
sententiáque aduersa impugnari. Vt Deus est necessitas , & veritas , à qua Petrus ante absolutam sui existentiam habet verè , & necessariò esse hominem ; ita non potest non esse itidem veritas , & necessitas , à qua peccatum ante absolutam sui existentiam habeat verè, & necessario esse malum;sed hoc secundum repugnat Deo. Ergo. Maior est ipsa aduersariorum sententia. Probo minorem. Deo repugnat, vtpote ipsi fœdum,& indecorum per se,& positiue facere , quod peccatum contingenter sit malum, faciendo per se, & positiuè , quod contingenter existat peccatum , quatenus malum est , vt tota bona Theologia docet : sed peius est quidpiam necessario esse malum , quam esse contingenter malum. Igitur magis repugnat Deo , vtpotè ipsi magis fœdum , & indecorum per se,& positiue facere,quòd peccatum necessario sit malum, essendo necessitas ipsa , & veritas , à qua habet peccatum verè, & necessario malum esse. Confirmatur,& declaratur primò. Indignum, & Deo in genere causæ efficientis esse causam per se , vt habeat esse , & veritatem contingentem malitia peccati. Ergo indignius est Deo in genere causæ formalis ( quod est intimior modus causandi ) esse causam per se, vt habeat esse , & veritatem necessariam malitia peccati. Confirmatur secundò. Peccatum purè possibile in aduersariorum sententia non potest non quoad totam suam essentiam , atque adeo , & quoad malitiam suam formalem esse identificatum cum Deo , iuxta argumentum vniuersale octauo loco nuper factum. Hoc autem quid fœdius dici possit ?

Decimò arguitur. Status quiditatiuus rei impos- 32
sibilis habentis in se quidditatem , iuxta dicenda *disputat.* 11. omnesque subinde veritates obiectiuæ ad talem statum pertinentes , eodem pacto , ac modò se habent , persisterent etiam si per impossibile deficeret Deus : quia etiam in eo casu per locum , vt aiunt , intrinsecum maneret verum, rem , quæ modo est impossibilis , esse impossibilem , talemque intrinsecè , & de suo esse , qualis modo dicitur esse ex conceptu suo. Igitur status quiditatiuus huiusmodi rerum impossibilium non est re ipsa idem cum Deo , proindeque nec veritates obiectiuæ , & necessariæ earum. Tantumdem ergo dicendum erit de statu quiditatiuo , & veritatibus necessariis omnium aliarum rerum realiter distinctarum à Deo. Quomodo autem hoc , & similia argumenta sumpta ab hypothesi impossibili bene , & efficaciter probent , in eadem *disputatione* 11. explicabimus, vbi Recentiorum solutiones , instantiasque infringemus.

Vndecimò. Bonitas transcendentalis rerum 33
distincta

distinctarum à Deo, non est idem cum ipso Deo, vt est certum: ergo nec veritas transcendentalis earumdem. Consequentia ab omnibus, præterquam à Recentioribus, contra quos agimus videbitur optima: siquidem ex omnium communi persuasione, non minùs est intrinseca rebus veritas transcendentalis, de quâ hic est sermo, quàm bonitas. Semel autem posito, quòd veritas sit idem cum Deo, & bonitas; & tota essentia rerum erit idem cum ipso; vt argumento octauo probauimus. Indéque fiet præter cætera absurdâ, vt Deus nihil bonitatis cernat in rebus ante earum existentiam, quo ad illas præ aliis producendas permoueatur.

34 Ex quo duodecimo sic potest argui. Deus mouetur ad producendas has creaturas præ aliis, quia antequàm decernat eas producere, videt in his bonitatem veram, quam non videt in illis, seu absolutam, seu respectiuam, eámque aut conuenientiæ ad subiectum, aut vtilitatis ad finem; sed hanc veram differentiam, inæqualitatémque bonitatis, quam independenter ab existentiâ absolutâ creaturæ habent, non habent tanquam a formâ extrinsecâ ab entitate Dei; (quippe, quæ cùm si vna, & eadem, non potest reddere formaliter has creaturas præ illis bonas, aut magis, aut minus bonas, vt est notissimum:) ergo habent intrinsecè, & de suo. Et quidem veram perfectionem, quam Deus vidit in humanitate Christi, antequam eam decerneret, & quâ visâ, ad eam præ aliis decernendam permotus est, non prouenire illi extrinsecè, ab entitate Dei, constat primò: quia & cæteræ omnes humanitates possibiles eamdem perfectionem, quam Christi humanitas ab eadem Dei entitate extrinsecè haberet, cùm omnium eadem ratio sit, vt constat; nihilque veræ perfectionis vidisset Deus in humanitate Christi præ aliis, quo ad eam præ illis eligendam permoueretur, vt supponitur. Secundò, quia eadem est perfectio, quam Christi humanitas habet existens, & quam Deus ante existentiam præuidit, præuisamque decreuit, vt constat, sed illa adæquatè est distincta à Deo vt etiam constat: ergo & hæc. Vnde præterea colligitur contra Aduersarios, possibilitatem rerum ad earum bonitatem pertinentem intrinsecè; (non enim essent verè bonæ, nisi essent possibiles) adæquatè quoque distinctam esse ab entitate Dei, cum ipsisque rebus adæquatè identificatam, sicut & ipsa bonitas.

35 Decimo tertio. Hæc veritas: *Deus existit*, longè magis necessaria est, quàm hæc. *Petrus est homo*, vt *infra disp.* 11. ostendemus: Igitur non sunt eadem obiectiua veritas, prout Aduersarij censent.

36 Decimo quarto status quiditatiuus Dei diuersus est ab existentiali, ad eumque præuius saltem comparatione nostri intellectus, multasque diuinas veritates ad illū spectātes verissimè nos iudicamus cū præcisione ab absolutâ Dei existētiaOb id enim hęc veritas, quæ de illarum numero est: *Deus est Deus*, longè euidentior est nobis, quàm hæc: *Deus existit*; Et tamē vt verè huiusmodi veritates sint iudicabiles antecedenter ad existentiam absolutam Dei, non requiritur alterius Dei existentia, à quâ illæ tanquam à formâ verè reddantur: igitur nec veritates quiditatiuæ rerum distinctarum à Deo titulo antecedentiæ, & independentiæ, quam habent ab existentiâ absolutâ earum, nequirent existentiam Dei absolutam, vt per illam tanquam per formam extrinsecè veræ reddantur, vt putant Aduersarij.

37 Decimò quintò. Nulla propositio cernitur, imò improportio potiùs apparet inter necessitatem, & veritatem intrinsecam, quam habet entitas Dei prout existens, & cæteras res à Deo distinctas, vt hæ ab illâ tanquam à formâ extrinsecâ suas veritates quiditatiuas, & necessarias formaliter sortiantur. Siquidem entitas diuina tum vera, tum necessaria est in existendo: aliæ autem res per veritates, quas habent quiditatiuas, & necessarias nec veræ sunt, nec necessariæ in existendo; sed præcisè in essendo id, quod de suo sunt independenter ab existentiâ. Igitur absque fundamento, imò contra rationem asseritur ab Aduersariis, Deum ipsissimam necessitatem, & veritatem esse, à quâ cætera cuncta necessariò vera euadunt quiditatiuis veritatibus.

Postremò, ne prolixus videar, inde propositionem probo: quia status rerum, de quibus impræsentiarum agimus aliud non sunt à modis essendi earum, ratione quorum variæ illis competunt veritates ab intellectu iudicabiles, vt in principio dicebamus: sed nullum modum essendi propriè, & strictè loquendo, res possunt habere per aliud realiter à se distinctum, quia nulla res est id, quod est per aliud à se: Ergo nullus status rerum distinctarum à Deo est cum Deo identificatus. Hæc satis; nam ex iis, quæ in hâc quæstione dicenda supersunt, amplius, & amplius propositio data firmabitur. 38

## *Propositio 2.*

Status conditionatus contingens rerum contingenter futurarum sub conditione realiter distinctus est à scientiâ Dei, quâ vt sic cognoscuntur, vtpotè identificatus realiter cum rebus ipsis. 39

Hæc propositio etiam est contra Recentiores *n.* 7. citatos, quatenus sine duce, minúsque caute fortassè quàm oporteret affirmant, futuritionem conditionatam contingentium, atque adeò veritatem obiectiuam eorum cum scientiâ pariter contingente, & apud nos media, quâ Deus illa cognoscit, identificari realiter. Probanda autem ea venit imprimis argumento speciali, quod pro præcedētę locum non habuit; vtpote subnixum contingentiæ status, & veritatum conditionalium, de quibus modò sermo est. Formo autem illud hoc pacto.

Deus cognoscit hoc obiectum, quod ponimus esse verum. *Si Iudas haberet auxilium A, conuerteretur*, per scientiam, quâ potuit carere, & habere oppositam: quia obiectum hoc potuit esse falsum, & verum eius contradictorium. Ergo per aliquid debuit determinari intellectus diuinus ad cōcipiendum hunc actum scientiæ, potiùs quàm oppositum. Est certum. At tale determinatiuum neque extra Deum, neque intra Deum est assignabile, iuxta aduersam sententiam: igitur ea nequit non esse falsa. Non extra Deum, vt confitentur Aduersarij: quia prædictum obiectum, quod solùm poset assignari, apud eos nullam veritatem obiectiuam, nullumque esse obiectiuum habet, sed prorsus est nihil antecedenter ad scientiam sui, ad eāmque subinde nullatenus determinare valet. Non intra Deum: quia cuncta necessaria Dei indifferentia sunt ad actum scientiæ, de quo agimus, & ad oppositum. Decretum autem liberum nullum est, quod possit ad talem actum determinare, vt Aduersarij ipsi contra Thomistas cum omnibus nostratibus statuunt. Ipse autem actus scientiæ ad se ipsum determinare nequit. Ergo. Dicunt, determinare ad actum scientiæ formalitatem cuiusdam habitudinis ad obiectum ab ipso actu omninò indistinctam realiter, distinctam tamen per nostram rationem. Verum, cùm sermo sit de determinatione reali independente omnino à nostro modo concipiendi, hoc ipsum est, actum scientiæ ad se 40

ipsum

ipsum determinare, vt patet. Præterquam quod cùm illa formalitas habitudinis sit etiam Deo contingens, ab omnique decreto independens circa eius determinatiuum reuertitur eadem quæstio. Quare in hoc minime hærendum est.

41 Esse autem impossibile, quod actus scientiæ, aut quidpiam cum illo omnino identificatum realiter ad actum ipsum, siue ad eius existentiam per se ipsum determinet; inde profecto constat: quia determinare existentiam rei contingentem influxum aliquod præ se fert in talem existentiam, nihil autem per se ipsum in sui existentiam potest influere, aliàs se ipsum posset causare, quoad primum sui esse, quod est absurdum, contra *propos. 22.* statutam *disput. 9. quæst. 5.* Dico *per se ipsum*: quia media cognitione sui, aut amore, nihil vetat concurrere quidpiam ad suam primam existentiam. Dices, actus liberos voluntatis per se ipsos ad se ipsos determinare. Siquidem, cùm quæritur, cur voluntas elicit volitionem, respondetur: *quia vult*. Cæterùm per τὸ, *quia vult*, non redditur pro causa determinante volitionem ipsa volitio; sed vis electiua, siue dominium, quod voluntas habet in actu primo, titulo potentiæ liberæ ad eligendam volitionem præ oppositio, atque adeo ad determinandam eius existentiam præ oppositio. Quidquid autem sit de modo loquendi, id apud omnes certum est, intellectum diuinum non esse potentiam liberam respectu suorum actuum: igitur certum quoque esse debet, intellectum diuinum non ita posse determinari ad actum scientiæ, de quo agimus, vt determinatur voluntas ad suos actus liberos; siue ea dicatur, vt à quibusdam solet, per actus ipsos determinari; siue potiùs, vt ab omnibus debet, à se ipsa determinari ad habendos actus, eorumdemque subinde actuum existentiam determinare. Potentia enim libera eo ipso, quod proprio nutu, spontéque sua se potest flectere in vtramuis partem contradictionis, dum hanc præ oppositia de facto eligit, ad hanc se ipsam determinare dicitur propriè, quod ipsum est huius, præ alterius, existentiam determinare.

42 Imò hinc contra Aduersarios arguitur ab absurdo. Apud eos enim intellectus diuinus à nullo alio determinatus præterquam à se ipso, concipit hanc scientiam præ oppositia. Ergo respectu talis scientiæ potentia est libera; aliundeque est certum apud omnes, respectu nullius scientiæ esse potentiam liberam. Quod est contradictio. Dicunt non esse potentiam liberam, etsi sit indifferens ad vtrumuis ex extremis oppositis. Primò: quia etiam habitus charitas est indifferens ad vtrumuis, & tamen non est potentia libera. Secundò: quia de ratione potentiæ liberæ est, quòd præcognoscat extrema ad quæ est indifferens, ducaturque ad eligendum vnum præ alio propter conuenientiam cognitam in eo præ alio, quod in intellectu diuino non reperitur. Sed malè. Primò: quia habitus charitatis non est à se ipso determinabilis, ad alterutrum ex extremis oppositis, sicuti ponitur esse intellectus diuinus, sed à nutu voluntatis liberæ, cui subditus est; vnde exemplum non est ad rem. Secundò: quia certum, ni fallor, est apud omnes, potentiam ita indifferentem ad vtrumuis, vt possit se ipsam ad alterutrum determinare, quin ab alio quopiam determinetur, non posse non liberam esse. An verò ad huiusmodi spontaneam determinationem, in qua communi persuasione consistit libertas, sit requisitum, quòd talis potentia ducatur præ cognitione conuenientiæ, ac disconuenientiæ extremorum, sublite est. Sunt enim, qui id negant, vt videre est in Arriag. *disp. 8. de anim. sect. 1. & 2.* Quare dicendum haud dubiè est, sequi ex Aduersoriorum sententia, aut intellectum diuinum simpliciter esse potentiam liberam, aut esse potentiam chymericam, vtpotè habentem id, in quo consistit libertas, sine requisito ad libertatem.

Ampliùs. Ægrè, imò ne ægre quidem intelligibile videtur, quòd aliquid contingenter existat in rerum natura, & tamen à nulla libertate aut diuina, aut creata ducat originem. Sed scientia Dei, de qua tractamus, ita existit contingenter in rerum natura, vt potuerit non existere; & tamen iuxta Aduersarios neque à libertate creata venit oriunda: quia putant libertatem creatam ante absolutam sui existentiam, penitus esse nihil neque à libertate diuina: quia supponunt cum nostra schola contra Thomistas, talem scientiam nullatenus esse liberam Deo, vt potè nullum decretum Dei liberum supponentem. Igitur Aduersariorum sententia aut ægrè, aut ne ægrè quidem intelligibilis est. Dicunt. Contingens nullo modo trahens originem à libertate creata, qualem supponunt dictam scientiam, tunc solùm exigere nasci à libertate diuina, quando addit perfectionem aliquam cumulo rerum, qualem non addunt actus interni Dei contingentes, vtpote, qui non alia perfectione quam necessaria Dei cum ipso Deo identificata potiuntur; in quo à creaturis contingentibus discriminantur, quæ propriam, contingentemque perfectionem habent: ob idque minime existere possunt independenter à dominio voluntatis diuinæ. Egregium effugium ex occasione dumtaxat, vt videtur, quæsitum? Quid interest addere, vel non addere perfectionem cumulo rerum id, quod verissime est aliquid existens contingenter à parte rei, vt necessario subdi debeat, vel secus dominio libertatis diuinæ? Numquid Deus minus est Dominus verorum, quàm bonorum, vt queat impunè verum contingens eius dominium subterfugere, contingens autem bonum non item? Aut cur, cum æque exposcat vtrumque non existere à se (siquidem nihil contingens potest existere à se ipso) alterum à dominio alieno, seu diuino, seu creato existere exposcat, alterum autem minime? Certè quæcumque principio distincto egent, à quo habeant contingenter existere, dominio quoque distincto æquè egere dicenda sunt, à quo eorum existentia præ oppositia determinetur. Quare, si scientia, de qua agimus, esto non addat perfectionem cumulo rerum, citra omne dominium libertatis diuinæ, & creatæ ab intellectu Dei re verâ potest contingenter existere; non video, cur plures creaturæ, quantumuis perfectionem addant cumulo rerum, pariter ab omnipotentia contingenter possint existere, citra omne dominium libertatis diuinæ, & creatæ. 43

Dicent fortasse, ea solùm contingentia subdi dominio libero Dei, quæ vt talia, à voluntate diuina, in qua tale dominium stat, sunt efficaciter amabilia; talia autem ea dumtaxat esse, quæ perfectionem contingentem addunt cumulo rerum. Cæterùm, etsi assumptum sit verum, adhuc scientia contingens, de qua tractamus, obiectum ideoneum esse posset amoris efficacis Dei: quia licet bonitatem entitatiuam, & absolutam sibi propriam, atque adeo contingentem non habeat, vel habet respectiuam vtilitatis ad varios fines, quæ ad terminandum dictum amorem sufficiens est; vel estò hac itidem careat, adhuc semel bona per solam bonitatem Dei necessariam, obiectum idoneum esse 44

posset

posset talis amoris: quoniam vt complexum aliquo efficaciter sit amabile, sat est, quod illud bonum sit, & sumptum indiuisim contingens; tametsi non omnes eius partes seorsim sumptæ sint contingentes. Nullus igitur apparet titulus, quominus prædicta scientia non efflagitet necessariò nasci à libertate diuina, casu, quòd à libertate creata non possit originem trahere, vt Aduersarij putant.

45 Qui quidem in solutionibus datis difficultati propositæ non quiescentes, eo tandem perducti sunt, vt fateantur, obiectum scientiæ mediæ logicè quidem, non verò aliter determinare intellectum Dei ad talem scientiam concipiendam, ad eamque subinde præcedere prioritate quadam rationis, non verò vlla prioritate reali, quod multis satagunt explicare; sed, quæ ego non video, quomodò cum sententia sua cohæreant. Persistunt namque in asserendo consentienter ad sua principia obiectum scientiæ mediæ nullum *esse*, nullâque; subinde veritatem obiectiuam habere in se antecedenter ad talem scientiam, siue independenter ab illa; sed totam suam veritatem obiectiuã ab ipsa, tanquam à forma extrinseca mutuare. Quo posito, vereor ne eiusmodi determinatio logica dicti obiecti verbalis tantùm sit, captaque ad obtegendam aliquo modo dissonantiam eorum, quæ ex tali assertione, sententiaque inferenda veniunt. Si enim obiectum scientiæ mediæ nullum *esse*, nullamque veritatem obiectiuam habet in se, atque adeo prorsus est in se nihil, independenter à tali scientia, quonam aut logice, aut alter potest ad existentiam eius determinare? Siquidem merum nihil ad nihil vllo modo valet concurrere, seu conducere, vt est notissimum. Dicere namque, vt dicunt ex vi infinita intelligendi, quam habet intellectus diuinus, & ex prædicto obiecto per bonam consequentiam inferri, dari in Deo scientiam eius, & in hoc consistere determinationem logicam, qua obiectum determinat ad scientiam; perinde est, supposita dicta assertione, sententiaque ac dicere, ex sola vi intellectiua intellectus diuini per bonam consequentiam inferri, dari in Deo scientiam talis obiecti; atque adeo solum intellectum diuinum se ipsum ad eius scientiam determinare, (reciditurque in id ipsum, quod tentabatur vitari, vel occultari.) Siquidem, quod intellectus diuinus præstat nihilo comitatus, per se solùm præstat, vt est notissimum: obiectum autem prædictum, iuxta prædictam assertionem, atque sententiam, nihil est prorsus in signo antecedente ad scientiam. Sed his omissis, vrgentes ab aliis lateribus Aduersarios argumentis aliis ostendamus propositionem.

46 Sit igitur ordine secundum. Nulla res potest reddi obiectiuè vera per aliquid à se distinctum realiter, sed per se necessariò est talis, quæcumque obiectiuè vera est, vt efficacitèr, vniuersaliterque probauimus *suprà n.* 12. Ergo neque conuersio Iudæ vt futura sub conditione auxilij A, per aliquid à se distinctum realiter potest reddi obiectiuè vera. Ergo veritas huius obiecti conueniens conuersioni Iudæ: *Si Iudas haberet auxilium A conuerteretur*, non potest esse identificata cum scientia Dei de tali obiecto, quæ realiter à conuersione Iudæ distincta est. Vtraque consequentia est euidens: antecedens autem est probatum *loco citato*. Hinc, vt arguebam vniuersalius *n.* 14.

47 Arguo in præsenti tertiò ab absurdo. Nullum conditionatum contingens est obiectiuè verum intrinsecè, vt statuunt aduersarij. Sed iuxta argumentum præcedens nec potest reddi obiectiuè verum extrinsecè per scientiam conditionatam Dei. Ergo simpliciter nullum est obiectiuè verum. Sed solùm obiectiuè vera cognoscibilia à Deo sunt. Ergo stante Aduersariorũ sententia, nullũ conditionatum contingens à Deo cognoscibile est. Quod est absurdum. Hoc argumentum eamdem vim habet contra Thomistas opinantes, huiusmodi contingentia conditionata dumtaxat esse obiectiuè vera à decreto extrinseco Dei.

Quartò, iuxta doctrinam vniuersalem suprà data *n.* 15. *& seqq.* ita arguo. Iudicare Deum, esse hoc obiectum verum: *si Iudas haberet auxilium A conuerteretur*, aliud non est, iuxta Aduersariorum doctrinam, quàm iudicare Deum, existere veritatem obiectiuam conuersionis conditionatæ Iudæ, realiter à sua scientia indistinctam, nullatenus iudicata, sed summum apprehensa simpliciter ipsa conuersione conditionata Iudæ. Igitur Deus rursus nullum contingens conditionatum iudicat; sed tantùm scientiam absolutè existentem, quam de illo ab Aduersariis habere dicitur. imò ne hanc quidem iudicat; siquidem de obiecto non iudicabili à se distincto impertinenter esset in Deo scientia contingens sui ipsius tantùm iudicatiua. Hoc argumentum etiam facit contra Thomistas commemoratos, cuius vim vt percalleas, lege ad rem dicta *loco citato*. 48

Quintò arguitur. Aut Deus iudicat conditionatum contingens, vt condistinctum à sua scientia de illo, aut non, sed scientiam ipsam solam? Si non: sequitur primò, nullum conditionatum contingens à Deo sciri; quod quàm sit absurdum iam diximus. Secundò sequitur, Deum falli: quia iudicat se habere scientiam de obiecto conditionato, atque adeò se iudicare illud cùm verè non iudicet. Si autem Deus præter scientiam iudicat conditionatum contingens, vt condistinctum ab ipsa scientia. Sequitur iterum, Deum falli: quia conditionatum contingens terminans semel sui cognitionem, vt condistinctum à scientia, non potest non esse aliquid obiectiuè in mente illud cognoscentis, vt condistinctum à scientia; (omne enim cognitum aliquod esse obiectiuum habet in mente illud cognoscentis, aut non erit cognitum, vt ponitur) at in se ipso, vt condistinctum à scientia iuxta aduersarios penitus nihil est: igitur aliter se habet in mente cognoscentis, quàm se habet in se. Quod ipsum est cognoscentem falli, quando cognitio iudicatiua est, vt supponimus. 49

Sextò arguitur consentaneè ad doctrinam data *numer.* 19. *& seqq.* Hæc duo obiecta: *Si Iudas haberet auxilium A conuerteretur. Si Iudas haberet auxilium A non conuerteretur*; vel sunt contradictoriè opposita independenter à scientia sui, vel non? Si sunt: ergo independenter à scientia sui, atque adeò intrinsecè alterum verum, & alterum falsum est, quo corruit aduersa sententia; siquidem oppositio obiectorum sibi contradicentium in eo stat, quòd alterum verum sit, & alterum falsum. Si non sunt. Ergo inuariatis intrinsecè obiectis sibi contradicentibus, alterutrius sine differentia potuit Deus scientiam concipere; quod est mirabile. Cur igitur affirmatiui potiùs, quàm negatiui scientiam concepit de facto? Quin imò amborum simul potuit concipere scientiam: quod est absurdum: quia obiecta aliàs inter se non opposita simul sciri possunt, nec scientiæ eorum erunt oppositæ, cùm scientiæ solum opponantur penes obiectorum oppositionem. Tum etiam amborum simul potuit scientia carere, quod 50

æquè absurdum est : quia intellectus Dei necunde potest necessitari ad concipiendam scientiam obiecti præterquam à veritate ipsius obiecti, neutrum autem obiectorum sibi contradicentium, iuxta Aduersarios, est verum antecedenter ad scientiam sui, vnde patet ex eorum sententiâ sequi vtrumque, aut simul verum, aut simul non verum posse esse ; Quo quid absurdius? si dicant, intellectum diuinum suapte naturâ necessitatum esse ad cognoscendum alterutrum extremum contradictionis sine altero, sicque suâ cognitione faciendum, vt alterum verum, & alterum non verum sit indispensabiliter: Absque idoneo fundamento loquentur difficultate pressi. Nullum enim adest ad dicendum extra casum controuersiæ præsentis, intellectum diuinum aliunde, quàm à veritate obiectorum, ad quidpiam a se distinctum cognoscendum necessitatum esse; Eius quippe non est facere per se quæ cognoscat; sed cognoscere aliunde facta, vt est notissimum.

51 Septimò arguitur. Sequitur ex sententiâ oppositâ omnia conditionata contingentia, quæ Deus non cognoscit, & potuit cognoscere, proprie ab illo ignorari modò. Quod est absurdum : quia id dicitur propriè ignorari, quod ita non cognoscitur, vt sola eius cognitio desideretur, nihilo penitus ex parte obiecti deficiente, quominùs proximè illud cognosci possit ; sed sola cognitio eorum conditionatorum contingentium, quæ Deus non cognoscit, desideratur, vt ea cognoscat, illaque sola absque omni alio posita, vt proximè potuit poni, cognoscerentur. Ergo.

52 Octauò arguitur. Certum est, multa contingentia conditionata, esse moraliter necessaria, multa verò non item. Sumo ergo vnum moraliter necessarium, sitque *A* ; & arguo sic. Intellectus Dei est necessitatus moraliter ad cognoscendum *A* : quia, quâ necessitate obiectum est verum, eadem tenetur intellectus Dei illud cognoscere, vt constat ; sed non est necessitatus per obiectum, vt præcisum à scientiâ: quia vt sic, iuxta Aduersarios est penitùs nihil ; neque est necessitatus per ipsam scientiam, quia potentia nullomodo necessitari potest ad actum per ipsum actum, vt est notum. Neque est necessitatus per se ipsum quia per se solum est necessitatus ad cognoscenda omnia vera, ex suppositione quòd sint vera, absolutè autem penes necessitatem, quam habent, aut non habent obiecta essendi vera, euadit ille necessitatus, aut non necessitatus ad cognoscendum illa. Igitur intellectus Dei necessitatus est moraliter ad cognoscendum *A*, quin sit per quod necessitetur, quod est contradictio.

53 Nonò arguitur. Ideò contingentia conditionata cognoscuntur à Deo, quia verè sunt futura sub conditione ; non verò è conuerso; ideò sunt verè futura sub conditione, quia cognoscuntur à Deo, vt vniformiter sentiunt, cõstantérque pronunciant Theologi, & Patres. At in sententiâ aduersariorum oppositum euenit. Ergo est falsa. Sensus autem in quem illi prædictam causalem detorquent, à communi omnium consensu prorsùs alienus est.

54 Decimò: per argumentum octauum positum *suprà n.26.* reductum ad præsentem materiam efficaciter probari potest, sequi ex Aduersariorum sententiâ, conuersionem Iudæ e. g. futuram sub conditione auxilij *A*, non solùm quoad veritatem sui obiectiuam, sed quoad totum suum verum esse realiter esse identificatam cum scientiâ diuinâ. Quod patet esse absurdum. Vnde rursus efficitur. Peccatum sub conditione futurum cum totâ suâ malitiâ, realiter esse indistinctum à scientiâ Dei, & consequenter ab ipso Deo. Quod peius est absurdum. Et quidem Recentiores, cum quibus agimus expressè dicunt, & sæpè repetunt, futuritionem conditionatam, aut conuersionis, aut peccati, aut cuiusuis alterius rei sub conditione futuræ cum scientiâ Dei esse identificatam realiter ; addunt tamen non esse idem futuritionem conditionatam rei cum ipsâ re conditionatâ futurâ; sed malè : quia futurio conditionata rei aliud non est conceptione omnium, quàm existentia conditionata rei: Idem namque sonat, fore conuersionem Iudæ, si daretur auxilium *A*, atque extituram, si daretur. Sed existentia conditionata rei non est distincta ab ipsâ re, sicut nec existentia absoluta, vt dicti Recentiores nobiscum contra Thomistas tenent. Igitur nec futuritio conditionata rei distincta est ab ipsâ re. Dum ergo hanc indistinctam ponunt à scientiâ diuinâ, tacito quodam impulsu consequentiæ doctrinæ, tametsi præter intentionem in absurdum modò illatum videntur inducti.

Vndecimò. Ex duobus conditionatis contingentibus contradictoriis, alterum necessariò esset verum, etiam si per impossibile Deus neutrius scientiam haberet: quia defectus scientiæ diuiniæ per locum intrinsecum, iuxta communem Theologorum consensum, veritatem obiectorum non tollit; aliundeque ex extremis contradictoriis non potest non alterutrum verum esse. Igitur veritas alterutrius ex contradictoriis conditionatis contingentibus non est modò idem realiter cum scientiâ, quam Deus habet de illo. 55

Duodecimò. Oppositio contradictoria diuersa est ab oppositione contrariâ, vt cum Arist. docent communiter omnes Philosophi, atque Theologi, quatenus vnum contradictorium formalis exclusio alterius est : vnum verò contrarium non est formalis exclusio alterius ; sed illam infert. Ergo veritas contradictoriorum conditionalium contingentium non constituitur per scientiam Dei, vt aduersarij dicunt. Probo consequentiam: quia sequeretur esse illa contradictoria, vt supponimus, & non esse contradictoria, sed tantùm contraria. Quod est absurdum Essent enim solùm oppositæ eâ oppositione, quam habent actus scientiæ diuinæ, ab ipsorum veritate indistincti, quæ oppositio contraria est. Dicet fortasse aliquis, huiusmodi vera conditionata, vt constituta per actus scientiæ Dei oppositos esse quidem contraria; sed, quæ contradictoria inferunt, vt cætera quæque contraria. Attamen cum sententiâ, quam impugnamus hoc stare non potest: quia si conditionatum de facto verum inferret, vt veritatem à se distinctam contradictorium formale oppositi, vt gratia e.g. infert contradictorium peccati, iam daretur aliqua conditionata veritas, non constituta per scientiam Dei, nempe illud contradictorium formale illatum; quod prorsus respuit dicta sententia. Fateri autem, vt fatebuntur eius Auctores oppositionem contradictoriam, & contrariam diuersas non esse quia opinantur, negationem vniuscuiusque rei, formalemque eius exclusionem aliud non esse à positiuo eius impedimento, præterquam quod est contra Arist. & alios omnes prorsus est falsum, vt *suprà* ostendimus *disp. 9 quæst. 3.* 56

Decimò tertiò. Omne contingens absolutè existens prius naturâ fuit conditionatè existens, siue conditionatè verum, sub conditione principij, à quo habet absolutè existere. Est certum apud omnes: quia si verum est absolutè, *consensus existit ab auxilio A*, non potuit non esse priùs verum conditionatè, *si exitit* 57

*exiterit auxilium A, existet consensus*: sed de cumulo omnium actuum scientiæ contingentis, quos Deus de facto habet, nullo dempto, verum est absolutè: *existit ab intellectu diuino*: ergo de eodem fuit prius verum conditionatè: *si exiterit intellectus diuinus, existet talis cumulus*: At hoc contingens conditionatum non potest constitui verum per aliquem actum contingentem scientiæ diuinæ, prout existentem absolutè: quia in eo signo, in quo est verum, nullus omnino talis est, cùm sit signum existentiæ conditionatæ omnium, præscindens ab eorumdem omnium existentia absoluta, ad eamque præuius. Ergo per se ipsum, & ab intrinseco est verum. Tantumdem ergo de reliquis omnibus conditionatis contingentibus dicendum erit: quia omnium eadem ratio est. Neque sumat quispiam instantiam contra hoc argumentum ab actu scientiæ, per quem prout absolutè existentem cognoscit Deus in omnium sententia dictum conditionatum. Nam benè stat, actum scientiæ è signo posteriore absolutæ existentiæ, in quo est, respicere vt obiectum, tum alios, tum se ipsum, prout conditionatè existentes in signo anteriori; quin ipse in eo signo anteriori absolutè existat. At verò, quod actus contingens scientiæ non sit priùs conditionatè, quam absolutè existens; sed per ipsam absolutam existentiam constituatur in esse existentis conditionatè: proindeque nihilo prorsus differant status conditionatus, & absolutus eius, prout ab Aduersariis in casu argumenti facti necessario est dicendum, omninò impossibile est. Ne autem prætexant Recentiores, cum quibus agimus, in conditionatis de conditione necessariò purificanda, quale est illud, in quo argumentum factum fundatur, non distingui statum conditionatum ab absoluto, quo totum argumentum cessat. Tametsi prætextus falsus sit; de quo aliàs; quandoquidem conditionatorum contingentium de conditione disparata ipsi scientiam mediam admittunt; statúmque subinde conditionatum præuiumque ad absolutum; sumant loco prædicti conditionati, hoc de conditione disparata non necessariò purificanda: *Si exiterit Petrus, existet in Deo talis cumulus actuum scientiæ*; de quo *ibi*. Quo totus cessabit prætextus, & nostrum argumentum firmum persistet.

58 Decimò quartò. Ideò Aduersarij veritatem futuri contingentis conditionati cum scientia eiusdem faciunt idem: quia vniuersaliter putant, nullum obiectum ita esse verum, vt per scientiam absolutè existentem sit iudicabile, quod non sit absolutè tali scientiæ coëxistens, vel per se ipsum, vel per aliquid secum determinatè connexum, in quo consistat veritas eius. Sed futurum contingens absolutum neque per se ipsum, neque per aliud secum connexum coëxtitit scientiæ visionis sui ab æterno, præterquam per ipsammet scientiam: Ergo veritas itidem futuri contingentis absoluti cum scientia visionis eiusdem ponenda est idem. Quod est plusquam absurdum. Negabunt minorem Aduersarij. Primò: quia putant, futura absoluta physicè esse præsentia æternitati Dei, vt sicque per se ipsa determinare intellectum diuinum ad sui visionem, atque adeò per se in æternitate esse vera. Secundò: quia putant etiam in Deo dari ab æterno decretum efficax determinatum eiusmodi futurorum, non quidem naturâ antecedens, sed comitans eorum existentiam (tale enim ponunt decretum, quo Deus concurrit cum causis liberis) à quo etiam ab æterno sunt vera præscindendo ab eorum præsentia in æternitate. Cæterùm, quàm sit falsum vtrumque à nobis probabitur *suis locis* vnde pro complemento huius argumenti probatio minoris negatæ petenda est.

Decimò quintò. Scientia conditionata Dei, de qua 59
agimus, necessariò est vera, vt constat. Ergo & necessariò connexa cum suo obiecto directo, quod iuxta Aduersarios adæquatè ab illa est distinctum, tametsi ab illa tanquam à forma extrinseca reddatur verum. Sed non est connexa solùm cum tali obiecto, prout habente *esse* in ipsa scientia: quia vt sic etiam scientia falsa cum suo obiecto connexa est, siquidem hoc ipso, quod est repræsentatio eius nequit existere absque eo quod illud habeat *esse* repræsentatum in illa, vt constat. Igitur connexa est cum tali obiecto prout habẽte *esse* in se ipso; atque adeò existere nequit, quin obiectũ tale sit realiter, & intrinsecè in se, quale est repræsentatiuè, siue obiectiuè, in ipsa scientia. Quo ruit sententia Aduersariorum. Vel si talis scientia potest existere absque eo quod obiectum habeat realiter, & intrinsecè in se illud *esse*, quod repræsentatiuè, seu intentionaliter, seu obiectiuè habet in scientia, hoc ipso potest falsa existere, siquidem falsitas scientiæ affirmatiuæ secundum omnes in eo stat, quod obiectium non sit in se sicut affirmatur per scientiam; atque adeò sicut obiectiuè est in ipsa.

Decimo sextò. Deus ad conferendum mihi auxilium efficax præ sufficiente ab ea vera bonitate per 60
scientiam mediam iuxta nostrã scholam præcognita mouetur, ratione cuius mihi illud magis proficuum est, quàm sufficiens, vt constat: sed huiusmodi bonitas à solo consortio consensus, quem secum fert, præscindendo ab omni Dei scientia prouenit tali auxilio; siquidem æquè mihi illud proficuũ esset, etsi Deus nullã de huiusmodi bonitate præscientiam haberet, vt etiam constat. Igitur huiusmodi vera bonitas in statu conditionato, in quo terminat scientiam mediam, nullatenus in sua veritate pendet ab ipsa scientia, tanquam à forma. Alioquin auxilium efficax in statu absoluto, vbi illud ipsa eadem bonitate est mihi bonum, quæ fuit præuisa in conditionato non tam à consortio consensus, quàm à consortio illius præuisionis esset mihi magis proficuum, quàm auxilium sufficiens; quod patet falsum esse; siquidem compertum est solum ad rem mea interesse habere auxilium, quo de facto consentiam: quidquid sit de scientia diuina.

Decimo septimò. Nulla proportio cernitur in- 61
ter scientiam Dei conditionatam, & contingens sub conditione futurum, vt hoc per illam reddatur formaliter verum, vti arguebamus in simili *suprà n.* 37. Non enim apparet, potiùs videtur repugnare, vt veritas absolutè existens verum faciat, quod non absolutè, sed conditionatè tantùm existit: quale enim est verum, talis profecto debet esse eius veritas, & è conuerso. Certè, si per aliquid actu existens in Deo, veritas conditionatorum contingentium esset constituenda, minùs malè quod ad rem attinet, posuissent illam Recentiores in decreto actuali Dei conditionato ex parte obiecti, non antecedente, sed comitante actum sub conditione futurum, ne libertatem læderet, quale ipsi ponunt in statu absoluto decretum, quo Deus concurrit cum causis liberis: hoc namque pacto, nec tam peregrinè opinati essent, nec in difficultates argumento primo propositas circa determinatiuum diuinæ scientiæ cecidissent; tametsi adhuc scientia eorum falsa esset. Ne tamen sic contra omnes nostros è medio tollerent scientiam mediam, in

cogitationem inauditam, & longè magis falsam prolapsi sunt: non animaduertentes, vti deberent, supposito illo suo decreto concurrendi determinanteque actus nostros comitanter, iam Deum ad conferenda sua auxilia efficacia, scientia media non indigere, vt ostendemus *alibi*, dum penitus tale decretum eliminemus. Adde, inconsequenter adscripsisse hos Recentiores veritatem conditionatorum necessariorum entitati necessariæ Dei, & non potius scientiæ necessariæ eorum, adscribentes veritatem conditionatorum contingentium eorum scientiæ.

62 Denique probatur propositio: quia status conditionatorum contingentium, veritasque obiectiua eorum modus quidam essendi eorum est, qui proinde ab illis realiter debet esse indistinctus. Mitto plura: nam ex dicendis amplius roborabitur propositio. Solùm noto ad extremum, pleraque ex argumentis, quæ pro ea adduximus etiam contra Thomistas facere, quatenus ponunt veritatem contingentium conditionatorum in decreto actuali Dei conditionato ex parte obiecti.

## *Propositio* 3.

63 Nec status quiditatiuus absolutus, nec vllus status conditionatus rerum, per aliquam apprehensionem, aut diuinam, aut creatam intrinsecè vlla ratione constitui potest.

Hæc propositio est contra secundam sententiam relatam *numer.* 8. Probatur autem, quod attinet ad primam partem de statu quiditatiuo absoluto. Primò: quia huiusmodi status quiditatiuus rerum nihil est aliud ab illo modo essendi earum, ratione cuius ipsis competunt, de ipsisque subinde sunt enunciabiles veritates quiditatiuæ, ac prorsus necessariæ earum; sed totus hic modus essendi se habet ex parte obiecti cuiusuis cognitionis Dei, & creaturæ, quin cognitio ipsa intret illum: Ergo.

64 Secundò: aut apprehensio siue diuina, siue creata concipiens hoc obiectum: *Petrus est homo* est tota veritas talis obiecti denominans illud verum extrinsecè, vti de scientia conditionatorum contingentium philosophabantur Recentiores reiecti *propos.* 2. aut est pars veritatis eius, aut neutro modo spectat intrinsecè ad eius veritatem. Primùm, impossibile est, vt pleraque argumenta ostendunt propositionis præcedentis. Secundum bifariam potest intelligi: vel quod sit pars veritatis extrinsecè denominantis obiectum, aut aliquid eius verum, alias in se non verum intrinsecè; & hoc pariter per eadem argumenta est iam reprobatum, vt patet: vel, quòd sit pars veritatis obiecti intrinsecè quoad omnes suas partes veri, quatenus est pars ipsius obiecti, & hoc falsum est, vt per se apparet. Compertum enim est, apprehensionem huius obiecti: *Petrus est homo*, ipsum obiectum non intrare, sed tantùm extrinsecè denominare illud apprehensum, seu cognitum. Si denique dicatur tertium, ad veritatem scilicet talis obiecti intrinsecè non spectare dictam apprehensionem, hoc ipsum est, quod intendimus. Nam non constitui talis obiecti veritatem per talem apprehensionem, & non constitui per talem apprehensionem statum quiditatiuum talis obiecti in idem recidit; siquidem statum quiditatiuum rerum vocamus illum, ad quem earum obiectiuæ veritates quiditatiuæ, & necessariæ pertinere dicuntur, quique proinde aliud non est ab huiusmodi veritatibus.

Tertiò. Petrus non est homo, ex eo quod talis à Deo, aut à creatura concipitur; sed potiùs talis à Deo, & à creatura concipitur, ex eo quod talis de suo est. Vnde priùs aliquo modo est, Petrum hominem, quàm à Deo, aut à creatura concipi talem: igitur id, vnde habet tale esse, quod est status quiditatiuus eius, independens est à cognitione tam increatâ, quàm creatâ, per illámque proinde intrinsecè non constituitur. 65

Quartò. Petrus per sui apprehensionem tantùm acquirit esse apprehensum, siue cognitum; atque adeo (quod in idem recidit) obiectiuè, seu intentionaliter, metaphysicéque subinde existere in mente illum concipientis, quod totum ipsi accessorium, & extrinsecum est. At esse hominem, ipsi est intrinsecum, & necessarium. Ergo in hoc, quod est, esse verè hominem per sui apprehensionem extrinsecam constitui non potest. Quod ipsum est, non posse constitui per illam statum quiditatiuum eius. Itaque non negamus, res omnes per sui cognitionem statum quemdam intentionalem, seu obiectiuum sortiri, in quo quemdam essendi modum intentionalem dici possunt habere, quatenus in mente eas cognoscentis dicuntur existere, ibique subinde esse id, quod prout ibi existentes sunt. Dicimus tamen, hunc non esse statum earum quiditatiuum, quia totus iste modus intentionaliter essendi accidentalis illis, siue accessorius, non verò quiditatiuus est. Quo autem iure status quiditatiuus, status etiam obiectiuus speciatim dicatur, *inferius proposit.* 5. videbimus. 66

Quintò. Petrus prout est obiectiuè in mente illum concipientis, siue prout est ibi existens intentionaliter, non est essentialiter, & necessariò homo; sed accidentaliter tantùm, aut etiam contingenter, quemadmodum, & prout existens realiter in rerum natura. Quoniam hoc ipso, quod existentia, tum intentionalis in mente concipientis, tum realis in rerum natura conueniunt Petro accidentaliter, aut etiam contingenter; quidquid ei quoquo modo conuenit prout existenti aut intentionaliter, aut realiter, non potest non conuenire illi accidentaliter pariter, vt constat, aut etiam contingenter. Sed Petro prout in statu quiditatiuo non conuenit esse hominem accidentaliter, aut contingenter, sed prorsus essentialiter, & necessariò, vt est notissimum. Igitur status quiditatiuus Petri non est, quem habet prout cognitus in mente illum concipientis, proindeque nec cognitione eius potest constitui; sed, quem in se, prout in se habet, in quantum est id, quod de suo ante sui cognitionem est. 67

Sextò. Si status quiditatiuus Petri esset, quem habet prout cognitus in mente cognoscentis, cognitioneque proinde constitueretur; de Petro prout in statu quiditatiuo verificarentur propositiones accidentales, & contingentes, vt *Petrus est albus: Petrus loquitur*; quia hoc ipso, quod quis concipiat Petrum aut album, aut loquentem, verum est accidentaliter, aut etiam contingenter de Petro, prout sic concepto, esse album, aut loqui. Hoc tamen planè absurdum est: quia de Petro prout in statu quiditatiuo solæ propositiones quiditatiuæ, & necessariæ verificari possunt, vt constat ex dictis *suprà n.* 6. 68

Iam secunda pars propositionis, de quouis statu conditionato pariter comprobatur. Primò: quia 69

status

status conditionatus rerum ille est, ratione cuius veritates obiectiuæ conditionatæ conueniunt illis: huiusmodi autem veritates ex parte ipsarum rerum se habent, quin ipsas intrent cognitiones, sicut & cæteræ omnes veritates de rebus ipsis enunciabiles, & iudicabiles.

70 Secundò: quia veritas obiecti conditionati, non potest ei aduenire extrinsecè ab aliqua sui cognitione, neque totaliter, neque partialiter, vt satis probant, quæ dicta sunt *propos. 1. & 2.* Tum cognitio non est pars intrinseca obiecti conditionati per eam cogniti, prout paulò ante dicebamus de cognitione obiecti quiditatiui; cum tantum sit veluti forma extrinsece denominans illud cognitum; quemadmodum voces significantes obiecta ista non intrant ipsa obiecta; sed extrinsecè denominant illa significata.

71 Tertiò. Futurum conditionatum non constituitur per iudicium, quo iudicatur tale, vt satis constat ex superioribus; sed neque apprehensio simplex constituens hypothesim, siue supponens conditionem, sub quâ illud iudicatur futurum ad eius intrinsecam constitutionem pertinet, prout fert sententia, quam refutamus modò, Ergo. Probo minorem. Quia futurum conditionatum neque est futurum, neque verum conditionatè sub conditione prout apprehensâ, siue prout positâ in hypothesi per ipsam apprehensionem, sed prout ex parte rerum se habente, qua ratione talis futuri conditio est. Igitur talis apprehensio ne ex parte quidem conditionis intrat obiectum conditionatum; tametsi ex parte intellectus sit requisita, vt sub conditione per illam apprehensa, & suppositâ ab intellectu ipso iudicetur futurum. Itaque cum iudicat intellectus: *Si Iudas haberet auxilium A conuerteretur.* Quod iudicat est futuram conuersionem Iudæ sub conditione, quòd re ipsâ ipsi daretur, existeretque auxilium *A*; non sub conditione, quòd tale auxilium per sui apprehensionem supponatur existens, & datum; Hoc enim esset iudicare futuram conuersionem Iudæ, non sub conditione auxilij *A*; sed sub conditione apprehensionis eius, seu (quod idem est) non sub conditione existentiæ physicæ, sed sub conditione existentiæ intentionalis auxilij *A*, quæ sunt diuersæ conditiones. Igitur ad prædictum obiectum nullatenus spectat intrinsecè apprehensio faciens hypothesim, supponensque, vt conditionem, sub quâ futura iudicatur conuersio Iudæ, physicam existentiam auxilij *A*; sed tantùm ipsa existentia auxilij *A*, per modum conditionis, & ipsa realis futuritio conuersionis Iudæ per modum conditionati, prout ampliùs *infrà* declarabimus; tametsi ex parte intellectus ad iudicandum conditionatum, necessarium omnino sit apprehendere conditionem per apprehensionem, quæ suâpte naturâ ex peculiari modo tendendi suppositiuâ eius sit, siue factiua hypothesis.

72 Quartò. Nulla harum vocum: *Si Iudas haberet auxilium A conuerteretur*, pertinet intrinsecè ad obiectum significatum per illas, tametsi per vnamquamque aliquid constituens intrinsecè tale obiectum significetur; vt est notissimum. Igitur tantumdem dicendum est de cognitionibus iis vocibus in intellectu correspondentibus.

73 Quintò. Qui iudicat, fore, vt Iudas conuerteretur, si haberet auxilium *A*, nullatenus cognoscit reflexè apprehensionem, per quam facit hypothesim, vt experientiâ constat; sed tantùm conuersionem ipsam, vt subest conditionatè ipsi auxilio. Igitur talis apprehensio non se habet ex parte obiecti, licet ex parte intellectus ad tale iudicium requiratur.

Sextò. Non ideò est verum obiectiuè, fore conuersionem Iudæ, si haberet auxilium *A*: quia ponitur ab aliquo intellectu in hypothesi, supponitur re tale auxilium existere; sed quia in casu realis existentiæ talis auxilij, vel se Iudas determinaret ad talem conuersionem. Igitur apprehensio ponens in hypothesi, supponensve, tale auxilium existere, ad veritatem obiectiuam talis obiecti non spectat intrinsecè; sed aliunde tota illa integrè constat, tum per dictam apprehensionem, tum per iudicium, cui ea annectitur; cognoscenda. Ex quibus omnibus apparet, neque statum quiditatiuum absolutum, neque vllum conditionatum rerum per vllam apprehensionem aut diuinam, aut creatam constitui intrinsecè. vt propositio nostra fert; & consequenter, neque veritates obiectiuas ad tales status pertinentes. 74

## *Propositio 4.*

Status quiditatiuus absolutus rerum ab omni earumdem statu conditionato diuersus est, tametsi aliquem eorum ferat secum annexum. 75

Hæc propositio contra tertiam sententiam est relatam *n. 9.* Probatur autem quoad primam eius partem. Primò: quia passim iudicamus, atque enunciamus verè de rebus, iudiciis, atque enũciationibus absolutis, quæ independenter ab omni earum existentiâ tam conditionatâ, quàm absolutâ, huiusque penitus immemores eis deprehendimus conuenire quiditatiuè, & necessario, vt cùm dicimus: *Homo est animal rationale*: *Homo est risibilis*: *Actio connectitur cum suo termino*: *Triangulus habet tres angulos æquales duobus rectis*; & cætera huiusmodi. Igitur res statum quiditatiuum absolutum diuersum ab omni conditionato habent, ratione cuius dictæ veritates absolutæ conueniunt illis.

Secundò: quia nemo hactenus dixit, omnes propositiones veras de materiâ necessariâ, quales prædictæ sunt, & similes, conditionatas esse. Pleræque enim sunt absolutæ, vt experientia monstrat: Igitur veritates obiectiuæ necessariæ (independentésque subinde ab existentiâ in rebus creatis) huiusmodi propositionibus correspondentes etiam sunt absolutæ, absolutéque conueniunt rebus, quibus per tales propositiones attribuuntur. Omnis quippe propositio pœnes veritatem obiectiuam conditionatam, vel absolutam, quam enunciat, habet esse conditionatam, vel absolutam. Igitur res statum quiditatiuum absolutum ab omni conditionato diuersum habent, in quo prædictæ veritates illis dicuntur conuenire, quique re ipsâ nihil est aliud, quàm veritates ipsæ. 76

Tertiò. Scientiæ humanæ maiori ex parte agunt de rebus prout in statu quiditatiuo. Contemplantur enim rerum essentias, & proprietates secundum se cum præcisione ab existentiâ; & tamen ferè semper procedunt per propositiones absolutas, per demonstrationesque, & discursus ex absolutis propositionibus coalescentes, vt cernere est in Metaphysicâ, Geometriâ, Arithmeticâ, Mechanicâ, Logicâ, & similibus. Principia etiã harum scientiarum veritates absolutæ sunt vt implurimùm. Propterea nemo hucusque putauit nullam veritatem absolutam sciri per huiusmodi scientias; sed omnes, quæ per eas sciuntur conditionatas esse. Igitur datur status quiditatiuus, & absolutus rerum ab omni conditionato diuersus, ad quem omnes hæ veritates, quæ obiecta sunt talium scientiarum pertinent. 77

78 Quartò denique à priori. Quia vnaquæque res secundum se considerata cum præcisione ab existentia de suo habet, siue ex conceptu suo obiectiuo esse absolutè talem, vel talem, prout explicabimus *proposit.* 5. Hoc autem ipsum est, esse eam talem, vel talem, prout in statu quiditatiuo absoluto; vt constat ex dictis, & ampliùs ex dicendis constabit.

79 Quod autem status quiditatiuus aliquem statum conditionatum, nempe existentialem necessarium ferat secum annexum, quæ est altera pars propositionis; est clarum: quia hoc ipso, quod vnaquæque res de suo, siue ex conceptu suo sit absolutè talis, vel talis, nequit non esse etiam talis, vel talis in statu existentiali ex hypothesi, quòd existat: itaque eo ipso, quòd hæc propositio absoluta *Petrus est homo*, in sensu quiditatiuo, & necessariovera est, non non potest non esse etiam vera hæc conditionalis: *si extiterit Petrus, existet homo*; siue: *si extiterit Petrus existentialiter erit homo*, & in cæteris pariter.

## *Propositio* 5.

80 Omnis status quiditatiuus rerum in veritatibus obiectiuis quiditatiuis ipsarum rerum ab eisdem rebus indistinctis consistit. Similiterque omnis status existentialis in veritatibus obiectiuis existentialibus. Nullusque proinde horum statuum à rebus, quibus illi conueniunt, entitatiuè distinctus est. Cum quo nihilominus stat inter se eos diuersos esse, sicut & veritates obiectiuæ, in quibus illi consistunt diuersæ sunt.

Hæc propositio, suppositis præcedentibus non tam indiget probatione, quàm explicatione. Est autem quoad priorem partem expressa in Doctoribus citatis *suprà n.* 10. pro quarta sententia. Quoad posteriorem etiam existimo esse de mente omnium, præterquam Recentiorum, quos hactenus refutauimus: tametsi eam non expresserint: quia rem hanc potiùs supposuerunt, quàm exposuerunt.

81 Incipiendo ergo ab statu quiditatiuo absoluto, dicimus, res omnes secundum se consideratas independenter ab eo, quod existant, vel secus habere de suo, siue, vt aiunt, ex conceptu suo obiectiuo veritates quasdam obiectiuas ad suam essentiam spectantes, quæ ob id quiditatiuæ dicuntur, & ab intellectu, tum increato, tum creato verè iudicabiles sunt, & scibiles. Nec enim de rebus sola existentia est iudicabilis iudicio absoluto; sed etiam essentia, & quidquid ad essentiam pertinet. Iudicium autem absolutum de essentia, aut de pertinente necessario ad essentiam, qualis est passio propria, aut communis, necesse est, quod præscindat ab existentia; alioquin non quid necessarium; sed quid contingens iudicabit de re creata, cui contingens est existentia, & consequenter quidquid ei aduenit cum ipsa existentia. Itaque, qui dicit, *Petrus est homo*, aut: *Petrus est risibilis*, accepto verbo *est* substantiuè, quo pacto ab existentia præscindit, ob idque à tempore etiam absolui dicitur; absolutè affirmat, Petrum in se, & de suo, ex suoue conceptu obiectiuo hominem, aut risibilem esse, quod verum est, quantumuis Petrus existat. Igitur status rerum quiditatiuus, & absolutus ab earum existentia independens in huiusmodi veritatibus obiectiuis quiditatiuis, & absolutis, cum ipsisque rebus identificatis consistit, vt diximus.

82 Dicuntur autem istæ quiditatiuæ veritates, & re vera sunt necessariæ, non à necessitate aliqua absolutè existente, qualis sola est necessitas Dei; in quo decepti sunt Recentiores suprà reiecti; sed à necessitate, quam ipsæ res de suo habent essendi id, quod sunt quiditatiuè, quatenus impossibile est, vt tales de suo non sint: quæ proinde necessitas vnum est ex prædictis intrinsecis, atque quiditatiuis rerum conueniens ipsis prout in statu quiditatiuo, atque ita ab existentia præscindens, sicut & cætera. Necessitates quippe rerum multæ, & diuersæ sunt, *vt infrà disp.* 11. explicabimus. Alia est necessitas in existendo, qualem Deus habet: alia est necessitas in causando, quæ conuenit causis necessariis; alia est necessitas in essendo, quod vnumquodque de suo est, quæ conuenit omnibus rebus independenter ab eo, quòd existant, vel secus. Tum alia est necessitas absoluta, alia ex suppositione, &c. de quo *ibi* multa.

Dicuntur etiam eiusmodi veritates incorruptibiles: quia, rebus corruptis, ipsæ perstitut verède rebus ipsis iudicabiles, & scibiles, non perstentia existentiali quæ tota, rebus deficientibus, perit; sed perstentia essentiali, siue quiditatiua, qualem habere censentur rerum essentiæ, quatenus indefectibiliter sunt verè iudicabiles, & scibiles secundum se, siue existant res, siue secus. 83

Dicuntur eædem veritates æternæ, non quia re vera correspondeant tempori æterno, seu infinito, aut in ipso verè, & propriè durent. Quod enim non existit, durare in tempore, aut tempori correspondere propriè, & in rigore non potest; sed quia in quacunque parte totius temporis infiniti, atque adeo ab æterno, & in æternum verè iudicabiles sunt. Aut etiam, quia nos, qui cuncta tempore mensuramus, eas concipimus quodam modo correspondentes omni tempori æterno ob eam indefectibilitatem, quam habent in suo esse quiditatiuo, & scibili. Quo pacto intelligendi sunt Albertin. & alij Doctores relati *n.* 10. cùm dicunt, essentias rerum creatarum ab æterno esse non actualitate existentiæ; sed actualitate essentiæ; id est, non existendo, sed essendo id, quod de suo sunt, sumpto videlicet verbo *esse* non existentialiter, sed essentialiter, non prout significat actum existendi, quo pacto est verbum adiectiuum; sed prout significat actum essendi id, quod vnumquodque de suo est, quo pacto verbum substantiuum vocatur, prout sæpe *disp.* 9. dictum, atque explicatum est. 84

Dicuntur denique veritates prædictæ conuenire rebus ex suo conceptu obiectiuo, non, quod eis reduplicatiuè, vt obiectis illæ conueniant, nec quòd non sint veritates reales realitate essentiæ, seu quiditatis independenter à conceptione eas intelligentium, vti putabant Recentiores reiecti *prop.* 3. sed, quòd conceptui illi obiectiuo rerum, qui intelligenti proponitur sumpto specificatiuè verè conueniunt, præscindendo ab eo, quòd ille realiter sit existens, vel secus. 85

Etenim præterquam quod, omnis status rerum scibilium obiectiuus generaliter dici potest, quatenus omnis res dum scitur, siue cognoscitur quoquo modo, obiectiuè dicitur esse in mente cognoscentis, tanquam in quodam statu, prout *suprà* iam adnotauimus *numer.* 66. Quemadmodum omnis etiam veritas, ex parte ipsarum rerum se habens, generatim obiectiua appellatur: status tamen quiditatiuus speciali quadam ratione communiter dici solet, insuper status obiectiuus. Non quidem, quia non sit vllo modo status realis; sed quia realis non est 86

realitate

realitate existentiæ; sed tantùm realitate essentiæ. Quocirca non habens existentiam realem, à quâ præscindit, solam existentiam obiectiuam, intentionalemve in mente illum concipientis censetur habere. Cùm tamen aliundè in se, & de suo, independenterque à sui conceptione essentiam, seu quiditatem realem, & veram habeat, statúsque proinde realis realitate essentiæ dicendus sit, vt ex iam dictis satis constat. Re tamen bene intellectâ, nos quoque, vt cum plerisque loquamur, non semel statum quiditatiuum, statum etiam obiectiuum indiscriminatim vocabimus.

87 Iam verò de statu existentiali absoluto, quem res actualiter, & absolutè existentes habere dicuntur, vtpote ex terminis notissimo, nihil est, quod addamus modo ad ea, quæ de ipso diximus *num.* 3. superest tamen explicandum id, quod in præsenti materia videtur difficillimum; quodque proinde Recentiores *supra* reiectos, & alios difficultate suâ in vias prorsus inuias adegit. Quomodo scilicet status rerum quiditatiuus, & status existentialis absolutus differant inter se. Ratio difficultatis est, quia ex vnà parte, status isti diuersi, imò, & separabiles poni debent; ex aliâ verò essentia, & existentia rerum, in quibus nos ponibus illos, re ipsâ vnum, & idem sunt, vt suprà ex sententia communi contra Thomistas *disputat.* 9. *quæst.* 6. statutum est. (Eadémque difficultas est in exhibendo discrimine inter statum existentialem absolutum, & quemlibet conditionatum, de quo postmodum.)

88 Dico. Licèt essentia, & existentia rerum re verâ sint vnum, & idem entitatiuè, verificatiuè tamen, quo pacto statum quiditatiuum, atque existentialem constituunt, eatenus inter se differre imò, & separabiles esse quatenus de rebus non existentibus verificabilis est essentia, & quidquid essentia necessariò fert secum annexum, de quibus tamen existentia, verificabilis non est; atque ita essentia cum suis passionibus in ratione veritatis obiectiuæ independens, & separabilis ab existentia est, non quòd existentia, & essentia tanquam duo extrema distincta ab inuicem separabiles sint: iam enim diximus non esse duo, sed vnum, & idem re ipsâ; sed quod tota integra res quadamtenus à se ipsa separabilis est, quatenus potest non existere, siue non esse existentialiter, essendo nihilominus in se, & de suo id, quod essentialiter est; quod est deficere eam totam existentialiter, non deficiendo essentialiter; atque ita separari totam eandem, prout in statu essentiæ à se ipsâ, prout in statu existentiæ. Ex quo potest, quomodò huiusmodi status in ratione talium diuersi, & separabiles sint, tametsi entitatiuè, & quasi fundamentaliter, seu materialiter re ipsâ vnum quid sint, & idem.

89 Opponi tamen potest primò. Veritas obiectiua rei, quâ ratione eam in præsenti vsurpamus, iuxta suppositionem factam *num.* 11. idem cum re est in sententia nostra, cum qua & inter se etiam sunt idem essentia, & existentia. Ergo (quidquid sit de modo concipiendi nostro, & distinctionibus rationis) re ipsâ non magis potest veritas essentiæ, in qua stat status quiditatiuus esse independens, & separabilis ab existentia, siue à veritate existentiæ, in qua stat status existentialis, quam potest idem à se ipso independens, & inseparabile esse. Concedo totum. Iam enim dixi separabilitatem huiusmodi veritatum, & statuum non esse talem, qualem habere solent extrema distincta realiter, sed talem, qualem vnum, & idem habet comparatione sui, quatenus potest non existere, essendo nihilominus, quod de suo est. Quia tamen hoc melius percipitur à nobis applicatum ad extrema per nostram rationem distincta, idcirco dicimus, veritatem essentiæ, siue statum quiditatiuum à veritate existentiæ, siue ab statu existentiali, quæ extrema distincta sunt per rationem nostram independentem, atque inseparabilem esse.

Sed rursus potest sic opponi. Essentia est idem 90
cum existentia. Ergo de Petro purè possibili, de quo negatur verè existentia, non potest non affirmari essentia: aliàs idem prædicatum de eodem subiecto, verè simul affirmaretur, & negaretur, atque ita duæ propositiones, duoque extrema contradictoria simul vera essent, quod repugnat. Distinguo antecedens: essentia Petri purè possibilis est idem cum eius existentia identitate quiditatiua, concedo; identitate existentiali, nego, & nego consequentiam cum probatione. Nam identitas solum quiditâtiua non sufficit, vt affirmatio essentiæ, & negatio existentiæ, quo sensu de Petro purè possibili verificantur, contradictoriè opponantur. Est dicere: essentia Petri purè possibilis, & eius existentia etiam purè possibilis solùm sunt idem de suo, siue in statu quiditatiuo; non item existentialiter, siue in statu existentiali, quandoquidem neutra eorum existit; atque ita quamuis sufficiat talis identitas, vt nequeat sine contradictione affirmari de Petro essentia, & simul negari existentia, ambæ in sensu quiditatiuo: non tamen sufficit, vt nequeant sine contradictione affirmari de Petro essentia, & simul negari existentia; prima in sensu quiditatiuo, & secunda in sensu existentiali ad hoc enim opus erat, quòd essentia, & existentia non solùm quiditatiuè; sed etiam existentialiter essent idem, hoc est, quòd ambæ cum sua identitate existerent. Vnde vniuersaliter patet, ad oppositionem contradictoriam satis non esse, quòd affirmatio, & negatio eiusdem de eodem fiant intra diuersos status; sed prorsus esse necessarium, quòd fiant intra eumdem; atque ideò has propositiones, *Petrus est homo*: *Petrus non existit* contradictoriè non opponi, tametsi, quod altera affirmat idem de suo sit cum eo, quod altera negat de eodem: quia altera ad statum quiditatiuum pertinet; altera verò ad existentialem. Quocirca nec istæ opponuntur contradictoriè: *Si Petrus extiterit in instanti A loquetur. Petrus non loquetur in instanti A*; etsi sint affirmatio, & negatio eiusdem loquutionis de eodem Petro: quia prima ad statum conditionatum; secunda ad absolutum pertinet.

Denique opponi potest. Status quiditatiuus, & 91
status existentialis sunt idem re ipsâ. Ergo non possunt re ipsâ esse inter se diuersi, seu differentes, quia idem à se ipso re ipsâ diuersum, & differens esse nequit. Distinguo antecedens; Sunt idem re ipsâ quiditatiuè tantùm, concedo; quiditatiuè simul, & existentialiter nego; & nego consequentiam cum probatione. Vnum enim, & idem secum quiditatiuè, vt potest esse re ipsâ separabile quod ad esse quiditatiuum à se ipso quoad esse existentiale, iuxta iam dicta. Ita pariter potest esse re ipsâ diuersum quoad esse quiditatiuum, à se ipso quoad esse existentiale; & hoc solùm modo sunt diuersi status quiditatiuus, & existentialis. Quo satis explanata videtur eorum quiditas, & diuersitas.

Hæc tamen solùm dicta sunt de statu quiditatiuo, 92
& existentiali rerum distinctarum à Deo. Status enim quiditatiuus Dei; etsi sit itidem suo modo ab existentiali diuersus, quatenus Deus etiam est quiditatiuè iudicabilis, scibilísque cum præcisione ab existentia, ab eo tamen nullatenus est separabilis:

quia Deus cum sua existentia essentialiter connexus est, cùm sit ens per essentiam impotens non existere, omninóque necessarius in existendo.

93 Venio iam ad explicandos status conditionatos. De quibus omnibus dico vniversè, eos in veritatibus conditionatis consistere, quæ verè, & realiter conueniunt rebus independenter, aut etiam separabiliter ab earum statibus absolutis, realiterque identificantur cum rebus ipsis, saltem quando sunt positiuæ. Dico saltem quando sunt positiuæ, quia veritates conditionatæ negatiuæ existentiales, sicut & absolutæ neque cum re negatâ, neque cum alio quopiam sunt idem, constat ex doctrinâ *supra disp. 9. quæst. 3.* iuxta quam de varietatibus negatiuis quiditatiuis tam conditionatis, quàm absolutis, aliter quàm de veritatibus negatiuis existentialibus philosophandum est, vt *infrà* explicabimus. Hactenus enim de veritatibus tantùm positiuis cum rebus identificatis loquuti sumus, atque etiam in præsenti loquimur. Porrò dari in rebus huiusmodi veritates conditionatas independenter ab eo, quòd illæ statum absolutum sortiantur, aut secus, indubitatum prorsus est. Nos enim passim illas cum tali independentia iudicamus, & scimus: pariterque iudicari à Deo, & sciri, dogma est catholicum, vt videbimus *in Tract. de scientia Dei.* Quod autem illæ à rebus, quibus conueniunt realiter distinctæ non sint, ex omnibus dictis circa præcedentes propositiones satis est notum. Itaque status conditionatus existentialis contingens nihilo differt à veritatibus obiectiuis huius, similiumque obiectorum: *Si Iudas haberet auxilium A. conuerteretur.* Status autem conditionatus existentialis necessarius, idem est cum veritatibus obiectiuis, obiecti huius, & similium: *Si Petrus existeret, sine contradictione existeret; aut existentialiter esset homo &c.* Denique status conditionatus quiditatiuus in hâc, & similium veritatum positus est: *Si quid est homo, est animal rationale; aut est risibile &c.* Tum veritas illius obiecti. *Si Iudas haberet auxilium A, conuerteretur*, nihil omnino inuoluit distinctum realiter à conditionato, & conditione, nempe à conuersione Iudæ, & auxilio *A.* Tantumdèmque de cæteris dictum esto. Quâ autem ratione inter se differant isti tres status conditionati; ex terminis, quibus nuncupantur per se notum est.

94 Solùm aduerto, necessitatem, quam habent duo posteriores, non esse necessitatem absolutam; sed conditionatam, siue ex suppositione: nam omnis veritas obiectiua necessaria necessitatem habet proportionatam suo modo essendi. veritas absoluta, & necessaria existentialis, qualis Deo conuenit, necessitatem habet absolutam in existendo. Veritas quiditatiua, & absoluta vniuscuiusque necessitatem absolutam in essendo, quod vnumquodque de suo est, vt *supra* iam diximus. Sic veritas quiditatiua conditionata necessitatem habet in essendo etiam conditionatam; & veritas existentialis conditionata necessitatem in existendo conditionatam, quæ tantùm est necessitas ex suppositione conditionis. Quo etiam pacto est intelligenda contingentia primi dictorum statuum. Est quippe contingentia conditionata, siue ex suppositione conditionis. De quo plura à nobis *in sequentibus* dicenda sunt.

Diuersitas autem, atque separabilitas vniuscuiusque status conditionati ab statu absoluto sibi correspondente eodem modo explicanda est, ac est explicata diuersitas, & separabilitas status quiditatiui absoluti ab statu existentiali. Itaque separabilitas veritatis existentiæ conditionatæ conuersionis Iudæ à veritate existentiæ absolutæ eiusdem, non est talis, qualem habere solent extrema distincta realiter, sed talis, qualem vnum, & idem habet comparatione sui, quatenus potest non existere absolutè, existendo nihilominus conditionatè. In quo similiter stat huiusmodi veritatum diuersitas; idemque subinde | venit dicendum de separabilitate, & diuersitate statuum in talibus veritatibus consistentium. Hinc fit, vt ubsque vlla contradictione verè affirmetur de Iuda conuersio conditionata, de quo eodem simul negatur verè conuersio absoluta ab ea indistincta: quia conuersio Iudæ conditionata, & absoluta tantùm sunt idem identitate entitatiua, aut etiam conditionata, non item identitate absoluta: affirmatióque, & negatio eiusdem de eodem ad diuersos status pertinent, non ad eumdem, prout ad contradictionem requirebatur. Fit similiter optimè posse statum conditionatum, & statum absolutum esse diuersos, etsi realiter sint idem: quia tantùm sunt idem identitate entitatiua, aut etiam, si placet, conditionata, non item identitate absolutâ. Eiusmodi autem identitas non obstat, quominus idem quoad esse conditionatum, diuersum, imò & separabile à se ipso sit quoad esse absolutum.

Oportet tamen adnotare, licèt status conditionatus consistat potissimè in veritate conditionatâ dicente directè rem conditionatam, & connotante indirectè, siue in obliquo conditionem; rigorosè tamen loquendo ex duplici statu illum conflari dicendum esse; nempe ex statu rei conditionatæ, & ex statu conditionis, quæ partes sunt integri obiecti conditionati. Status rei conditionatæ aliud non est ab *esse* obiectiuo verè iudicabili, & scibili, quod ipsa res verè in se habet non absolutè; sed ex hypothesi conditionis, atque adeò connotando illam, quod ipsum est veritas obiectiua conditionata. Et hoc quidem *esse* obiectiuum aliquando est existentiale idque, vel necessarium, vel contingens; aliquando tantùm quiditatiuum, iuxta naturam obiecti conditionati. Status autem conditionis sumptæ præcisè in vi conditionis in quodam etiam *esse* obiectiuo ab ipsâ indistincto consistit, non quidem iudicabili, & scibili, proindéque neque obiectiuè vero, sed supponibili, siue ponibili in hypothesi per simplicem apprehensionem hypothesis constitutiuam. Quod etiam aliquando existentiale, & aliquando quiditatiuum tantùm est, iuxta naturam obiecti conditionati. Voco autem illud *esse*, tametsi præcisè, vt est conditio, non sit quid verum: tumquia loquendo sine ea præcisione de suo est verum *esse* quiditatiuè, tum maximè: quia vt est conditio præcisè, hoc ipso, quod est conceptibile, non est merum nihil, sumpto mero nihilo pro eo quod ne conceptibile quidem est. Hoc de statu conditionis sumptæ præcisè in vi conditionis; si enim sumatur, vt quid conditionatum, quale etiam est semper, eius status erit conditionatus, & verus, qualis est cuiuscuis alterius rei veræ conditionatè. Porrò esse semper conditionem conditionatè veram sub hypothesi suimet, est clarum: quia ex hypothesi, quòd Petrus existat e.g. non potest non esse conditionatè verum, ipsum existere; & in cæteris pariter. De his tamen plura in sequentibus sunt dicenda, quibus dicta hìc magis patebunt. 95

Hactenus de statibus conditionatis rerum distinctarum à Deo. Dari tamen etiam status conditionatos in Deo diuersos ab absoluto existentiali, eosque tum quiditatiuos, tum existentiales, tum adæquatè, tum inadæquatè identificatos cum ipso, mihi est verissimum; quidquid refragentur aliqui 96

Recen

Recentiores. Itaque omnes istæ propositiones, & similes conditionatè veræ sunt, & per scientiam conditionatam à Deo cognoscibiles, vt latiùs probandum nobis est in *Tract.* de scientiâ: *Si Deus est ens à se, est æternus: Si Deus est ens necessarium, Deus existit: Si Deus existit, existentialiter est omnipotens: si Deus est omnipotens, Mundus existit: si Mundus existit, Deus existit, aut est omnipotens &c. si Deus est trinus, & vnus, homo est animal rationale &c.* De quibus plura *loco citato.*

98 Restat nunc vt argumenta diluamus, quæ contra doctrinam statutam in omnibus propositionibus opponuntur; aut etiã, quæ præterea possunt opponi.

## Diluuntur argumenta contraria.

99 Incipio ab illis, quibus Recentiores impugnati *proposit.* 1. & 2. impulsi sunt ad asserendum, omnem statum necessarium rerum, omnemque subinde veritatem necessariam earum realiter esse idem cum entitate Dei. In quod eo sunt impetu propensi, vt clarè illud sibi videantur probare;

100 Primò sic. Hic status conueniens e. g. Petro purè possibili, *Si Petrus existeret sine contradictione existeret* (in quo ipsi possibilitatem Petri censent consistere) necessarius est: ergo sempiternus, & semper existens: sed entitas Petri, neque est necessaria, sed contingens; nec sempiterna, & semper existens, sed nunquam existens, vt supponitur. Igitur talis status, siue possibilitas Petri, nec potest esse idem cum Petro, nec potest non esse idem cum Deo; vtpote qui solus est ens necessarium, & sempiternum, & semper existens. Egregia claritas probationis! Retorqueo clariùs imprimis argumentum in illos. Ipsi enim conceduut, vt vidimus tum *n.* 7. tum circa *proposit.* 1. neque negare possunt, obiectum illud: *Si Petrus existeret, sine contradictione existeret* sen, quod in idem recidit, hoc: *Petrus est possibilis* includere entitatem Petri vt subiectum extrinsecè denominatum possibile à possibilitate identificatâ cum Deo; alioquin Deus tale obiectum cognoscens, nihil præter se ipsum cognosceret. Quod est absurdum. Ex quo sic arguo similiter. Tale obiectũ est necessariũ: ergo sempiternum, & semper existens; vt ipsi inferunt. Ergo nequit includere entitatem Petri contingentem, & nunquam existentem, contra suppositionem concessam; cùm sit euidens, totum necessarium, & semper existens non posse componi ex aliquâ parte contingente, & nunquam existente. Videant nunc claritatem sui argumenti.

101 Ad illud ergo ex *suprà* dictis respondeo pro omnibus. Necessarium quidem esse prædictum obiectum, non tamen necessitate existentiali, & absolutâ, qualem Deus habet; sed vel necessitate conditionatâ existentiali, si obiectum capiatur priori modo, vel necessitate absolutâ quiditatiuâ, si posteriori modo capiatur: quo cessat totum argumentum: quia ex neutrâ talium necessitatum sequitur; tale obiectum esse semper existens; imò neque esse sempiternum strictè loquendo, iuxta dicta *n.* 84. Neutráque obstat; quominùs obiectum ipsum identificetur cum Petro: quia ens contingens quoad existentiam absolutam benè potest esse necessarium, tum quoad existentiam conditionatam, tum quoad essentiam, vt ex dictis in *superioribus* satis est notum.

102 Secundum argumentum, cui valdè fidunt, huiusmodi est. Contradictorium supradicti status, seu obiecti necessarij conuenientis Petro purè possibili, quod eo ipso est quid impossibile, absolutè deest, seu non existit, defuitque semper, & ab æterno, sicuti cætera impossibilia, vt constat. Sed quâ ratione, & quo tempore vnum contradictorium deest, existit alterum, vt etiam constat. Ergo ipse status, ipsumve obiectum necessarium absolutè existit, & extitit ab æterno. Ergo nec potest illud identificari cum Petro nunquam existente, nec potest non identificari cum Deo, qui solus existit, & extitit ab æterno. Hoc est pulchrum sophisma, cuius fallacia proditur primò: quia infert dictum obiectum necessarium, scilicet *Petrus est possibilis*, cum solo Deo identificari, vtpotè vnicè existente ab æterno; & consequenter non inuoluere in suo conceptu entitatem Petri, quod est contra ipsos arguentes, & absurdum: fieret enim inde, Deum, cognoscendo tale obiectum, nihil cognoscere præter se ipsum, vt nuper dicebamus. Secundò: quia si quid probat vtique, hoc complexum, *Petrus est possibilis* integrè cum entitate Petri in se inclusâ existere ab æterno, quod est absurdum. Siquidem contradictorium adæquatum cuiusuis complexi (nisi sit complexum ex duplici extremo contradictorio) per totum ipsum debet excludi, cùm nulla pars eius sit exclusio formalis carentiæ aliarum, sed vnaquæque suæ solius, Quod maximè locum habet in complexo nostro, quod iuxta Aduersariorum doctrinam indiuisim tantùm est verum, proindeque indiuisim tantùm opponitur suo contradictorio. Tertiò: quia supponit extrema pertinentia ad diuersos status contradictoriè opponi, atque adeò vicissim se excludere, quod est falsum, vt constat ex dictis *n.* 90. Hoc namque obiectum: *Petrus est possibilis* solùm excludit suum contradictorium ab statu quiditatiuo, aut conditionato, intra quem contradictoriè opponuntur; non item ab statu existentiali absoluto, à quo subinde illud per aliud quid venit excludendum.

Hinc ad sophisma factum respondeo facilè; con- 103
tradictorium illius obiecti: *Petrus est possibilis*, hoc esse: *Petrus non est possibilis*, quod æquiualet huic chymeræ: *Petrus non est Petrus*, cui chymeræ rursus æquiualet coniunctum impossibile ex Petro, & suâ carentiâ, quod coniunctum per alterutram partem sui excluditur ab statu existentiali absoluto, nec aliter potest; nempe per carentiam Petri, quando Petrus non existit, vt in casu nostro; & per Petrum quando Petrus existit, & necessariò, sempérque, & ab æterno excluditur, vti debet: siquidem necessarium est, aut Petrum, aut carentiam eius existere in omni tempore, & ab æterno. Non quidem necessitate existentiali absolutâ alicuius determinati, sed necessitate cõditionata (à quâ non differt disiunctiua alterutrius ex extremis contradictionis; vt apparebit ex dicendis) quâ necesse est Petrum existere si deficit carentia eius, & existere carentiam eius si deficit Petrus. Ex quo patet, dictum cõtradictorium ab statu existentiali absoluto nequaquam excludi per illam veritatẽ: *Petrus est possibilis*, vtpotè, cui tantùm contradicit intra statum quiditatiuum, aut conditionatum: vnde absoluta, & sempiterna exclusio existentiæ eius non arguit, dictam veritatẽ esse aliquid absolutè, & semper existens; & multò minùs esse aliquid identificatum cum Deo, vt prætendebat argumentum. Quibus tota eius fallacia manet aperta.

Tertiò arguunt. De Petro purè possibili verifica- 104
tur absolutè hæc enunciatio: *si Petrus existeret, sine contradictione existeret*: ergo datur absolutè verificatiuum eius. Hoc autem ipsum est existere absolutè statum conditionatum tali enunciationi correspondentem. Distinguo antecedens. Verificatur absolutè ex parte actus, concedo: absolutè ex

parte

parte obiecti nego;& nego consequentiam. Est dicere. Absolutè existit enunciatio, quæ vera est,non à veritate absolutâ obiecti;sed àconditionata:quia hæc, non illa est, quam enuntiat.

105 Quartò arguunt.*Fore vt Petrus existeret sine contradictione, si existeret*; est quoddam extremum, de quo verè affirmantur multa,quæ nequeunt affirmari verè de Petro. Ergo nequit illud realiter esse idem cum Petro. Consequentia est bona,vt satis est notum. Antecedens probant: quia de illo *Fore*,&c. verè affirmatur, non posse deficere,non posse incipere, & alia huiusmodi, quæ patet non posse verè affirmari de Petro, aut nunquam, aut contingenter existente.Hoc variè extendunt;sed totum quoad substantiam inculcatio quædam est primi argumenti sub diuersis terminis,& modis. Quo circa proinde,atque illud, in ipsos retorquetur imprimis.Quoniam affirmari de illo *Fore*, &c. quod non potest deficere,& quod non potest incipere, & alia huiusmodi, quin eadem affirmentur verè de Petro, aut nunquam, aut contingenter existente; æquè repugnat, siue ponatur Petrus cum illo *Fore*,&c.identificatus, vti nos prætendimus, siue ponatur in illo incluſus, vti ipsi confitentur,vt patet. Quare & ipsi ad suum argumentum tenentur respondere.

106 Deinde ergo nos ad illud respondemus pro omnibus. De illo *Fore*,&c. eo solùm sensu affirmari verè,non posse deficere, nec incipere, quatenus non potest non esse semper obiectiuè verum, hoc est verè iudicabile per iudicium, aut cuiuis parti temporis, aut omni tempori correspondens. Hoc autem ipsum verè similiter affirmatur de Petro, non quidem prout absolutè existente, quo pacto est quid contingens;sed prout existente sine contradictione, sub conditione, quòd existat, qua ratione est quid necessarium necessitate ex suppositione. Vt autem verè affirmetur de Petro existentia conditionata, negata simul de eodem verè existentia absoluta, non obstat identitas entitatiua, atque etiam conditionata, quam inter se habent istæ existentiæ. Sicut neque obstat identitas entitatiua, & quiditatiua, quam habent inter se existentia, & essentia. quominus de Petro purè possibili verè affirmetur essentia, negata simul etiam verè existentia, vt pluribus explicatum est *supra num.*90. *& seqq.*

107 Quintò arguunt. Illud *Fore*, &c. de quo nuper, habet absolutè aliquod prædicatum intrinsecum. Ergo est quid absolutè existens; & consequenter distinctum à Petro absolutè non existente. Consequentia est bona. Antecedens probant: nam illud *Fore*, &c. est absolutè necessarium ad hanc necessariam veritatem: *Si Petrus existeret, sine contradictione existeret.* Alioquin sicut hæc veritas stat absque absolutâ existentia Petri, vtpote sibi absolutè non necessaria: ita staret absque *Fore vt Petrus sine contradictione, existeret casu, quo existeret.* Quod est implicatio in terminis. Imò verò argumentum hoc, si non contradictionis, ipsorum tamen terminorum videtur implicatio, seu intricatio apta nata ad fallendum. Quid enim est aliud illud *Fore*, &c. à veritate, ad quam dicitur necessarium?Nihil profectò,vt ex ipsis terminis patet. Esse ergo illud necessarium ad eam veritatem idem omninò erit, ac veritatem ad se ipsam necessariâ esse,quod est certissimum.Nam vnumquodque,qua ratione,est ad se ipsum necessarium est, cùm sine se ipso esse sit impossibile. Cæterùm, quia veritas illa conditionata solùm est,solùm etiam conditionatè erit necessaria ad se ipsam.Malè ergo supponit arguens,illud *Fore*, &c. à tali veritate indistinctum, absolutè esse necessarium ad illam. Addo tamen connexionem, quam de suo habet conditio cum conditionato, ex quibus ea veritas constat, necessariam absolutè vocari posse, non quidem existentialiter, sed quiditatiuè: quemadmodum absolutè necessarium dicitur esse, quod Petrus purè possibilis de suo, seu quiditatiue sit homo. Quo fit, vt veritas illa conditionata, & aliæ similes bifariam possint necessariæ appellari. Primò absolutè non à necessitate aliqua absolutè existente; sed à necessitate illis de suo, quiditatiuéque conueniente: (tametsi hoc quodam modo sit transferre tales veritates ab statu conditionato ad quiditatiuum æquiualentem.) Secundò, conditionatè à necessitate etiam conditionata,quam habet essendi conditionatum ex hypothesi conditionis. Recognosce generalem doctrinam in *superioribus* traditam. Hucusque argumenta Recentiorum contra primam nostram propositionem.

Quibus ex eorumdem doctrina alibi data sextum 108
adiici potest ad probandum speciatim impossibilitatem impossibilium ab ipsis impossibilibus distingui re ipsa, reque ipsa, & necessariò existere,atque adeò idem esse cum Deo; ita enim arguitur. Deus inconiungibilis est cum omni chymerâ, & coniungibilis cum eius impossibilitate; siquidem cum hâc de facto coniungitur. Ergo impossibilitas omnis chymeræ imprimis ab omni chymerâ realiter distincta est:cum iis enim, quæ sunt realiter vnum, & idem non potest quidpiam esse simul coniungibile, realiter,vt ex se patet. Quod si impossibilitas omnis chymeræ realiter ab omni chymerâ impossibili distincta est;inde fit, impossibilitatem omnis chymeræ esse possibilem, tale enim est, quod distinguitur ab omni impossibili. At, quod non est contingens, sed necessarium,qualis est impossibilitas omnis chymeræ, vbi primum est possibile actualiter, & necessariò existit. Ergo impossibilitas omnis chymeræ actualiter, & necessariò existit. Igitur est idem cum Deo, qui solus actualiter, & necessariò existit. O quot fallaciæ!

Respondeo, Deum inconiungibilem esse cum 109
omni chymerâ considerata in statu absolutæ existentiæ: nulla namque chymera potest existere absolutè, esse tamen coniungibilem,de factoque coniungi cum omni chymerâ considerata in statu quiditatiuo, & conditionato, existentiali, vbi ea suum esse verè iudicabile habet; quo etiam pacto,& non aliter est Deus coniungibilis cum impossibilitate omnis chymeræ. Vnde patet imprimis,nihil obesse, quominus omnis chymera cum sua impossibilitate sit idem re ipsa, vt verè est. Deinde nego impossibilitatem omnis chymeræ esse possibilem possibilitate existentiali, quæ est potentia ad absolutè existendum, etsi sit possibilis possibilitate essentiali, quæ est potentia ad essendum, quod de suo quiditatiuè est. Vnde præterea dico, necessitatem,quam habet impossibilitas chymeræ non esse necessitatem ad absolute existendum, quæ soli Deo competit;sed necessitatem ad essendum, quod de suo quiditatiuè est,aut etiam ad existendum cum contradictione sub conditione quod existeret. Ex quibus denique concluditur, impossibilitatem omnis chymeræ neque distingui ab omni chymerâ, neque actualiter existere; neque identificari cum Deo, vt argumentum prætendebat.

Iam verò contra secundam propositionem no- 110
stram eisdem, aut similibus argumentis se putant Recentiores dicti probare obiectum hoc: *Si Iudas haberet auxilium A conuerteretur*, aliquid esse absolute existens, atque adeò non identificatum cum

conuer

conuersione Iudæ; sed cum scientia diuina. Primum autem argumentum, quod afferunt, secundum supra oppositum *num.* 102. recidit. Sicque formatur in præsenti. Illud existit absolutè, quod nulla ratione impeditum est, quominus absolutè existat. Sed ita se habet dictum obiectum; siquidem nihil ei contradictoriè oppositum existit absolutè. Ergo. Cæterùm, argumentum hoc imprimis probat, existere absolutè conuersionem Iudæ, vtpotè quæ, vt fatetur arguens, in dicto obiecto inclusa est tanquàm subiectum veritatis eius. Quod tamen est falsum, vt supponitur. Deinde supponit, per dictum obiectum impediri ab statu absoluto integrum eius contradictorium, atque adeo illud cum conuersione Iudæ in se inclusa absolutè existere. Quod iterum est falsum. Præterea supponit extrema ad diuersos status spectantia contradictoriè opponi, & à se se inuicem impedibilia esse. Quod etiam est falsum, proùt loco citato in simili dictum iam est. Respondeo igitur, dictum obiectum per carentias absolutas conuersionis Iudæ, & auxilij *A* impeditum esse de facto, quominus absolutè existat, atque adeò illud nullatenùs esse aliquid absolutè existens. Quoad veritatem verò conditionatam præcisè, vt talem nec esse impedibile ab statu absoluto, neque in eo ponibile: quia est veritas independens, atque præscindens ab absolutâ sui existentiâ, & non existentiâ; vt satis, superque in *superioribus* expositum est. Ab statu verò conditionato, à quo impediri posset huiusmodi veritas per suum conditionatum contradictorium, de facto non est impedita, vt supponimus, supponendo verum esse dictum obiectum.

111 Secundò obiiciunt. De quouis absolutè non existente simpliciter, & sine addito verificatur, *non esse re ipsa*. At non ita id ipsum verificatur de obiecto huius scientiæ diuinæ: *Si Iudas haberet auxilium A, conuerteretur*. Igitur tale obiectum absolutè existit. Leuis obiectio. Distinguo maiorem. Quando tantùm agitur de *esse*, aut non *esse* absoluto entis propositi; transeat maior: quando agitur insuper de *esse*, aut non *esse* conditionato, nego maiorem: & concessa minore; nego consequentiam. Ex quo patet, cur de obiecto dictæ scientiæ diuinæ non possit impræsentiarum simpliciter, & sine limitatione negari, *non esse re ipsa*, tametsi illud nullum *esse* absolutum habeat, (quidquid sit de aliis casibus) censeretur enim ea absoluta loquutione negari insuper *esse* conditionatum, quod verè habet; & supposita tali scitscentia, negari non potest.

112 Tertiò obiiciunt. Quidquid est reale, & non merè fictum potest absolutè existere. At hoc complexum coalescens ex his extremis simul sumptis: *Non conuertitur absolutè Iudas cum auxilio A. Conuerteturque cum illo, si illud haberet*: non est quid impossibile, confictumque; quippè totum id verum est. Ergo complexum coalescens ex his extremis simul sumptis potest absolutè existere. Existat ergo absolute, & arguitur sic. Non potest existere absolutè totum, quin existant absolutè partes, quas includit. Prædictum totum existit absolutè. Ergo, & partes, quas includit: vna ipsarum est status conditionatus conuersionis Iudæ sub auxilio *A*. Ergo existit absolutè dictus status, & non existit absolute conuersio Iudæ. Quomodò ergo sunt idem? ita illi. Non animaduertentes, se per hoc argumentum planè probare, si quid probant, existere simul absolutè duo contradictoria, nimirum conuersionem Iudæ, & negationem eius. Supponunt enim, iuxta priorem partem complexi, non existere absolutè conuersionem Iudæ. Deinde probant, existere absolute posteriorem partem complexi, & consequenter conuersionem Iudæ, quæ in illa includitur, vt ipsi alibi fatentur; neque negare possunt, vt sæpe diximus in simili.

Respondeo ergo, prædictum complexum impos- 113
sibile esse respectiue ad eumdem statum, quia continet conuersionem Iudæ, & auxilium *A*, & negationes vtriusque, quæ omnia in eodem statu coniungi non possunt. Nihilominus esse verum: quia altera pars eius spectat ad statum absolutum, & altera ad conditionatum. Et nihil vetat esse veram negationem rei, absolute, quando res est vera conditionate, vel è conuerso; Vt passim euenit in omnibus conditionatis, quorum non purificatur conditio. Res enim, & eius negatio dumtaxat opponuntur contradictoriè intra eumdem statum, non intra diuersos. Quæ omnia ex dictis in *superioribus* satis, superque liquida sunt.

Quartò ex mente eorumdem Recentiorum obii- 114
ci potest. Si veritas contingens conditionata ea est, quæ absolutè nullum habet esse, sed haberet. Ergo ex parte veritatis conditionatæ nihil est, quo absolutè determinetur intellectus diuinus ad illam cognoscendam præ oppositâ. Neque enim videtur perceptibile, vt absolutè determinet, aut præstet aliud quidpiam id, quod est nihil absolutè; sed esset, si daretur conditio. Cúmque neque ex parte Dei admittamus aliquid absolutè determinans ad talem scientiam, videntur recidere in nos, quæ *suprà proposit. 2. à num.* 40. in Recentiores vrgebamus. Respondeo tamen. Quidquid est cognoscibile à Deo per scientiam absolutè existentem, quemadmodum potest absolutè terminare eam scientiam, siue esse terminum per eam cognitum, iuxta sententiam omnium; ita etiam posse absolutè determinare ad illam, qualecumque demum esse habeat per illam cognoscibile, siue absolutum, siue conditionatum, siue præsens, siue futurum, *&c.* Nam ad istud genus determinationis, per modum conditionis extrinsecæ, amplius non requiritur in determinatiuo, quàm quòd illud sit quoquo modo obiectiuè verum, atque adeò cognoscibile per scientiam actualem Dei, absolutamve ex parte actus. De quo plura dicenda sunt *in Tract. de scient.* vbi amplius, & vniuersaliùs punctum hoc illustrabitur. Recognoscatur tamen interim doctrina ad rem stabilita *disput. 9. quæst. 5. proposit. 30.*

Accedo iam ad diluenda argumenta, quæ iidem 115
Recentiores opponunt contra statum quiditatiuum rerum identificatum cum rebus ipsis; prout à nobis explicatur *proposit. 5.* quatenus dicimus, res omnes secundum se consideratas independenter ab eo, quòd existant, vel secus, habere de suo, siue ex conceptu suo obiectiuo veritates quiditatiuas, & necessarias à se indistinctas, verè scibiles, & iudicabiles iudicio absoluto: hoc est verè, & absolutè esse id, quod sunt, sumpto verbo *esse* non existentialiter, sed essentialiter. Quod ipsum est, eas habere de suo, siue conceptu proprio *esse* quoddam quiditatiuum, siue *esse* essentiæ, seu quiditatis à se indistinctum, ab omni causa, ab omnique existentiâ independens, atque adeò indefectibile prorsus, & necessarium, vti dicebant Doctores citati *num.* 10. Quam profectò doctrinam benè intellectam de mente omnium Theologorum, si paucos excipias Recentiores, arbitror esse. Ob id Basilius *ibi* cum aliis citatus dixit, eam ab homine sano, & docto negari non posse.

Contra illam nihilominùs arguitur primò. Illud 116

esse

*esse* quiditatiuum,& necessarium neque est factum: quia antequam quidquam fieret, iam erat verum; neque est non factum: quia omne non factum,vel est Deus, vel nihil. Tum neque est dependens à Deo: quia nihil distinctum a Deo ab eo dependens est necessarium; neque est independens:quia nihil potest habere *esse* independenter à fonte, principióque primo totius *esse*: ergo est quid chymericum. Respondeo ad primum, prædictum *esse* quiditatiuum non esse factum; atque adeò verè esse nihil existentialiter;esse tamen aliquid essentialiter, ad quod non requiritur, quòd sit factum. Ad secundum. Esse illud independens à Deo dependentia originis,siue influxus,quæ solis existentibus, atque ita contingentibus competit: dependens verò, quando est possibile dependentia connexionis, necessitati eius nihil derogante, quatenus ne quiditatiuè quidem esset, quod est, si Deus deficeret; siquidem in eo casu neque esset possibile intrinsecè, neque factibile à Deo, vt modò. Dixi, *quando est possibile*: quia multæ chymeræ impossibiles, quæ etiam suum verum *esse* impossibile atque quiditatiuum habent, ne connexionis quidem dependentia dependent à Deo quoad tale *esse*.Neque hoc est inconueniens: quia Deus absolutè loquendo,solùm est fons,est primum principium totius *esse* possibilis,non impossibilis,vt talis.De quibus in *sequentibus* plura dicemus. Adde hoc & sequentia argumenta in omni sententia soluenda esse, vt postmodùm notabo.

117 Secundò arguitur.Illud *esse* quiditatiuum, vel est ab æterno quid actuale, vel quid purè possibile? Si quid actuale, erit existens: quod est absurdum. Si quid purè possibile erit contingens: quia omne, quod potest esse, & actu non est; contingens est; & tamen ponitur esse necessarium. Ergo. Tota difficultas huius argumenti est de nomine oriunda scilicèt dumtaxat ex acceptione terminorum. Imprimis iam notaui *suprà num.* 84. prædictum *esse* quiditatiuum non esse ab æterno, propriè loquendo: quia cùm non habeat existentiam, nulli tempori respondet propriè, solúmque posse dici proprie esse ab æterno verum, hoc est, iudicabile verè iudicio existente ab æterno. Deinde ex doctrinà suprà traditâ *disputatione 9. quæst.* 1. constat, duplicem esse actum essendi, existentialem, quem significat verbum esse adiectiue sumptum, idemque est cum actu existendi; & essentialem, quem significat verbum *esse* substantiuè sumptum, & nihilo ab identitate differt, à quibus diuersis actibus diuersimodè dicitur actuale subiectum, cui conueniunt. Cúmque omni actui secundo respondeat actus primus, siue potentia, vt loco citato statuimus, altera erit potentia ad existendum; altera ad essendum essentialiter, siue quiditatiuè. Ex quibus primâ communi acceptione possibilitas dicitur: secunda non item: quia vix occurrit de ea sermo in aliis materiis. In præsenti tamen distinctionis gratiâ, vtraque dicitur possibilitas, altera existentialis, altera essentialis. Quibus positis, iam manifestè apparet, quomodò ad argumentum factum sit respondendum, & quomodò in tota hac materia, omni seposita æquiuocatione, loquendum sit. Dico ergò, prædictum *esse* quiditatiuum esse, in sensu dicto ab æterno quid actuale actualitate essentiali, non actualitate existentiali; & consequenter non esse quid purè possibile possibilitate essentiali, esse tamen quid purè possibile possibilitate existentiali. Ex quo patet, quomodò sit quid contingens relate ad actum existentialem, tametsi sit quid necessarium relatè ad actum essentialem.

Tertiò arguitur. Prædictum *esse* quiditatiuum 118
rerum non est à Deo impedibile, cùm sit quid necessarium. Ex eo autem, quòd non sit à Deo impedibile, sequuntur innumera absurda. Ergo. Cætera patent. Probatur minor. Sequitur enim primò, Deum necessariò esse alligatum consortio rerum à se distinctarum, atque adeò imperfectarum. Secundò, Deum nostro *esse* essentiali indigere ad existendum. Tertiò, Deum non esse perfectum dominum nostrarum essentiarum. Quartò, non esse, cur non possit pariter dari *esse* aliquod existentiale non impedibile à Deo. Quintò, non posse Deum perfectè annihilare creaturas. Sextò, non produxisse illas ex nihilo, contra definitionem Concilij Lateran. quæ habetur *in cap. Firmiter de summa Trinit*, &c. Septimò, stultum esse gratias Deo agere pro integro *esse* ab eo recepto. Octauo, dari de facto infinitum in actu rerum actualium actualitate essentiæ: Nonò,dari actualiter actualitate essentiæ simul in eodem intellectu assensum, & dissensum; in eâdem voluntate amorem, & odium; in rerum naturâ duo quæque contradictoria extrema; in voluntate Christi domini odium Dei, & cæteri actus praui tali voluntati possibiles; & alia huiusmodi monstra, quæ longum esset recensere. Chymericum igitur est prædictum *esse* quiditatiuum.

Cæterum cuncta hæc laruæ quædam sunt ad 119
deterrendum eos, qui sententiæ nostræ legitimum conceptum non faciunt. Quod, vt manifestè constet,ostendo imprimis hoc, & cætera omnia argumenta, quæ contra nostram fiunt,aut fieri possunt, contra omnes omnium sententias pariter eodem impetu militare, ab omnibusque proinde soluenda esse. Nemo enim negat, neque negare potest, obiecta propositionum, quæ necessariæ, & æternæ veritatis dicuntur, vt *Petrus est homo*: *Michaël est Angelus*: *Secundus mundus est possibilis*, & similium re ipsa vera esse obiectiuè independenter à sua absoluta existentia; aliàs omnes huiusmodi propositiones, iudiciaque eis correspondentia, tam in intellectu diuino, quàm in creato falsa essent. Quod est absurdum. Deinde nemo negat, neque negare potest veritatem eiusmodi obiectorum necessariam, & prorsus indefectibilem esse, ipsaque obiecta proinde necessariò, & prorsus indefectibiliter esse vera. Ob id enim propositiones illa enunciantia necessariæ, & æternæ veritatis dicuntur, est enim ex terminis euidens, vnumquodque necessariò esse id, quod essentialiter,siue quiditatiue est;nam si posset id non esse,sine se ipso posset esse: pone enim, posse hominem non esse hominem, statimque fiet posse hominem sine homine esse, quod est manifesta implicatio contradictionis in ipsis terminis. Propositiones autem prædictæ de vnoquoque prædicant esse id, quòd quiditatiue est; ob id tum ipsæ, tum ipsarum obiecta nequeunt non esse vera. Denique nemo negat, neque negare potest, prædicta obiecta necessariò vera aliquid saltem includere in suo integro conceptu realiter distinctum à Deo. Alioquin,si solum Deum includerent,Deus dum illa cognoscit, se solum cognosceret,vt est notissimum; indeque fieret, vt Deus præter se ipsum, & res absolutè existentes, nihil ampliùs cognosceret, Quod est erroneum.

Habemus igitur ex sententia omnium dari re ve- 120
ra ex parte rerum independenter ab eorum existen-

tia,

tia absolutâ, veritates quasdam, seu vera quædam necessaria verè iudicabilia, & scibilia, eaque realiter distincta à Deo, saltem vt includens ab incluso, contra quæ subinde eadem militant argumenta, quæ contra *esse* quiditatiuum ipsarum rerum, quod nos adstruimus, fieri possunt. Etenim eiusmodi vera, cùm sint necessaria, non sunt à Deo impedibilia. Inde autem statim sequuntur omnia, quæ contra nostrum *esse* quiditatiuum ex eodem capite sunt illata. Quin imò, cùm omne verum, siue iudicabile vere, saltem iudicio affirmatiuo, non possit non importare aliquod *esse*: tum quia veritas saltem affirmatiua seu quod idem est, positiua apud omnes est passio entis: tum maximè, quia huiusmodi verum ab eo dicitur tale, quia ita est in se re ipsâ, sicuti esse iudicatur. Conficitur planè in omnium sententiâ, hoc ipso, quod admittitur, neque negari potest, dari ex parte rerum independenter ab earum existentiâ absolutâ aliquod verum necessarium, realiterque à Deo distinctum, saltem, vt includens ab incluso per *supra* dictas propositiones, iudiciaque verè affirmabile, consequenter debere admitti, neque negari posse, dari ex parte terum independenter ab earum existentiâ absolutâ aliquod *esse* pariter necessarium à Deo distinctum, & verè affirmabile. Quidni illud erit *esse* quiditatiuum, quod nos admittimus? Cùm ad rem præsentem nihil interfit ponere illud quiditatiuum absolutum, aut conditionatum existentiale; maximè, quia plus est citra dubium habere quidpiam *esse* existentiale conditionatum, quàm habere *esse* absolutum merè quiditatiuum, vt plus est, esse quidpiam conditionatè futurum, quàm esse purè possibile, vt patet.

Igitur ad argumentum factum respondeo pro 121
omnibus, non esse quidem impossibile à Deo *esse* quiditatiuum rerum, id est à Deo impediri non posse, quominus vnaquæque sit id, quod essentialiter est; Hoc tamen neque vllum adferre inconueniens, neque aliquid derogare omnipotentiæ diuinæ: quoniam nullum adfert inconueniens, nec derogat omnipotentiæ diuinæ; quòd ea præstare non possit id, quod contradictionem implicat, atque adeò prorsus est impossibile. Facere autem, quòd aliquid non sit id, quod essentialiter est, contradictionem implicat manifestè, atque adeò prorsus est impossibile. Vnde ad primum, quod tanquam inconueniens inferebatur, dico. Nullum in eo est, quòd Deus existere non possit sine eo, quòd vnaquæque res ab ipso distincta sit, quod essentialiter est. Ad secundum, dico. Deus ne nostro quidem essentiali, atque adeò necessario *esse* indiget ad existendum: quia Deus magis necessario existit, quàm nos sumus id, quod essentialiter sumus, vt ostendam *suo loco*. Ad 3. Nihil derogat perfecto dominio, quod Deus habet nostrarum essentiarum, quòd nequeat inuertere illas, faciendo vt non simus id, quod essentialiter sumus: hoc enim est quid impossibile. Satis superque est ad perfectum earum dominium, quod Deus possit facere illas, aut non facere existentes, prout ipsi libuerit. Ad 4. Ex eo, quòd non possint à Deo inuerti essentiæ rerum modo dicto, nullatenus sequitur, posse non aliquam sine nutu libero Dei, atque adeò necessariò existere. Cùm sit de essentia ipsâ vniuscuiusque rei à Deo distinctæ dependere à Deo in existendo, tanquam à causâ priuâ liberâ. Ad 5. Deus perfectè potest annihilare creaturas, hoc ipso, quod potest illas reducere ad nihilum existentiale; quòd enim remaneant obiectiuè verè quiditatiuè, aut conditionatè, perfectæ annihilationi non obstat. Ad 6. Deus creaturas produxit ex nihilo, tum quia produxit per creationem, non ex præsupposita materia: tum quia ante suam absolutam existentiam simpliciter erant nihil, tametsi veræ obiectiue essent quiditatiuè, & conditionatè. Solum enim quod absolutè existit, iuxta communem loquendi morem dicitur simpliciter esse; cætera tantùm cum limitatione, & addito. Ad 7. Pro toto *esse* etiam quiditatiuo, quod à Deo existentialiter accipimus, gratiæ ipsi à nobis agendæ sunt. Tametsi; quòd præscindendo ab existentia quiditatiuè simus, quod sumus non sit materia idonea actionis gratiarum, quia oppositum est impossibile. Ad 8. Infinitum in actu, quod negant omnes, est rerum absolutè existentium: Infinitum verò rerum purè possibilium, aut etiam sub conditione futurarum, quæ ex suo proprio conceptu verè sunt id, quod sunt, à nemine negari debet, vt *suo loco* videbimus. Ad 9. Quæ quoad existentiam absolutam oppositа quoquo modo sunt, quoad quiditatem non sunt oppositа, imò nec sunt, vt sic in subiecto existente: quia vt verè sit vnumquodque id, quod de suo est, citra existentiam nullo subiecto existente indiget. Ex quo patet, ne quoad quiditatem quidem esse in voluntate Christi Domini odium Dei, aut alia peccata; sed quidquid de hoc sit, certè, vt non est indecens Christo Domino, quod eius voluntati præscindendo ab vnione sint possibilia, imò & futura sub conditione multa, & grauissima peccata (quod nemo sine nota negare potest: quia aliàs Christus verus homo non esset) ita multò minus erit indecens ipsi, quòd talia peccata ex conceptu suo quiditatiuè sint id, quod sunt, vt ex se patet. Quod solum fert sententia nostra. Ex quibus omnibus apertè concluditur; quæcumque ex illa in argumento facto tanquam absurda inferebantur, nihil omninò, bene intellecta, habere absurditatis.

Quartò arguitur. Radix contingentiæ creaturarum quoad existentiam est earum imperfectio, & 122
infinita distantia, quâ distant à perfectione Dei. Ergo tantumdem est dicendum de illis quoad essentiam. Tum ad perfectionem Dei spectat posse nolle efficaciter omne imperfectum, & à se infinitè distans quoad perfectionem. Ergo nullum est *esse* necessarium in creaturis, hoc enim Deus non posset efficaciter nolle. Hoc etiam argumentum ab obiicientibus, & ab omnibus est soluendum, iuxta dicta circa præcedens. Probat enim, si quid probat, hanc veritatem *Petrus est homo*, & similes, quæ citra omne dubium important aliquid distinctum ab entitate Dei, contingentes esse, Deumque proinde efficaciter, posse nolle, vt Petrus sit homo, quod est absurdum. Respondeo, admittendo radicem contingentiæ creaturarum quoad existendum esse earum imperfectionem, seu non infinitam perfectionem, de quo *suo loco*. Ex hoc tamen solùm sequi, earum essentias etiam esse contingentes in existendo, non item in essendo id, quod sunt, Deúmque proinde posse efficaciter nolle, vt existant; secus vt sint, quod de suo sunt. Nec ad perfectionem Dei pertinere, posse efficaciter nolle id, cuius contradictorium omninò est impossibile, vt patet. Aliud argumentum, quod hoc loco adiungunt Recentiores ex eo desumptum, quod actus existendi; & actus essendi non videntur diuersi, ex dictis circa secundum dilatum est.

123 Quintò arguitur. Tam necessaria veritas est hæc: *existentia est existentia*; vel: *existentia est possibilis*, quam hæc, & similes: *Petrus est homo*, vel: *Petrus est possibilis*: sed illa nō arguit in existentiâ duo *esse*, aliud essentiale, aliud existentiale: nā de hoc idem veniret dicendum, & abiremus in infinitum. Ergo nec cæteræ. Hoc etiam argumentum iuxta dicta ab omnibus soluendum est. Respondeo pro omnibus concedendo maiorem, & negando minorem, ad cuius probationem dico: nos quidem in distinguendis formalitatibus existentiæ, & essentiæ in infinitum syncategorematicè progredi posse, sicut & in multiplicandis cæteris quibusque formalitatibus transcendentibus, prout sæpè *in superioribus* dictum est, deincepsque dicetur, atque ita in quâuis formalitate existentiæ duas veritates inuenire, alteram quiditatiuam, & alteram existentialem. Videntes tamèn intuitiuè totam rem cum suâ existentiâ identificatam, bifariam iudicant absolutè, idque citra omnem progressum, & indiuisim. Primò per iudicium huic simile: *Res existit*. Secundò per iudicium huic simile: *Res est res*. Ex quibus primum ad sui veritatem petit, vt res existat: secundum non item.

124 Sextò denique arguitur. Veritas obiectiua huius obiecti: *Chymera est impossibilis* non identificatur cum chymerâ; ita enim fieret, vt duo extrema summè opposita, qualia sunt impossibile, & necessarium re verâ essent idem. Chymera namque est impossibilis, & eius impossibilitas est necessaria. Ergo nec cæteræ huiusmodi veritates necessariæ identificantur cum rebus, quibus attribuuntur; sed cum entitate Dei necessariâ. En alia Recentiorum deceptio quibusdam præcedentium similis. Nego antecedens. Ad eius probationem dico, impossibilitatem, & necessitatem, quas verè ex proprio conceptu, & secum identificatas habet chymera, nequaquàm esse extrema inter se opposita: quia prima est impossibilitas ad existendum; secunda necessitas ad essendum id, quod de suo est. Impossibilitas autem, & necessitas, vt inter se opponantur debent esse tales respectiuè ad eumdem actum, siue ad eumdem statum, vt sunt necessitas, & impossibilitas eiusdem rei in existendo; necessitásque, & impossibilitas eiusdem rei in essendo, quod est. Quomodò autem nihilominùs possit excogitari chymera impossibilis, quæ ex suo intrinseco conceptu sit necessaria necessitate impossibilitati oppositâ, *inferiùs disp.* 11. explicabimus. Cætera autem, quæ contra sententiam nostram possent opponi, facilè quisque diluet ex hactenus dictis.

125 Cæterùm adnotare oportet ad extremum huius quæstionis, nos in eâ tantùm tractasse de statibus rerum quiditatiuo, & existentiali, absoluto, & conditionato realibus, & veris. Sunt tamen præterea totidem similes status supposititi; à nostroque intellectu oriundi, prout cognoscente per species alienas, ad quos nonnullæ pertinent veritates, quæ licet fundamentum habeant in rebus ad aliquod spectans prædictorum statuum realium, prout tamen à nobis concipiuntur, & iudicantur à cognoscentibus per proprias species, neque conceptibiles, neque iudicabiles sunt. Sicque supposititium quemdam statum in mente nostrâ obiectiuè sortiri censentur, prout speciatim explicabimus *q.* 4. vbi de huiusmodi suppositiis statibus commodiùs dicetur; quidquid scitu, dictùque dignum fuerit.

## QVÆSTIO II.

### *Quid sit status rerum vagus, seu disiunctiuus, Et quotuplex?*

QVandoquidem status rerum, de quibus in præ- 126
sente *disp.* tractamus, ab earum veritatibus obiectiuis nihilo differunt, vti *q.* 1. sub initium statutum est: status rerum vagus, seu disiunctiuus ab earum veritatibus obiectiuis vagis, seu disiunctiuis nihilo differet. Dicuntur autem veritates vagæ seu disiunctiuæ, quæ non determinatè; sed vagè, seu sub disiunctione iudicandæ veniunt, vt sunt hæ: *Aliquis homo loquitur*, seu: *Hic homo vel ille, vel alter loquitur. Aliquid ex extremis contradictionis existit*; seu *vnum vel alterum ex extremis cōtradictionis existit*; & cæteræ huiusmodi. Nec aliter meliùs, quàm per exempla sunt termini isti explicabiles, seu definibiles, cùm sint ex notissimis.

Vt autem aliqua veritas obiectiua, seu, quod in 127
idem recidit, aliqua propositio obiectiua vaga, seu disiunctiua sit, sat est, quod aliquis terminus eius vagè, seu disiunctiuè sumatur, siue ille sit categorematicus, siue syncategorematicus, & siue ex parte subiecti, siue ex parte prædicati positum sit, quantumuis reliqui omnes accipiantur determinatè, vt satis ex se notum est. Per exemplaque declaratur. Istæ enim omnes veritates vagæ seu disiunctiuæ censendæ sunt. *Aliquis homo est possibilis*: *Alicuius hominis anima est possibilis*: *Petrus est aliquis homo*: *Petrus est filius alicuius hominis*: *Vestis facta à Petro, vel Ioanne est bona*: *Petrus habet vestem factam à Petro, vel Paulo*: *Necessarium est, Petrum produci per aliquam actionem*; siue: *Aliqua actio est necessaria, vt producatur Petrus*. Quod quidem perinde habet locum in propositionibus obiectiuis hypotheticis, atque in categoricis, tum incomplexis, tum complexis, iuxta dicenda, vt etiam est notum. Quod sit autem terminus categorematicus, quid syncategorematicus, & quid subiectum, quid prædicatum propositionis obiectiuæ, Logicis cunctis est notissimum, ex dictisque *in superioribus*, dicendisque *in sequentibus*, ampliùs notescet.

Porro veritas obiectiua vaga, seu disiunctiua du- 128
plex imprimis est. Altera necessaria, quæ prorsus est indefectibilis, vt. *Aliquis homo est possibilis*: *Petrus existit, vel non existit*. Altera contingens, quæ defectibilis est, vt *Aliquis homo loquitur*: *Petrus, vel Ioannes ambulat*. Necessaria autem rursus est duplex. Altera, cuius, vel omnia extrema, vel eorum aliquod seorsim, & determinatè sumpta necessaria sunt, vt: *Aliquis homo est possibilis*: *Deus, vel Petrus existit*. Prioris namque omnia extrema; nempe: *Hic homo est possibilis*: *Ille homo est possibilis* &c. seorsim, & determinatè sunt necessaria; posterioris autem illud tantùm: *Deus existit*. Altera, cuius omnia extrema seorsim, & determinatè sumpta contingentia sunt, vt: *Petrus, vel Petri negatio existit*, siue: *Petrus existit, vel non existit*. Quamuis enim est necessarium, Petrum existere, vel non existere; at Petrum existere seorsim contingens est, similitérque Petrum non existere.

Deinde veritas obiectiua vaga, seu disiunctiua 129
sumpta vniuersè triplex est. Alia, cuius omnia extrema seorsim & determinatè sumpta sunt vera, vt: *Petrus, vel Ioannes est possibilis*: *Petrus, vel Ioannes loquitur* (supposito, quod vterque loquatur) Verū quippe est seorsim, & determinatè, Petrū esse possibilem, similiterque, Ioannem esse possibilem. Tum in casu posito, Petrum loqui, & Ioannē loqui.

Alia

Alia est, cuius aliquod, aut aliqua extrema seorsim, & determinatè sumpta vera, & aliquod, aut aliqua falsa sunt, vt : *Deus, vel Anti-Christus existit: Aliquis homo loquitur.* Prioris namque illud extremum : *Deus existit*, verum est; illud tamen est falsum : *Anti-Christus existit.* Posterioris verò multa extrema determinatè sunt vera : quia multi sunt homines, qui loquuntur, & multa sunt falsa : quia multi etiam sunt homines, qui non loquuntur. Alia denique est, cuius omnia extrema seorsim, & determinatè sumpta sunt falsa, vt : *Necesse est, effectum produci per aliquam actionem : vnus, vel alter oculorum est necessarius ad videndum.* Istæ enim propositiones sunt falsæ : *Necesse est, effectum produci per hanc determinatam actionem, aut per hanc, aut per illam*, &c. *Dexter oculus est necessarius ad videndum : Sinister oculus est necessarius ad videndum* ; Cùm tamen illarum verarum omnia extrema seorsim, & determinatè sumpta contineant.

130 Prætereà propositio, atque adeò veritas obiectiua vaga, seu disiunctiua æquè ac determinata, alia categorica est, vt : *Aliquis homo ambulat* ; alia hypothetica, vt : *Si sol luceret, aliquis homo ambularet.* Et vtraque aut incomplexa potest esse, vt sunt eædem, aut complexa, vt istæ : *Vel Petrus loquitur, vel Ioannes ambulat : Si sol luceret, vel Petrus loqueretur, vel Ioannes ambularet*, &c. Postremò intra quoduis genus huiusmodi propositionum, seu veritatum obiectiuarum aliæ puræ negatiuæ, aliæ purè affirmatiuæ, seu positiuæ, & aliæ mixtæ possunt esse. Quorum omnium exempla obuia sunt, facilliméque ab vnoquoque possunt apponi.

131 Igitur, quod modò examinandum sequitur est : In quo consistat veritas obiectiua vaga, seu disiunctiua, & consequenter status rerum vagus, seu disiunctiuus, quodque sit verificatiuum ex parte rerum cuiusuis vagæ; seu disiunctiuæ propositionis. Quâ de re vix est, qui ex professo tractauerit Solùm Recentiores, cum quibus late egimus *suprà quæst.* 1. de veritatibus necessariis disiunctiuis, quemadmodùm de determinatis censent identificari cum Deo. Omne quippe obiectum necessariò verum ab entitate Dei necessariâ tanquam à formâ extrinsecâ suam veritatem obiectiuam mutuare putant, vt *ibi* retulimus. De veritatibus autem disiunctiuis, loquendo vniuersè communiter videntur sentire Auctores, dum rem attingunt, ea ex parte rerum in veritatibus determinatis alicuius, aut aliquorum ex extremis disiunctionis fundari. Atque ita sæpè dicunt, propositionem vagam, seu disiunctiuam pro verificatiuo habere illud *esse* determinatum, quod habet aliquod ex extremis suæ disiunctionis. E. g. hæc propositio : *Petrus, vel Ioannes existit*, solo Petro existente, est vera ab *esse* existentiali determinato, quod verè Petrus habet ; & in cæteris pariter.

132 Cæterùm pro exactâ difficultatis resolutione, quædam principia prorsus certa oportet summatim præmittere, quæ *inferiùs q.* 5. explicatius statuenda, aut etiâ demonstranda sunt. 1. Impossibile est, vt ex duobus extremis vnum, vel alterum sub disiunctione habeat re ipsâ esse absolutè, & neutrum eorum determinatè habeat re ipsâ esse absolutè. 2. Impossibile est, vt actus, quicunque ille sit, versetur per se circa vnum, vel alterum terminum sub disiunctione, ipsumve vt sic tangat, siue respiciat, & circa neutrum eorum versetur, neutrumve tangat, siue respiciat determinatè. 3. Impossibile est, vt actus, quicumque ille sit, conueniat per se vni, vel alteri subiecto sub disiunctione, & neutri eorum conueniat determinatè. 4. Veritas conditionata, determinataque, quâ vera est positio vniuscuiusque duorum extremorum sub conditione defectus alterius, æquialens est veritati absolutè disiunctiuæ, quâ vera est sub disiunctione positio alterutrius. Quocirca omnis eiusmodi conditionata veritas, omnisque propositio, atque iudicium ei correspondens æquiualenter disiunctiua dicentur, ad distinctionem veritatum disiunctiuarum, propositionumque, & iudiciorum eis respondentium, quæ formaliter talia sunt. 5. Quoties actus versatur conditionatè, determinatéque circa vnumquodque duorum extremorum sub hypothesi defectus alterius : per quamdam æquiualentiam censetur versari absolutè circa vnum, vel alterum eorum sub disiunctione. Vnde eiusmodi actus æquialenter disiunctiuus ex parte termini dicetur. 6. Quoties actus conditionatè, determinatéque conuenit vnicuique duorum subiectorum sub hypothesi defectus alterius, per quamdam æquialentiam censetur conuenire absolutè vni, vel alteri eorum sub disiunctione. Vnde eiusmodi actus æquialenter disiunctiuus ex parte subiecti dicetur.

Quæ cùm ita sint colligo primò. Nullum dari 133
posse actum, siue respectum aut connexionis, aut exigentiæ, aut imperij, aut cognitionis ; aut cuiusuis demum alius rationis tendentem per se formaliter, & absolutè in vnum, vel alterum terminum sub disiunctione, & in eorum neutrum determinatè. Hoc namque ex *principio* 2. repugnat. Vnde, quoties aliquis huiusmodi actus, siue respectus adstrui videtur, dumtaxat id fit per æquialentiam, iuxta *principium* 5. Hinc, cùm dicitur aliquod subiectum connecti cum vno, vel altero termino, & cum neutro determinatè : quia sine alterutro esse potest, non tamen sine vtroque perinde est, ac dicere, tale subiectum determinatè connecti cum quouis talium terminorum ex hypothesi defectus alterius. Et cùm dicitur, aliquod subiectum exigere alterutrum ex duobus extremis, & neutrum determinatè, perinde est, ac dicere, tale subiectum exigere determinatè quoduis eorum extremorum, ex hypothesi, quòd negetur ei alterum. Et cùm dicitur, per imperium aliquod imperari alterutrum duorum actuum, & neutrum determinatè, perinde est, ac dicere, per tale imperium imperari quemuis eorum actuum determinatè sub hypothesi omissionis alterius. Et in cæteris pariter. Vnde rursus efficitur, nullam posse dari necessitatem ad vnum, vel alterum extremum, quæ ad neutrum sit determinatè : quia necessitas ad quidpiam actus quidam, siue respectus est ad illud ex suo conceptu. Vnde, cùm dicitur quidpiam necessitatum esse ad hoc, vel illud extremum sub disiunctione ; non verò ad hoc, aut ad illud determinatè, perinde est, ac dicere, necessitatum esse ad quoduis talium extremorum determinatè, ex hypothesis defectus alterius. Similiter item : cùm dicitur quidpiam necessarium esse, seu requisitum, vt detur vnum, vel alterum extremum sub disiunctione; non verò, vt detur hoc, aut illud determinatè; perinde est, ac dicere, tale quidpiam necessarium esse, seu requisitum, vt detur quoduis talium extremorum, ex hypothesi, quòd non detur alterum. Pariterque in reliquis huiusmodi.

Secundò colligo, nullum posse dari actum, 134
siue respectum, aut connexionis, aut exigentiæ, aut imperij, aut cognitionis, aut cuiusuis demùm alius rationis conuenientem per se formaliter

maliter & absolutè vni, vel alteri subiecto sub disiunctione, & neutri eorum determinate. Vnde quoties aliquis huiusmodi actus, siue respectus additui videtur, dumtaxat id fit per æquiualentiam, iuxta *principium* 6. sic, cùm dicitur, necesse esse, vt existat vnum, vel alterum duorum sub disiunctione, non verò, vt existat hoc, aut illud determinatè, perinde est, ac dicere, necesse esse, vt existat vnumquodque eorum sub hypothesi defectus alterius. Et cùm dicitur, vnum, vel alterum duorum sub disiunctione ad quidpiam necessarium esse, seu requisitum; neutrum verò determinatè, perinde est, ac dicere, vnumquodque eorum ad tale quidpiam necessarium, seu requisitum esse ex hypothesi defectus alterius. Paritérque in similibus.

135 Adnotarè tamen oportet: bifariam dici subiectum versari per actum circa terminum ſsub aliquâ hypothesi, seu conditione. Primò, conditione se habente ex parte ipsius actus; quo casu actus dicitur conditionatus ex parte sui, & absolutus ex parte termini. Secundò, conditione se habente ex parte ipsius termini; quo casu actus dicitur absolutus ex parte sui, & conditionatus ex parte termini. Quoniam in primo casu actus non habet absolutè esse, donec purificatur conditio; hoc est, donec conditio habet esse absolutè: eo quòd conditio quid requisitum est, siue conducens aliquo modo, vt actus habeat esse: quocirca ante purificationem conditionis solùm est verum, fore vt ponatur actus, si ponatur conditio. Semel tamen positâ conditione, & cum eâ actu, absolutè iam verum est, & actum habere esse absolutè, & illum respicere suum terminum absolutè, siue absolutum à conditione. In secundo verò casu actus independenter à purificatione conditionis se habentis ex parte termini habet esse absolutè; respicit tamen terminum ipsum, vt conditionatum, hoc est, vt connotantem conditionem, non quidem absolutè positam; sed suppositam in hypothesi. Videntur autem solus intellectus, & voluntas habere posse actus conditionatos ex parte termini, siue obiecti: quia solus intellectus potest facere hypothesin, in quâ ponatur conditio per ipsum obiectum connotanda: voluntas autem in obiectum tendit sibi propositum ab intellectu. Quod si ita est, reliquorum subiectorum actus ex parte sui dumtaxat, non verò ex parte termini conditionati esse poterunt. Id certum, plerosque saltem eorum eiusmodi esse.

136 Hinc. Bifariam quoque potest subiectum versari per actum circa vnumquemque duorum terminorum sub conditione defectus alterius. Primò, habente se tali conditione ex parte actus. Secundò, habente se ex parte terminorum. Et in vtroque quidem casu tale subiectum circa vnum, vel alterum talium terminorum sub disiunctione per quamdam æquiualentiam censetur absolutè versari, tamersi diuersimodè. Sit pro exemplo prioris casus subiectum connexum cum A, si deficit B, paritérque cum B, si deficit A. Pro exemplo autem posterioris sit intellectus iudicans existere A, si deficit B, paritérque existere B, si deficit A. In primo enim casu, eo ipso, quòd subiectum talis naturæ est, vt non possit non absolutè habere actum connexionis cum A, si absolutè deficiat B, similiterque cum B, si absolutè deficiat A, etsi ante talium conditionum purificationem neutro eorum terminorum absolutè connexum sit connexione formali; æquiualenter tamen cum alterutro sub disiunctione censetur absolutè connexum: quia esse subiectum talis naturæ, vt non possit existere sine A deficiente absolutè B, similitérque sine B, deficiente absolutè A, perinde est, ac esse talis naturæ, vt non possit existere sine ambobus; quod ipsum est non posse existere, quin existat alterutrum; atque adeò cum alterutro connexum esse. In secundo autem casu, hoc ipso, quòd verum sit conditionatè, existere A, si deficit B, paritérque exitere B, si deficit A, non potest non esse absolutè verum, non deficere vtrumque, quod ipsum est esse absolutè verum æquiualenter existere alterutrum; atque ita intellectum iudicare conditionatè existere A, si deficit B, pariterque exitere B, si deficit A, æquiualenter est iudicare absolutè existere alterutrum sub disiunctione.

Iam verò factâ comparatione actus ad subiectum, 137
scire opus est, quoties actus subiecto conuenit sub aliquâ conditione (siue ea se habeat ex parte subiecti, eo quòd subiectum nisi, vt connotans illam nequit exerceri per actũ; siue se habeat ex parte actus, eo quòd actus sine illâ esse non potest) necessariò deberi talem conditionem dari absolutè ad hoc, vt tale subiectum absolutè exerceatur per talẽ actum; eo quòd sine illâ absolutè positâ, aut subiectum non erit absolutè idoneum ad actum, aut actus absolutè non dabitur.

Vnde rursus fit, quoties actus habens determi- 138
natum terminum vnicuique duorum subiectorum conuenit sub conditione defectus alterius, vndecumque se habere dicatur talis conditio, perinde philosophandum esse, atque in priori casu duorum præcedentium comparationis actus ad terminum, atque ita dicendum; tunc quidem actum per quamdam æquiualentiam censeri conuenire absolutè, vni, vel alteri subiectorum sub diiunctione. E.g. eo ipso, quod conditionatè determinatèque verum est, existere necessariò A, si deficit B; similiterque existere necessariò B, si deficit A, æquiualenter verum est absolute, & sub disiunctione existere necessariò A vel B. Nam hoc ipso, quòd A, & B talis naturæ sunt, vt non possit non existere quoduis eorum, casu, quod alterum deficiat, impotentiam habent naturâ suâ ad non existendum ambo simul, quod ipsum est per æquiualentiam vnum, vel alterum sub disiunctione, & absolutè necessariam existentiã habere, seu necessariò existere. His positis sit.

## *Propositio 1.*

Nulla veritas obiectiua datur, quæ ex parte re- 139
rum sit vaga, seu diiunctiua formaliter: benè tamen, quæ æquiualenter.

Prior pars propositionis constat ex principiis statutis *n.* 132. iuxta quæ omnia, quæ ex parte rerum verè iudicabilia sunt, omnimodis determinata sunt tum in essendo, tum in respiciendo, tum in terminando respectum; nullumque subinde iudicabile verè aut in essendo, aut in respiciendo, aut in terminando respectum re ipsâ est vagum, seu disiunctiuum. Quod ipsum est, nullam veritatem obiectiuam dari, quæ sit re ipsà vaga, seu disiunctiua, vt constat.

Posterior autem pars propositionis inde constat: 140
quia sæpè datur ex parte rerum veritas obiectiua conditionata complexa, quam æquiualenter vagam, seu disiunctiuam appellamus, vt constat ex dictis *n.* 132. *& sequentibus.* Vniuersaliter enim sæpè ex duobus extremis vnumquodque est determinatè verum sub conditione defectus alterius, in quo stat veritas eorum æquiualenter disiunctiua, vti euenit

quando

quando extrema opposita sunt intra medium, sæpéque alias.

141 Ex hac propositione sequitur primò, cognoscentes per proprias species nullam habere cognitionem, quæ ex parte obiecti formaliter vaga, seu distinctiua sit, id est, tangens vnum, vel alterum obiectum vagè, seu disiunctiuè, neutrum verò determinatè. Primò: quia cognitio sic tangens obiectum, idque non per interpositum substitutum; sed per se immediatè, qualiter tangit omnis per propriam speciem habita, impossibilis est, vt constat ex dictis *numero 33*. Secundò: quia cognoscentes per proprias species, cuncta cognoscunt, vt sunt in se, adeò vt qualia sunt in se si dantur, aut essent, si darentur, talia sint repræsentatiuè, siue obiectiuè in sui cognitione, prout amplius constabit ex dicendis *disputatione 13*. Nihil autem est in se vagum, seu disiunctiuum formaliter, vt ex propositione constat. Habent tamen cognoscentes per proprias species multa iudicia ex parte obiecti vaga, seu disiunctiua æquiualenter, quibus nimirum iudicant veritates obiectiuas vagas, seu disiunctiuas æquialenter, quæ ex parte rerum dantur, & quas subinde res ipsæ habent in se, vt etiam propositio fert. Talia enim iudicia re verâ, & formaliter ex parte obiecti determinata, atque conditionata sunt.

142 Secundò sequitur, omne obiectum vagum, seu disiunctiuum formaliter per nostram rationem dumtaxat, supposititiéque tale esse. Titulo namque cognoscendi per species alienas obiecta formaliter vaga, seu disiunctiua habere possumus, sæpéque habemus, qualia neque habere possunt, neque habent cognoscentes per proprias. Vt enim à nobis cognoscentibus per species alienas, atque adeò per aliena substituta, iuxta doctrinam latè expositam *disp. 2. q. 3.* obiecta, quæ in se sunt nihil, cognoscuntur, vt aliquid, & quæ in se sunt plura, cognoscuntur, vt vnum, & quæ in se sunt vnum, cognoscuntur, vt plura, & que in se sunt quantitatis expertia, cognoscuntur, vt quanta, prout ibidem etiam est dictum; ita obiecta, quæ in se sunt determinata, cognoscuntur, vt vaga, seu disiunctiua. Quod fit, subrogatis ab intellectu substitutis determinatis (quæ tantùm per se immediatè tangit cognitio) ad cognoscendum in illis vago quodam, seu disiunctiuo modo alia obiecta, quæ eo ipso in ratione obiectorum vaga, seu disiunctiua euadunt. Consistit autem hic modus vagus, seu disiunctiuus in eo quòd principia determinantia intellectum ad faciendam subrogationem talium substitutorum pro aliis obiectis cognoscendis, exigentia quadam æquiualenter vaga, seu disiunctiua aliquod horum vagè exigunt, quatenus talis naturæ sunt, vt exigant esse hoc ex hypothesi, quòd non sit illud; pariterque esse illud ex hypothesi, quòd non sit hoc. Quod ipsum est æquialenter exigere vnum, vel alterum esse sub disiunctione, vt constat ex doctrinâ præmissâ à *n. 135*. Quemadmodùm enim tunc intellectus noster vnam tantùm obiecti formalitatem præ aliis identificatis cum illa in alieno substituto præcisiuo modo cognoscit, quando principia illum determinantia ad subrogandum tale substitutum pro cognoscendo tali obiecto, dumtaxat quantùm est ex se exigunt, quòd illud talem habeat formalitatem, prout *loco citato* explicuimus, explicaturi latius *infrà disput. 13. quæst. 9.* Ita intellectus noster tunc vnum, vel aliud obiectum in alieno substituto quoad aliquod eorum *esse* vago, seu disiunctiuo modo cognoscit, quando principia illum determinantia ad subrogandum tale pro cognoscendis iis obiectis quoad tale *esse* dumtaxat exigunt, quòd eorum vnum, vel alterum sub disiunctione tale *esse* habeat actu quodam exigentiæ disiunctiuo æquiualenter ex parte termini. E. g. iudicium hoc nostrum: *Petrus vel Ioannes loquitur*, eatenus in substituto alieno, eoque determinato censetur tangere loquutionem Petri, vel Ioannis vagè, seu disiunctiuè, quatenus principia ad illud determinantia ex se amplius non petunt, quàm quòd existat loquutio Petri casu, quòd desit loquutio Ioannis; & quòd existat loquutio Ioannis, casu quòd desit loquutio Petri. Quod ipsum est petere, vt ambæ simul non deficiãt; atque ita petere æquiualenter, vt existat vna, vel altera sub disiunctione, & in cæteris pariter. Ex quibus patet, cur cognitio habita per species alienas possit, habere obiectum vagum; cùm habita per proprias non possit. Quia nimirum obiectum vagum in se ipso, qualiter per hanc tangi deberet, non est tangibile in alieno tamen substituto, qualiter tangitur per illam, tangibile est, vt constat ex dictis.

143 Tertiò sequitur, statum obiectorum vagum, seu disiunctiuum formaliter, ex parte rerum non se habere; atque adeò neque verum, & realem statum earum dicendum esse; sed supposititicium dumtaxat, à nostro intellectu oriundum, prout cognoscente per species alienas. Cùm tamen status obiectorum vagus, seu disiunctiuus tãtùm æquiualenter ex parte rerum se habeat, atque adeò verus, & realis earum status dicendus sit. Est enim quidam status earum conditionatus, & omnis status rerum conditionatus verus, realisque status earum est, vt constat ex dictis *hic*, & *quæst. 1.*

144 Quartò sequitur, propositionem vagam, seu disiunctiuam bifariam vsurpari posse. Primò: in sensu æquiualenter tantùm vago, seu disiunctiuo, quo pacto æquialet conditionatæ enuncianti determinatè vnumquodque extremum disiuncti sub conditione defectus alterius. Secundò in sensu formaliter vago, seu disiunctiuo; quo pacto absolutè enunciat vnum, vel alterum extremum disiuncti sub disiunctione, seu aliquod eorum vagè, neutrum verò determinatè. Et in hoc quidem posteriori sensu, nostris dumtaxat iudiciis per species alienas correspondere potest. In priori verò, & nostris, & eorum, qui iudicant per species proprias, vt constat ex dictis.

145 Quintò sequitur, verificatiuum propositionis æquialenter tantùm vagæ, seu disiunctiuæ, in sensuve eiusmodi vsurpatæ, veritatem illlam esse obiectiuam, æquialenter pariter vagam, seu disiunctiuam, quâ vera est positio vniuscuiusque extremi disiuncti sub conditione defectus alterius; quæ quidem veritas conditionata est, ad statumque subindè conditionatum rerum pertinet, qui prior naturâ est statu earumdem âbsoluto quando, & hunc etiam illæ habent, iuxta posteà dicenda. Idemque verificatiuum habet iudicium tali propositioni respondens, iuxta dicta nuper, verificatiuum tamen propositionis formaliter vagæ, seu disiunctiuæ, in sensuve eiusmodi vsurpatæ, veritatem determinatam, & absolutam, ad statúmque subinde rerum absolutum spectantem esse alterius ex extremis disiuncti. Ad veritatem enim talis propositionis sicut, & iudicij ei respondentis, sat est, quòd vnum ex extremis disiuncti absolutè habeat esse, neque opus est, quòd vnumquodque eorum habeat esse conditionatè sub conditione defectus alterius. Quando autem omnia extrema disiuncti absolutè habent esse, quoduis eorum seorsim est verificatiuum sufficiens talis propositionis, atque iudicij.

146 Vnde obiter colligo cum communi Doctorum sententia contra vnum, aut alterum opinantem oppositum, ad veritatem propositionis formaliter disiunctiuæ necessarium non esse, quòd vnum dumtaxat ex extremis disiuncti habeat esse absolutè, sitque proinde verum absolutè, & determinatè; quamuis enim talia sint omnia, propositio erit vera, vtpote, quæ ita vnum eorum adstruit vagè, seu disiunctiuè, vt cætera nequaquàm excludat. Qui enim dicit: *Aliquis homo loquitur*, siue: *Hic homo, vel ille, vel alter loquitur*, ita affirmat, loqui vnum hominem, quicumque ille sit, vt non neget cæteros loqui, præscindit enim ab eo, quòd alij loquantur, aut secùs. Vnde propositio vera est, etiamsi loquantur plures, vel omnes. Paritérque de cæteris huiusmodi propositionibus, de iudiciisque eis respondentibus censendum est.

147 Sextò sequitur, omnem veritatem æquiualenter disiunctiuam à nobis cognoscentibus per species alienas bifariam iudicabilem esse. Primò, per iudicium æquiualenter disiunctiuum, quod re verâ non disiunctiuum sit. Sed conditionatum de vnoquoque extremo disiuncti sub conditione defectus; qualiter etiam iudicant eam veritatem cognoscentes per proprias species. Secundò, per iudicium formaliter disiunctiuum, quale illi habere non possunt. Quod quidem semper erit verum, quamuis eius verificatiuum non sit ea veritas conditionata, quà talis; sed veritas absoluta vnius ex extremis disiuncti, iuxta dicta *n.* 145. Quippe ea conditionata necessariò fert semper secum hanc absolutam; cùm sit impossibile esse conditionatè verum vnumquodque extremum disiuncti sub conditione defectus alterius, & non esse absolutè verum vnum eorum iuxta *principium* 4. *n.* 132. statutum, & demonstrandum *infrà. q.* 5.

148 Septimò sequitur à nobis cognoscentibus per species alienas multa alia insuper obiecta iudicari posse iudicio formaliter disiunctiuo, & vero præter illa, quæ secum ferunt eam veritatem æquiualenter disiunctiuam, de quâ *num. præced.* quia multa sunt disiuncta, quorum vnum extremum absolutè est verum, prout satis est, iuxta dicta ad verificanda iudicia eorum disiunctiua formaliter; Cùm tamen non sit verum quoduis eorum sub conditione defectus alterius. Id enim imprimis semper euenit, quoties extrema disiuncti absolutè habent esse, & inter se connexa sunt aut mutuò, aut non mutuò; tunc enim vnumquodque eorum est absolutè verum, cùm tamen non sit vnumquodque eorum verum sub conditione defectus alterius; siquidem connexum cum altero sub conditione, quòd hoc deficiat esse non potest. Deinde etiam id sæpè euenit, tametsi extrema disiuncti connexa non sint: quia de extremo non habente esse absolutè, quando alterum habet, verum est etiam non habiturum casu, quo hoc deficeret; atque adeò vera non est vniuscuiusque positio sub conditione defectus alterius. Ex quibus apparet, quomodò cognoscentes per species alienas multò plura iudicia disiunctiua, eáque vera, & circa multò plura iudicca disiunctiua, eáque vera, & circa multo plura obiecta possint habere, quàm cognoscentes per species proprias,

## *Propositio* 2.

149 Omnis veritas obiectiua necessaria, quæ à parte rei, atque adeò solùm æquiualenter est disiunctiua, iuxta *propos.* 1. realiter est indistincta ab extremis disiuncti; atq; adeò adæquatè est distincta à Deo quotiescunque non est Deus vnum ex ipsis extremis disiuncti.

Hæc propositio eisdem argumentis venit probanda contra Recentiores commemoratos *n.* 131. quibus contra eosdem probauimus *q.* 1. *propos.* 1. veritates obiectiuas necessarias rerum realiter distinctarum à Deo realiter quoque ab ipso Deo distinctas esse, vtpote identificatas realiter cum rebus ipsis. Ea quippe omnia argumenta vniuersalia sunt pro omnibus veritatibus obiectiuis necessariis rerum realiter distinctarum à Deo, e quorum numero est veritas, de quâ agimus in præsenti; siquidem, & est veritas necessaria rerum realiter distinctarum à Deo; & iuxta dicta paulò ante ad statum conditionatum necessarium talium rerum spectat, de quo etiam *ibi* fuit sermo. Quare prædicta argumenta non à nobis repetenda; sed ab vnoquoque applicanda præsenti propositioni sunt.

Insuper tamen potest ea speciatim probari. Primò: quia veritas hæc obiectiua necessaria. *Petrus existit, vel non existit*, quæ ex earum genere, de quibus modò agimus est iuxta dicenda postmodùm, omnimodis, & sub quibusuis concepta terminis longè euidentior est, quàm hæc: *Deus existit*: ergo non sunt eadem veritas obiectiua. 150

Secundò: quia veritas necessaria huius disiuncti: *Petrus existit, vel non existit*, non est determinata, & absoluta veritas, vt constat. Sed veritas identificata cum Deo determinata, & absoluta veritas est, vt etiam constat. Ergo veritas necessaria huius disiuncti *Petrus existit, vel non existit* non est identificata cum Deo. 151

Tertiò. Si ab existentiâ Dei necessaria tanquam à formâ merè extrinsecâ proueniret, quòd esset necessariò verum disiunctum hoc: *Petrus, vel Petri negatio existit*, & non à peculiari naturâ extremorum eius, vt Aduersarij putant, ab eádem existentiâ Dei necessariâ, tanquam à formâ merè extrinsecâ euaderet quoque necessariò verum disiunctum hoc: *Petrus, vel Ioannes existit*. Quod tamen est absurdum. Recognosce argumentum simile latiùs propositum in simili *loco citato*. 152

Quartò à priori, vt omittam cætera. Ideò veritas disiunctiua extremorum citra medium oppositorum (qualia sunt contradictoria, & multa contraria, iuxta dicenda *disp.* 14.) necessaria est: quia eiusmodi extrema talis naturæ sunt, vt non possint ambo simul deficere; & ideò veritas disiunctiua extremorum, quæ simul deficere possunt, nunquàm est necessaria, vt posteà ostendemus. Igitur veritas disiunctiua extremorum citra medium oppositorum, eiusque necessitas ab ipsis extremis est indistincta, atque adeò nullatenùs est identificata cum existentiâ Dei. Et confirmari potest apertè, quia si ponamus duo extrema moraliter tantùm esse citra medium opposita, vt sæpè contingere potest, eorum veritas disiunctiua moraliter tantùm necessaria erit, quin sit necessaria vllo modò determinata, & absoluta veritas cuiusuis eorum; & tamen tunc ea necessitas moralis à necessitate Dei metaphysicâ non proueniet; sed ab ipsorũ extremorum naturâ, vt constat. Igitur tantumdem dicendum est de veritate disiunctiuâ extremorum metaphysicè citra medium oppositorum, quorũ nullius determinata, & absoluta veritas necessaria est. Deinde confirmari potest: quia veritas obiectiua cõtingens, quæ à parte rei est disiunctiua, cõuenienſq; iubindè re ipsâ ambobus extremis disiuncti, etiã quando alterũ tantùm verũ est determinatè, & absolutè, neque est identificata cum Deo: quia Deus non est quid contingens; neque est 153

identifi

identificata adæquatè cũ altero tantùm extremorum disiuncti, cùm æqualiter, & eodem modo conueniat vtrique. Ergo est indistincta ab vtroque prout pertinente ad statum realem diuersum ab statu determinato, & absoluto. Qui quidem status quidam conditionatus est, in quo vnumquodque extremorum disiuncti conditionatè, æqualitérque, & eodem modo est verum sub conditione defectus alterius, vt *superiùs* est explicatum. Tantumdem ergo censendum est de veritate obiectiua necessaria, quæ à parte rei est disiunctiua; de qua *in propositione* agimus.

154 Opponunt tamen Aduersarij contra propositionem. Necessarium modo est, quòd Petrus existat, vel non existat. Ergo modò datur necessitas Petri: sed talis necessitas neque est Petrus, nec eius negatio, quorum alterutrum datur modò: quia vtrumque est quid contingens; neque est aliud quidpiam à Deo distinctum: quia solus Deus inter omnia, quæ modo dantur est quid necessarium. Ergo est ipse Deus. Ergo necessitas veritatis, atque adeò necessaria veritas disiuncti existentiæ, vel non existentiæ Petri identificata est cum Deo. Respondeo, necessarium modò esse, quòd Petrus existat, vel non existat, non necessitate absoluta; sed necessitate conditionata, siue ex hypothesi: hanc autem prorsus esse indistinctam ab ipsa existentia, & non existentia Petri, distinctamque subinde prorsus ab entitate Dei. Esse quippe necessarium, quòd Petrus, vel Petri negatio existat, aliud non est, quàm esse necessarium, quòd Petrus existat ex hypothesi, quòd deficiat negatio Petri: paritérque, quòd existat negatio Petri, ex hypothesi, quòd deficiat Petrus. Vnde modo nulla datur necessitas absoluta existentiæ, vel non existentiæ Petri; sed tantùm est verum conditionate, existere necessariò Petrum, si non existit Petri negatio; & existere necessariò negationem Petri, si non existit Petrus. Id, quod, & non ampliùs significare intendimus, cùm dicimus. Necesse modo est quòd Petrus, vel Petri negatio existat. Neque interest ad rem, quòd apud cognoscentes per proprias species, & consequenter non formantes, vti nos, positiuos negationum conceptus, iuxta doctrinam *supra* statutam *disp. 9. q. 3.* Veritas hæc complexa conditionata, cui disiunctiua æquiualet: *Necesse est existere Petrum, si deficit eius negatio: & existere negationẽ Petri, si deficit Petrus*, alia non sit ab hac: *Necesse est, Petrum existere, si existit: & non existere, si non existit.* Hoc, inquam, ad rem præsentem nihil interest, vt patet. Cætera, quæ ex Recentiorum mente hìc possunt opponi, in simili sunt iam oppositа, dilutáque *q. 1. post propos. 5.* Recognoscantur.

155 Excepi autem à doctrina propositionis disiunctum, quorum extremorũ vnum est Deus, vt: *Deus existit, vel non existit*: quia certum est, vt veritatem disiunctiuam huius inadæquate saltem esse identificatam cum Deo, vtpote conuenientem ipsi, vt vni ex extremis disiuncti veri. Ex quibus omnibus apparet, quomodo status disiunctiuus, & necessarius rerum, ad quem pertinẽt veritates, de quibus in propositione, realiter à Deo distinctus sit.

## *Propositio 3.*

156 Omnis veritas obiectiua necessaria, quæ per rationem nostram dumtaxat, atque adeo formaliter est disiunctiua, iuxta doctrinam statutam *propos. 1.* ab eo extremo disiuncti est realiter indistincta, quod veritatem necessariam determinatam, & absolutam habet; realitérque proinde est distincta à Deo, cùm tale extremum Deus non est.

Prior pars propositionis constat ex dictis *prop. 1.* quia tale extremum verificatiuum est propositionis disiunctiuæ, cui talis veritas correspondet, iuxta *ibi* dicta. veritas autem obiectiua correspondens propositioni disiunctiuæ aliud non est à parte rei ab eius verificatiuo. Posterior autem propositionis pars ex dictis *q. 1. propos. 1.* constat. Vbi ostensum est latè omnem veritatem necessariam determinatam, & absolutam conuenientem extremo, quod non est Deus, realiter à Deo ipso distinctam esse. Pro exemplo autem veritatum, de quibus est sermo in propositione sint hæ: *Petrus est possibilis, vel existit: Petrus, vel Ioannes est possibilis: chymera est impossibilis, vel non existens*, &c. Exceptionis autem exempla sunto. *Deus, vel homo existit: Deus vel homo est possibilis: Deus est possibilis vel existens*, &c.

Adnotare tamen oportet: quando vtrumque extremum disiuncti, de quo in propositione est sermo, determinatè, & absolutè est verum, vtrumuis seorsim esse sufficiens verificatiuum propositionis disiunctiuæ necessario veræ habentis pro obiecto tale disiunctum, iuxta dicta *loco citato*; atque adeo cum vtrouis seorsim identificari realiter veritatem obiectiuam necessariam talis propositionis, dummodo vtrumque sit necessarium: si namque alterum sit contingens, etsi hoc etiam determinatè, & absolutè sit verum, neque erit verificatiuum sufficiens dictæ propositionis prout necessariò veræ, neque cum eo identificabitur veritas eius obiectiua necessaria, de qua modò agimus: quia in veritate contingente veritas necessaria fundari non potest, vt patet. 157

Ex quibus colligitur, statum realem veritatum necessariarum, de quibus agit propositio, aliud non esse ab statu, quem habent necessaria disiunctorum extrema, quatenus vera determinatè, & absolutè, quo pacto illas fundant. Qui status proinde realiter est distinctus à Deo, quantumuis necessarius sit, quando talia extrema realiter sunt à Deo distincta, vt constat ex dictis. Statum verò suppositiũ ab intellectu nostro oriundum, quem tales veritates habent, quatenus disiunctiuæ formaliter, ab actibus, & obiectis nostri intellectus non esse distinctum, ex dictis etiam colligere est. 158

## *Propositio 4.*

Omnis veritas obiectiua contingens, quæ à parte rei, atque solùm æquiualenter est disiunctiua, iuxta *propos. 1.* realiter est indistincta ab extremis disiuncti. 159

Quia re vera veritas quædam est conditionata complexa, qua vnumquodque talium extremorum est verum sub conditione defectus alterius, vt constat ex dictis; & omnis veritas obiectiua conditionata ab ipsis obiectis conditionatè veris est realiter indistincta, iuxta doctrinam latè statutam *q. 1.* vnde status realis talium veritatum, qui ab eis est indistinctus, ab ipsis quoque extremis disiuncti indistinctus est. Sint autem pro exemplo huiusce modi veritatum istæ: *Petrus, aut dormit, aut loquitur: Ioannes, aut luget, aut ridet*; supposito, quod vtriusque quoduis extremum verum sit sub conditione defectus alterius, vt fieri potest.

## *Propositio 5.*

Omnis veritas obiectiua contingens, quæ per 160

rationem nostram dumtaxat, atque adeò formaliter est disiunctiua, iuxta doctrinam statutam *propositione* 1. ab eo extremo disiuncti est realiter indistincta, quod veritatem contingentem, & absolutam habet.

Quia tale extremum veficatiuuum est propositionis disiunctiuæ, cui talis veritas correspondet, iuxta dicta *ibidem*. Veritas autem obiectiua propositionis disiunctiuæ aliud non est à parte rei ab eius verificatiuo, prout dicebamus in simili *propositione* 3. Vnde patet, statum realem talis veritatis alium non esse ab statu reali eiusmodi verificatiui. Cùm tamen status suppositicius eius prout formaliter disiunctiuæ in nostro intellectu sedem habeat, iuxta dicta etiam in simili *propos.* 3.

161 Ex dictis hactenus in *hac quæst.* colligo primò, statum rerum disiunctiuum duplicem esse. Alium realem, qui æquialenter tantùm est disiunctiuus, & re vera determinatus, conditionatusque, vt explicuimus. Alium suppositicium, quia à nostro intellectu venit oriundus, prout est formaliter disiunctiuus, cùm tamen veritates obiectiuæ, disiunctiuæque ad illum spectantes eatenus suum quoque statum realem habeant determinatum, & absolutum, quatenus in veritatibus determinatis, & absolutis fundantur, quas disiunctorum extrema re ipsa habent, prout etiam explicatum est.

162 Secundò colligo, vtrumque statum disiunctiuum prædictum rursus duplicem esse. Necessarium scilicet, & contingentem. Ad primum omnes veritates disiunctiuæ necessariæ. Ad secundum omnes contingentes spectant; nempe ad statum necessarium realem, qui æquialenter tantùm est disiunctiuus, & re vera determinatus, conditionatúsque, veritates ei respondentes; quæ vt non sunt re vera absolutæ; sed hypotheticæ; ita necessitas earum non est absolutè; sed ex hypothesi. Qua fit, vt disiunctū, cuius omnia extrema sunt absolutè contingentia, veritatem necessariam ad talem statum pertinentem possit habere; sicque de vno, vel altero extremo disiuncti sub disiunctione possit verè dici necessitas, quæ falsò dicitur de vtrouis determinatè, & absolutè. Ad statum verò necessarium supositicium, qui per rationem nostram duntaxat est formaliter disiunctiuus, illæ pertinent veritates, quæ in veritate determinata absoluta, & necessaria alicuius ex extremis disiuncti fundantur; quarum proinde necessitas alia non est à necessitate determinata & absoluta, quam habet tale extremum, aut in existendo, si sit Deus, vel negatio chymeræ; aut in essendo, quod de suo quiditatiuè est, si sit aliud quidpiam, iuxta doctrinam latè expositam, *quæst.* 1. Similiter ad statum contingentem realem, qui æquialenter tantùm est disiunctiuus, veritates ei respondentes pertinent, quæ cum sint re vera conditionatæ non absolutè solùm; sed ex sua hypothesi debent manere contingentes; quod euenit, quando conditio connexa non est cum conditionato. Ad statum verò contingentem suppositicium, qui tantùm per rationem nostram est formaliter disiunctiuus, illæ veritates pertinent, quæ in veritate determinata, absoluta, & contingente alicuius ex extremis disiuncti fundantur, cuius proinde contingentiam absolutam dumtaxat habent.

163 Tertiò colligo; solùm disiunctum extremorum, quorum contradictoria mutuò opponuntur habere posse veritatem spectantem ad statum necessarium, qui æquialenter tantum est disiunctiuus: quia vnumquodque talium extremorum dumtaxat est necessariò verum sub conditione defectus alterius, prout ad talem veritatem requiritur; eo quòd cuiusuis eorum defectus cum positione alterius est necessariò connexus. Sunt autem extrema huius generis omnia citra medium opposita aut contradictoriè, aut contrariè, iuxta dicenda *disp.* 14. necnon, quæ cùm non sint opposita, contradictoria tamen opposita habent; proindeque, etsi possint simul esse; at non possunt simul deficere. Vnde patet, nullum disiunctum extremorum, quæ simul deficere possunt, eo quòd compatibiles sunt eorum defectus, veritatem necessariam habere posse ad dictum statum pertinentem.

Quartò colligo: nullum disiunctum extremorum, 164
quæ inter se connexa sunt aut mutuò, aut non mutuò, veritatem habere posse spectantem ad statum, aut necessarium, aut contingentem, qui æquialenter tantùm est disiunctiuus: quia non potest esse verum vnumquodque talium extremorum sub conditione defectus alterius, prout ad talem veritatem requiritur; eo quòd defectus illius, quod terminat connexionem alterius cum positione huius stare non potest, vt constat. Ex quo patet, extrema disiuncti habentis veritatem ad aliquem dictorum statum spectantem, mutuo inter se connexa debere esse.

Quintò colligo. Quoties extremum aliquod ab- 165
solutum, determinatamque veritatem habet, disiunctum ex illo, & ex alio quopiam veritatem habere spectantem ad statum, qui supposititicè, & per rationem nostram dumtaxat est formaliter disiunctiuus; nempe ad statum huiusmodi necessarium, si veritas determinata, & absoluta talis extremi necessaria fuerit; ad contingentem verò, si fuerit contingens. Quoniam, vt sit verum disiunctum veritate pertinente ad huiusmodi statum seu necessariū, seu contingentem, sat est, quòd vnum ex extremis eorum absolutè, & determinatè sit verum, seu necesariâ, seu contingente veritate, vt constat ex dictis.

Sextò colligo. Quoties aliquis actus cum veritate 167
versari dicitur circa vnum, vel alterum terminum sub disiunctione, aut vni, vel alteri subiecto sub disiunctione, conuenire, toties veritatem obiectiuam huiusmodi actus ratione termini, aut subiecti connotati per illum ad eum statum pertinere, qui æquialenter tantùm est disiunctiuus, nempe ad necessarium, si talis veritas necessaria fuerit; ad contingentem autem, si fuerit contingens. Quoniam huiusmodi actus æquialenter tantùm est disiunctiuus ex parte termini, aut subiecti, iuxta principia statuta *suprà n.* 132.

Septimò colligo. Quoties actus quoquo modo 168
respicit vnum, vel alterum extremum sub disiunctione, & neutrum determinatè, vt sæpe contingit, prædicata talibus extremis proueniētia à tali respectu, pariter conuenire vni, vel alteri eorum sub disiunctione, & neutri determinatè. Cùm tamen cætera quæque prædicata eo ipso, quòd vni, vel alteri extremo cuiusuis disiuncti sub disiunctione conueniūt, non possunt non alteri saltem eorum determinatè conuenire: e.g. quando subiectum connectitur cum vno, vel altero extremo sub disiunctione, & cum neutro determinatè; verum est, vnum, vel alterum talium extremorum sub disiunctione, & neutrum determinatè ad tale subiectum necessarium, seu requisitum esse. Et quando subiectum exigit, seu quoquo modo petit vnum, vel alterum extremum sub disiunctione, & neutrum determinatè, verum est, vnum, vel alterum talium extremorum sub disiunctione, & neutrum determinate à tali subiecto petitum, aut etiam ipsi debitum esse; & quando superior subdito præcipit, vnum vel alterum opus sub

disiun

disiunctione, & neutrum determinatè : verum est, vnum vel alterum talium operum sub disiunctione, & neutrum determinate sub obligationem subditi cadere ; pariterque in similibus. Cùm tamen eo ipso, quòd est verum : Petrum, vel Ioannem sub disiunctione esse risibilem, aut doctum: Petrum esse calidum, vel frigidum, &c. non possit non esse quoque verum : Petrum aut Ioannem determinatè esse risibilem, aut doctum : Petrum, aut Petri negationem determinatè existere: Petrum determinate calidum, aut determinatè frigidum esse; & in cæteris simili modo. Ex quo patet, quomodò sæpè est disiunctum verum, cuius omnia extrema determinatè sumpta sunt falsa, etsi plerumque veritas disiunctiua non possit non secum ferre determinatam veritatẽ vnius saltem ex extremis diiuncti,
168 iuxta rationem iam suprà præmissam *numero* 129.

Aduertendum tamen est ad extremum. Quoties in superioribus dico, vnum ex extremis disiuncti determinatè, & absolutè esse verum, per *τὸ absolutè* solùm me excludere statum conditionatum imbibitum in ipso disiuncto, quando eius veritas æquiualenter tantùm est disiunctiua, & absoluta, cùm tamen re ipsâ, & formaliter determinata sit, & conditionata, iuxta sæpè dicta ; non verò alium statum conditionatum, quasi reflexum, quem tam disiunctum, quàm eius extrema habere possunt, iuxtà notationem præmissam *num.* 130. Vt cernitur in his exemplis : *Si Rex veniret, Petrus, vel Ioannes loqueretur : Si sol luceret, Petrus extiteret, vel non existeret. Si Petrus extiterit, similis erit, vel dissimilis Ioanni* ; in cæterisque huiusmodi. In hisce enim veritas determinata vnius ex extremis disiuncti, quam, vel secum fert, vel supponit ipsius disiuncti veritas disiunctiua, conditionata manet, non à conditione imbibita in ipso disiuncto, quando huius veritas æquiualenter tantùm est disiunctiua ; sed ab aliâ superadditâ.

## QVÆSTIO III.

### *Quid sit status existentialis rerum de futuro, de præsente, & de præterito, Et quotuplex ?*

169 PRo intelligentia, proque resolutione quæstionis, suppono primò : quidquid existit, in aliquo tempore indispensabiliter existere ; impossibile enim esse, vt quidpiam existat, & nunquam, siue in nullo tempore existat, vt ex sententiâ cõmuni *suo loco*, ostendemus. Ex quo patet, statum rerum existentialẽ alicui tempori suapte essentiâ alligatum esse.

170 Suppono secundò, ex sententiâ satis communi, & *suo etiam loco* ostendendâ à nobis, omnem rem existere in tempore, siue durare in illo per durationem sibi intrinsecam, affixamque suapte essentia tali tempori, siue indistinctam à re durante, siue ei superadditam. Erit enim indistincta, quando res durans per essentiam est alligatâ tempori, in quo durat, siue determinata, necessitataque ad durandum in illo. Distincta verè, & superaddita, quando res durans indifferens est ad durandum, & non durandum in eo tempore, in quo durat. Durationes autem rerum creatarum diuersis partibus continuis temporis, spatiiue temporalis correspondentes, seriem quamdam essentialiter successiuam, continuamque constituunt, quæ extensio quædam est temporalis, atque adeò motus essentialiter successiuus, atque continuus : quemadmodum præsentiæ rerum creatarum diuersis partibus continuis spatij localis correspondentes seriem quamdam essentialiter extensam, continuamque constituunt, quæ extensio quædam est localis essentialiter continua ; sed non successiua, vt pluribus est explicandum *loco indicato*.

Suppono tertiò. Tempus, quod vocant imagina- 171
rium re ipsâ capacitatem quamdam esse motus essentialiter successiui, & continui, qualem constituunt durationes creatæ seriatim, continuèque ordinatæ quoad extensionem temporalem, iuxta dicta *nuper*. Vnde tempus imaginarium à parte rei suum esse habet, non quidem existentiale ; sed quiditatiuum, & mere possibile, vt cætera entia possibilia. Dicitur tamen imaginarium : quia à nobis ad instar motus actualiter, existentialiterque fluentis concipitur ; Cùm tamen re ipsâ non quid existens ; sed quid merè possibile sit ; series nimirum possibilium durationum continua, extensaque, temporaliter, atque adeò successiua suapte essentiâ. Vnde fit primò, in tempore imaginario, vti & in dicta serie, quamlibet partem suum determinatum locum, seu gradum habere per essentiam continguum quidem duabus partibus sibi immediatis alteri præcedenti, seu anteriori ; alteri subsequenti, seu posteriori : à cæteris autem tam præcedentibus, seu anterioribus, quàm subsequentibus, seu posterioribus certa quadam distantia dissitũ, maiore, aut minore pro multitudine partium intercurrentium. Secundò fit, quamlibet partem temporis imaginarij, sicut & prædictæ seriei durationum, suapte naturâ esse posteriorem omnibus præcedentibus, & priorem subsequentibus. Tertiò fit, tempus imaginarium vtrimque infinitum esse, atqua adeò æternum, hoc est, tam à parte antè, quàm à parte pòst : quia talis est series prædicta possibilium durationum. Nulla siquidem à parte antè est cogitabilis, antequàm alia non sit possibilis, aut à parte post, vltra quam. Quartò fit, quamlibet huiusmodi seriem durationum continuã, extensamque temporaliter, atque adeò successiuam suapte essentiâ, si existat re verâ, tempus reale dici posse imaginario contrapositum, tametsi ab illo reipsà aliter non distinguitur, quàm quoduis ens, vt existens distinguitur à se ipso, vt possibili. De facto tamen sola series durationum partium motus cælorum dici solet tempus reale, vtpote, quæ cæterorum omnium motuum mensura est communis : Tempus quippè definitur, mensura motus. De quibus omnibus *loco indicato* plura dicenda sunt.

Suppono quartò ex dictis *suprà disputatione* 3. 172
veritatem cognitionis, atque etiam propositionis vocalis in conformitate eius cum suo obiecto consistere ; veritatem autem rerum in aptitudine, quam illæ habent, vt cognoscantur per cogitationem veram, vt conformenturve cum sui cognitione. De quo *ibi* plura. Et quoniam res existentes non solùm, quo tempore existunt, sunt cognoscibiles per cognitionem veram ; sed etiam in aliis temporibus : eo quòd cognitio non solùm id, quod sibi coëxistit, sed etiam id, quod à se tempore est dissitum repræsentare valet, atque adeò, aut affirmare, aut negare ; quemadmodum, & quod est dissitum loco : efficitur, vt res existentes veræ esse dicantur, non solùm tempore, quo existunt ; sed etiãm in aliis temporibus, quatenus etiam in aliis temporibus sunt illæ cognoscibiles verè. Hoc sensu dicimus, hodiè esse verum, & ab æterno verum fuisse, Anti-Christum extiturum in suâ differentia temporis ; sicut etiam hodie esse verum, & in æternum verum fore, Christum Dominum extitisse in hoc mundo. Quo

etiam

etiam iure Patres, & Philosophi dicere consueuerunt, veritatem rerum non modo quiditatiuam, & necessariam; sed etiam existentialem, & contingentem æternam, & incommutabilem esse, vtpote carentem principio, & fine. Vnde August. *lib. 2. de liber. arbit. cap.* 8. veritatem numeri incorruptibilem, immobilem, & inuertibilem appellat. Et Anselm. *in Dialog. de verit. cap.* 14. de veritate *in vniuersum* docet, nunquam incipere, neque finiri; sed semper esse. *In Monolog. autem cap.* 17. *de veritate contingentium* ait. *Cogitet, qui potest, quando incœpit, aut quando non fuit hoc verum scilicet, quia futurum erat aliquid: aut quando desinet, & non erit hoc verum, scilicet, quia præteritum erat aliquid.* Vnde concludit vniuersè. *Impossibile est, vel cogitare, quod veritas principium, vel finem habeat.* Insuperque arguit eo argumento, quòd habetur apud August. *tom.* 1. *lib.* 2. *Solilog. cap.* 2. & tale est. *Si veritas habuit principium, vel habebit finem, verum erat tunc, quia non erat veritas; & postquàm finita erit, verũ est quia non erit veritas: atqui verum non potest esse sine veritate: erat igitur veritas antequam esset veritas, & erit veritas postquam finita erit veritas. Quod inconuenientissimum est. Siue igitur dicatur veritas habere, siue intelligatur non habere principium, vel finem, nullo claudi potest veritas principio, vel fine.* Aristot. etiam *lib. 6. Ethic. cap.* 3. docet ipsum scibile non posse non esse æternum, ingenitum, & incorruptibile.

173 Adde spectata serie signorum naturæ in eodem tempore existentium, dici etiam posse res veras esse in aliis itidem signis ab iis, in quibus existunt. In signo enim causæ iure optimo dicetur esse iam verum, futurum esse effectum in signo posteriore. Paritérque verum erit in signo effectus, extitisse causam in signo priori. Quod locum habet etiamsi absolutè sit impossibile, vt existat cognitio effectus in signo causæ, atque adeò sit incapacitas absoluta, vt effectus in tali signo cognoscatur verè. Sat enim est capacitas hypothetica præscindens à possibilitate, vel impossibilitate hypothesis, id est, quod si daretur in signo causæ cognitio affirmans fore effectum in posteriore, talis cognitio vera esset. Hoc enim sufficit, vt dicatur absolutè verum esse in signo antecedente causæ, quòd in signo posteriore erit effectus. Vniuersaliter enim ad hoc, vt res vera dicatur pro aliqua mensura, sat est, quòd ex se in tali mensura, sit verè cognoscibilis, casu, quòd sit possibilis cognitio eius existens in tali mensura, vt benè docuit Vasq. 1. *part. disp.* 78. *cap.* 2. & cum eo Ruiz. *tom. de scient. disputat.* 91. *sect.* 2. *num.* 11. Adde præterea, non solùm rerum veritatem semper, & vbique esse modo explicato; sed etiam rerum falsitatem. Quia sicut in omni mensura seu temporis, seu naturæ est verum fore Petrum in posteriore, aut fuisse in præcedente; ita etiam falsum est, non fore Petrum, aut non fuisse. Paritérque in similibus.

174 Suppono quintò ex dictis *suprà disp.* 2. *q.* 4. *sect.* 6 *& disput.* 3, *quæst.* 6. Iudicia nostra de præsente, de præterito, & de futuro suapte essentia esse diuersa, atque adeò vnum in aliud nullatenus transire posse. Iudicium enim de præsente essentialiter consistit in actu, quo iudicamus esse, aut non esse obiectum in eadem mensura temporis, qua id iudicamus; iudicium autem de præterito, quo in mensura anteriori; & iudicium de futuro, quo in posteriori. Tantumdemque est de enunciationibus vocalibus his iudiciis correspondentibus, prout talem significationem habentibus.

His positis: tria sunt nobis in hac *q.* examinanda. Primum: quid sit in re existente esse futuram, esse præsentem, & esse præteritam. In quove futuritio eius, præsentia, & præteritio consistat. Secundum: an in eadem re prout existente in eadem temporis mensura esse futuram, esse præsentem, & esse præteritam sint tres diuersæ veritates ratione trium diuersorum statuum diuersis iudiciis iudicabiles; idque successu temporis, & non aliter. Tertium: quotuplex sit futuritio, præsentia, & præteritio rerum existentium in tempore. 175

Circa primum. Nonnulli tacito nomine relati à Suar. *prolog.* 2. *de grat. cap.* 7. *num.* 4. dixerunt, rem esse futuram nihil esse aliud, quàm habere eam esse in causa determinata aliquo modo ad causandum, & nondum habere, vel habuisse in se. Quæ doctrina ex S. Thom. sumpta videtur *lib.* 1. *Periherm. lect.* 13. Vbi docet, futurum habere esse tantùm in sua causa; & ideò simpliciter dici posse futurum, si causa sit omnino determinata ad vnum, Si verò causa æquè sit indifferens ad vtrumuis, effectum nec dici posse futurum, nec non futurum. Posse tamen dici futurum non cum omnimoda certitudine, si ad eam partem sit causa magis propensa, quàm ad oppositam. Secunda sententia est Pesant. 1. *part. q.* 14. *art.* 13. *disp.* 5. dicentis, rem esse futuram, solùm esse denominationem desumptam à voluntate efficaci, qua Deus vult, illam esse. Tertia sententia est Soar. *suprà num.* 7. asserentis, esse rem futuram formaliter consistere in transitu quodam, seu habitudine rei ab esse, quod habet in causa ad esse, quod in se ipsa aliquando habitura est. Quarta sententia Recentiorum, quos tacito nomine citat Herice *tract. de scient. disp.* 6. *cap.* 6. est; futuritionem rei aliquid esse de præsenti connexum essentialiter cum existentia reali, quam res est habitura in sua temporis differentia. Paritérque philosophantur de rei præteritione. Pro qua sententia posteà stant moderniores alij. Quinta denique sententia ipsius Herice, cui consentiunt Petr. Hurt. *disp.* 19. *de anim.* & alij Recentiores, asserit, rem futuram duo dicere in suo conceptu, nimirum existentiam ipsius rei in proprio tempore pro materiali; pro formali autem, aut tempus antecedens, aut negationem talis existentiæ. Pariterque philosophantur de rei præteritione. De rei autem temporali præsentia nihil ab Auctoribus dictum video. 176

## *Propositio 1.*

Esse rem futuram non est habere eam esse in causa determinata, & nondum illud habere in se; vt prima sententia asserebat. 177

Quoniam esse, quod effectus in causa determinata habere dicitur in ea sententia, nihilo differt ab ipsa entitate causæ, prout determinatæ in actu primo ad ipsum effectum. Compertum est autem diuersum quid esse ex suo conceptu, causam esse in actu primo determinatam ad effectum nondum actu existentem, & effectum esse futurum. Id, quod ostendi potest primò: quia Angelus cognoscens intuitiuè causam determinatam in actu primo ad effectum nondum actu existentem, non ob id præcisè cognoscit intuitiuè effectum futurum, vt patet. Secundò: quia effectum esse præteritum aliud quid est à causa determinata ad illum, vt constat: ergo, & esse futurum. De vtraque enim denominatione pariter est philosophandum. Tertiò: quia sæpe est causa ex se determinata ad effectum, & ille non est futurus; eo quòd impeditur posteà talis determinatio.

natio. Quartò: quia sæpe est effectus futurus, quando eius causa æquabiliter est ad illum indifferens, vt & ex se videtur notum, & ex dicendis conspicuum fiet. Nec refragatur S. Thom. *lec. illa 13. cit. in lib. 1. Periherm.* Quia dum negat, posse dici futurum id cuius causa ad vtrumlibet indifferens est, non negat, illud re vera futurum esse, sed tantùm quoad nos quantum est ex ordinatione siue dispositione causæ. Vnde sæpe dicit, bifariam posse aliquid esse futurum. Primò: quia re vera erit in se. Secundò: quia erit, quantum est ex causæ ordinatione. Sic *1. part. q. 19. art. 7. ad 2.* & clariùs *q. 12. de verit. art. 10. ad 7.* Vbi ait. *Aliquid potest dici esse futurum non solùm ex hoc, quod ita erit; sed quia ita est ordinatum in causis suis, vt sic sit futurum.* Ex quo patet, futuritionem effectus, iuxta S. Th. diuersum quid esse à determinatione causæ, tametsi ex illa rectè possit inferri. Quintò: id ipsum ostenditur: quia etsi causa de præsenti non sit, dummodo ea sit futura, effectus ab illa oriundus futurus erit. Ergo esse illum futurum non est, quod iam de præsenti sit eius causa determinata ad illum. Sextò: quia tempus, quod vocant imaginarium, qua ratione re ipsa est, iuxta suppositionem tertiam sine causa est, & tamen omnes eius partes nondum transactæ futuræ dicuntur. Septimò: quia dato casu, quod ens aliquod in tempore posset incipere sine causa sui, futurum re vera esset, antequam inciperet; desitioque entis, si qua est, vt esse potest. citra omnem causæ influxum posteà euentura, futura dicitur. Ergo ratio futuri ex suo conceptu à causis rei futuræ præscindit, atque adeò in ipsa determinatione causarum consistere nequit.

178 Vnde infertur primò contra secundam sententiam relatam *n. 176.* neque in denominatione proueniente à decreto Dei consistere futuritionem rerum. Tum quia aliud est, rem esse decretam, aliud esse futuram, vt ex se constat. Tum quia, vt actus liber sit futurus, non sit necessarium in Deo decretum determinatum de tali actu (de quo est sermo in ea opinione) imò si sit exequutiuum repugnat libertati; sed sufficit decretum indifferens concurrendi, de quo *suo loco.* Tum quia tale decretum respectu peccati futuri absolutè repugnat. Tum denique: quia licèt Deus conciperet in tempore sua decreta, vt nos, res nihilominùs per illa decernendæ ab æterno dicerentur futuræ, quin Deus haberet ab æterno decretum earum. Accedit, quod præteritio rerum non est denominatio desumpta à decreto Dei: Ergo nec futuritio. Partes etiam temporis independenter à decreto actuali Dei sunt futuræ, quo pacto sunt. Ergo.

179 Secundò infertur contra sententiam tertiam; neque in transitu, seu habitudine causæ ad effectum consistere futuritionem eius. Tum quia præscindendo ab existentia causæ datur futuritio quemadmodum, & præteritio, vt vidimus. Tum quia transitus, seu habitudo causæ ad effectum etiam datur respectu effectus præsentis. Si autem dicas, te loqui de transitu ad effectum proùt futurum, & petis principium, & falsum asseris: quia dicis, reddi effectum formaliter futurum per id, quod ad ipsum, vt iam futurum, terminatur. Præterquam quod transitus, seu habitudo causæ ad effectum alia à causalitate, quâ causat illum, ad rem non videtur excogitabilis; causalitas autem, & futuritio non sunt formaliter idem, vt satis ex se constat.

180 Tertiò infertur contra sententiam quartam, futuritionem rei neutiquam esse aliquid de præsenti connexum essentialiter cum existentia, quam res in sua differentia temporis est habitura. Quia, vt constat ex dictis, absque omni huiusmodi de præsenti connexo cum existentia rei, potest hæc futura esse sæpeque est, quemadmodum citra omne dubium & potest, & sæpe est præterita. Et quidem omni huiusmodi connexo è medio sublato, non posse non, aut rem, aut eius negationem esse futuram, ex dicendis compertum fiet.

## *Propositio 2.*

Rem esse præsentem, siue existentem de præsenti nihil est aliud, quam illam habere iam nunc actuale esse; siue illam iam nunc actu existere in rerum natura. 181

Hæc propositio ex terminis notissima est. Constat enim, rem iam nunc habere esse actuale, siue actu existere in rerum natura, & esse præsentem, seu de præsenti existere, idem omninò esse. Quid autem sit, rem iã nunc existere actu; seu iam nunc habere esse actuale in rerũ natura, adeò est ex terminis conspicuum, vt ampliùs non sit explicabile. In scientiis quippe necesse est, vt quemadmodum dantur principia, seu propositiones per se notæ non demonstrabiles per alias, ita dentur termini, siue conceptus obiectiui per se noti non explicabiles per alios notiores, vt non semel notaui. Huiusmodi autem est conceptus existentiæ rei iam nunc actualis, siue rei iam nunc actualiter, atque adeò de præsenti existentis.

Hinc tempus præsens, seu potius pars temporis præsens à futuris, & à præteritis condistincta ea dicenda venit, quæ, qua ratione est, iam nunc actualiter, siue præsentialiter est. Etenim si sermo sit de tempore reali consistente in quadam serie durationum existente realiter, iuxta dicta *suppositione tertia*, ea pars temporis dicitur præsens, quæ iam nunc est actu existens, iuxta nuper dicta. Si verò sit sermo de tempore imaginario consistente re ipsa in simili serie durationum possibilium, qua talium, prout in *eadem suppositione tertia* exposuimus; ea pars temporis dicitur præsens, quæ iam nunc est proximè potens ad existendum. Vnica enim inter omnes potest dumtaxat assignari, quæ sit iam nunc, atque adeò de præsenti proximè potens ad existendum; ea nimirum, quæ iam nunc, atque adeò de præsenti esset existens, si de statu possibilitatis ad statum existentiæ translata esse. Cæteræ enim, vt translatæ pariter ad statum existentiæ, aut essent præteritæ, aut futuræ existentialiter; ita intra statum meræ possibilitatis, aut sunt præteritæ, aut futuræ potentialiter, id est, aut iam non habent potentiam ad existendum: quia potentia earum proxima ad existendum iam præteriit, aut nondum habent, quia nondum accessit. Porrò pars temporis, siue realis, siue imaginarij, quæ rigorosè loquendo est præsens, non potest non indiuisibilis esse quoad extensionem temporalem, atque adeò successiuam; quandoquidem in omni parte, quoad talem extensionem ex aliis composita, non potest non esse aliquid aut præteritum, aut futurum, vt constat; quod ipsum est, eam in rigore præsentem non esse; sed de hoc plura *alibi.* 182

## *Propositio 3.*

Rem esse futuram, aut præteritam nihil est aliud ex conceptu suo, quàm existere illam in tempore, quod prius, aut posterius est tempore præsente, in quo, siue ex quo dicitur illa futura, aut præterita. 183

Etenim,

Etenim,cùm dico: *Anti-Christus erit*, quod iudicatiue cognoſco eſt exiſtentia Anti-Chriſti reſpondens tempori, quod præſente , in quo eam iudico, poſterius eſt. Vnde, per tale iudicium duo iudicantur: expreſsè exiſtentia Anti-Chriſti in proprio eius tempore;tacitè autem,ſeu virtualiter,quòd tale tempus poſterius præſente eſt, in quo extat iudicium. Quo fit, vt conceptus obiectiuus iudicij duo etiam complectatur ; directè quidem,ipſam Anti-Chriſti exiſtentiam in proprio tempore , ex connotato autem alterum tempus, cui correſpondet de præſenti iudicium ipſum , & relatè ad quod dictæ exiſtentiæ tempus poſterius denominatur. Ex quo patet futuritionem rei in eo ſtare, quòd res ſit exiſtens in tempore , quod eſt poſterius præſente , in quo,ſiue ex quo dicitur illa eſſe futura , vti in propoſitione ſtatuimus. Eodemque prorſus modo philoſophandum eſt de præteritione ; niſi , quòd hæc exiſtentiam rei importat in tempore , quod antecedens eſt præſente , in quo,ſiue ex quo dicitur illa eſſe præterita. Vnde futuritio , præterioque rei directè dicunt in ſuo conceptu prima exiſtentiam rei in tempore poſteriori,ſecunda in priori,quam præſens , ex connotato verò vtraque præſens ipſum, qua tale.

184 Sed dicet aliquis:hæc propoſitio eſt vera: *Hodiè eſt futurus Anti-Chriſtus, & ab æterno fuit futurus*: Ergo futuritio Anti-Chriſti , quam illa enunciat, iam hodiè eſt , & ab æterno fuit : non ergo conſiſtit ea in exiſtentiâ Anti-Chriſti , quæ erit in tempore poſteriore prout connotante tempus præſens anterius, in quo Anti-Chriſtus futurus dicitur. Reſpondeo, eiuſmodi propoſitionem duplicem ſenſum habere poſſe. Primum æquiualentem huic : *Hodiè eſt verum , & ab æterno fuit verum , Anti-Chriſtum fore* Secundum huic. *Hodiè , & ab æterno Anti-Chriſtus erit.* Et in priori quidem ſenſu , in quo vera eſt , non enunciat directam , propriè dictam futuritionem Anti-Chriſti , de quâ nos tractamus , ſed veritatem eius, quæ vt ſummum quaſi reflexa, impropriaque dici poteſt futuritio Anti-Chriſti ; à quâ veritate eatenus dicitur hodiè eſſe,& ab æterno fuiſſe verum , Anti-Chriſtum fore;quatenus hodiè eſt,& ab æterno fuit iudicabile iudicio vero, Anti-Chriſtum fore , iuxta vniuerſalem doctrinam in *quarta ſuppoſitione* traditam. In poſteriori autem ſenſu, in quo prædicta propoſitio directam,& propriam enuntiat futuritionem Anti-Chriſti,tantùm abeſt,vt vera ſit , quod potiùs in terminis ipſis inuoluit repugnantiam,vt conſtat.

185 Ex quibus infero primò contra pleroſque Auctores quintæ ſententiæ , rem exiſtentem in aliquo tempore, eoque titulo ſemper quoad talem exiſtentiam poſteriorem omnibus temporibus præcedentibus, & priorem ſequentibus , non eo ipſo eſſe ſemper futuram propriâ , & directâ futuritione reſpectu omnium illorum,& reſpectu omnium horum præteritam , ſed reſpectu vniuſcuiuſque tunc ſolùm quando illud eſt præſens. Ob id *in ſuperioribus* dixi,futuritionem,præteritionemque rei de connotato dicere in conceptu ſuo tempus præſens, qua tale.Ratio eſt conſpicua : quia conceptus proprius futuritionis rei ipſiſſimum eſt obiectum huius propoſitionis: *Res erit*. Præteritionis autem huius : *Res fuit*.Conſtat autem ex ſe,& ex dictis:Obiectũ primę totum hoc expreſsè,aut tacitè cõplecti:*Res erit exiſtens in tempore,quod tẽpore nunc præſente,ſiue, quod nunc eſt præſens poſterius naturâ ſuâ eſt.* Obiectum autem ſecundæ hoc. *Res fuit exiſtens in tempore, quod tempore nunc præſente, ſiue, quod nunc eſt præſens,anterius ſuâ naturâ eſt.*Ex quo patet,aduentum Chriſti neutiquam dici poſſe iam eſſe futurum, eſto addatur , reſpectiue ad tempus anterius,in quo Mundus incæpit. Sicut nec aduentus Anti-Chriſti dici poteſt præteritus adhuc reſpectiuè ad tempus poſterius, in quo mundus finitur:quia aſſertio hæc: *Aduentus Chriſti erit reſpectu temporis principij mundi*, hunc ſenſum falſum , & implicatorium efficiet: *Aduentus Chriſti exiſtet in tempore poſteriore, quàm tempus,quod eſt præſens modò, reſpectu temporis principij mundi.* Sicut hæc: *Aduentus Antichriſti fuit reſpectu temporis finis mundi.* Hunc *Aduentus Antichriſti exitit in tempore anteriore , quàm tempus,quod modò eſt præſens reſpectu temporis finis mundi.* Pariterque de ſimilibus venit dicendum.

Nihilominus res exiſtens in aliquo tempore ea- 186
tenus dici poteſt ſemper futura reſpectu omnium temporum præcedentium , præteritaque reſpectu omnium ſequentium futuritione , præteritioneque reflexâ,& impropriâ , quatenus directæ , propriæque futuritionis eius veritas , hoc eſt , iudicabilitas per verum iudicium,omni tempori antecedenti reſpondet;præteritionis autem omni ſequenti.Quo iure dicimus , toto tempore ante aduentum Chriſti verum fuiſſe,Chriſtum eſſe venturum & toto tempore poſt aduentum Chriſti,aut fuiſſe,aut eſſe, aut fore verum,Chriſtum veniſſe. Similiter, toto tempore ante aduentum Chriſti,aut fuiſſe,aut eſſe, aut fuiſſe , aut fore verum , Chriſtum veniſſe. Similiter,toto tempore ante aduentum Anti-Chriſti, aut fuiſſe,aut eſſe,aut fore verum , Anti-Chriſtum eſſe venturum , & toto tempore poſt aduentum Anti-Chriſti,verum fore,Anti-Chriſtum veniſſe.In quo tamen etiam interuenit,vt cernitur,futuritio , præſentia , præteritioque propria , & directa veritatis prædictæ aſſerta à nobis de præſenti , atque adeò dicens in conceptu ſuo de connotato tempus præſens,qua tale.

Secundò infero contra nonnullos etiam ex au- 187
thoribus quintæ ſententiæ. Vt aliqua res ſit futura, neceſſarium non eſſe , quòd detur eius negatio in tempore , in quo futura dicitur. Pleraque enim hodiè exiſtentia , quorum proinde negatio hodiè nõ datur,etiam in tẽporibus ſequentibus exiſtentia erunt , verèque proindè dicuntur hodie fore , ſiue futura eſſe in illis. Ex quo patet, eamdem rem bene poſſe eſſe ſimul præſentem , & futuram. Ad cuius diſtinctionem,quæ non eſt præſens,quo tempore futura dicitur, purè futura nuncupabitur ; ſicut res poſſibilis non exiſtens purè poſſibilis nuncupatur , ad diſtinctionem rei poſſibilis, & ſimul exiſtentis. Eodemque pacto de præteritione rei eſt philoſophandum.

Tertiò infero. Quoties res in eodem tempore 188
exiſtentes ordinem aliquem prioris , & poſterioris habent ſecundum naturam eam , quæ in ſigno poſteriori eſt , futuram appellari poſſe comparatione ſigni prioris ; præteritámque vice versâ, quæ eſt in ſigno priori reſpectu ſigni poſterioris , idque tum directa , tùm reflexa futuritione ,& præteritione, iuxta doctrinam ſuppoſitam *n.*173.Tametſi loquutio hæc tranſlatitia,ſubindéque minùs propria ſit.

Venio iam ad ſecundum punctum quæſtionis propoſitum *num.*175.Pro quo ſit.

## *Propoſitio 4.*

Rem eſse futuram , eſse præſentem,& eſse præ- 189
teritam diuerſæ veritates ſunt obiectiuæ comparatione

tione nostri intellectus, diuersis iudiciis, succesſúque temporis iudicabiles verè, & non aliter.

Quod sint diuersæ veritates obiectiuæ, iudicabiles à nobis diuersis iudiciis, manifestè probatur. Primò: quia si non essent diuersæ veritates obiectiuæ, essent vtique ex parte obiecti, atque adeò obiectiuè vna; & eadem, vt est notissimum. Inde autem fieret, vt intellectus noster iudicans vnam, non posset non eodem iudicio iudicare omnes, cum omnes obiectiuè essent vna. Idemque proinde esset iudicare de qualibet re, esse præsentem, atque esse præteritam, & futuram; iudiciaque subinde de præsenti, de præterito, & de futuro non essent diuersa, sed vnum, & idem; contra suppositionem quintam *suprà* statutam. Quod vtrumque, quàm sit absurdum, nemo non videt.

191 Secundò: quia passim affirmamus verè de aliqua re esse præsentem, simul negantes verè de eadem, esse præteritam, aut futuram, & vice versa, vt cunctis notissimum est. Igitur huiusmodi veritates obiectiuæ diuersæ sunt; & consequenter diuersis iudiciis iudicabiles: vnam siquidem, eamdemq; obiectiuam veritatem de eodem subiecto vere simul affirmari, & negari, impossibile est, vt constat.

192 Tertiò probare quis posset idem ipsum. Quia præsentia rei vnam dumtaxat mensuram temporis præsentis includit in conceptu suo. Cùm tamen futuritio præter mensuram temporis præsentis, insuper includat aliam temporis posterioris præsente; & præteritio præter mensurã etiam præsentis aliam diuersam temporis præsente prioris, vt ex *superiùs* dictis constat. Hinc namq; fit, eiusmodi veritates obiectiuas à diuersitate saltem temporum, quæ includũt in se aut directè, aut ex connotato non posse non esse diuersas. Cæterùm huic probationi non multùm fido. Quia licet eiusmodi tres veritates dictã diuersitatem habeant re vera à diuersitate partium, ex quibus integrè coalescũt: ea tamen nimis materialis est ad propositum; neque eas distinguit in ratione veritatum, qua talium. Siquidem idem penitus aggregatum earumdem partium modo vnam talium veritatum constituit, modo non item ratione diuersorum statuum, in quibus successu temporis reperitur. e.g. aggregatum ex his tribus terminis, nempe ex Petro, ex Petri existentia in tempore A præsente, & ex ipso tempore A nunc constituit hanc veritatem de præsenti: *Petrus existit in tempore* A; quam tamen idem penitus aggregatum ex eisdem partibus compositum neque constituit toto tempore antecedente, neq; toto subsequẽte constituet: quia, Petrum existere in tẽpore A, nunc solùm est verè iudicabile iudicio de præsenti, quale non fuit toto tempore antecedente, nec toto subsequente erit. Similiter aggregatum ex his quatuor terminis, nempe ex Ioanne, & Ioannis existentia in tempore B futuro octo ab hinc annis, ex ipso tempore B, & ex tempore A præsente, nunc constituit hanc veritatem de futuro: *Ioannes existet in tempore B futuro octo ab hinc annis*; quam tamen idem aggregatũ ex eisdem omninò partibus constans, neque toto tempore antecedente constituit, neque constituet toto sequente: quia Ioannem esse extiturum in tempore B futuro octo abhinc annis, nunc solùm iudicabile est iudicio de futuro, quale non fuit toto tempore antecedente, nec erit toto subsequente. Pariterque censendum est de cæteris huiusmodi. Ex quibus patet; prædictas tres veritates non tam diuersitate partium, ex quibus coalescunt, quàm à diuersitate statuum, ad quos pertinent, diuersas euadere in ratione talium, iuxta dicenda *posteà*.

Vnde quartò probatur planè idem assumptũ: quia 193
existentia crastina Petri cras erit verè iudicabilis iudicio de præsenti, quali hodie non est iudicabilis verè; & hodie verè est iudicabilis iudicio de futuro, quali non erit verè iudicabilis cras, & perendiè erit iudicabilis iudicio de præterito, quali neque hodie, neque cras iudicabilis est: ergo existentia crastina Petri, cras habebit veritatem de præsenti, quam non habet hodie, & hodie habet veritatem de futuro, quam cras non habebit; & perendie habebit veritatem de præterito, quam neque habet hodie, neque cras. Idque, quia cras habebit statum, quem hodie non habet, & hodie habet statum, quem cras non habebit, & perendie habebit statum, quem neq; hodie habet, neque cras. Igitur futuritio iudicabilis hodie, & præsentia iudicabilis cras, & præteritio iudicabilis perendie de existentia crastina Petri, tres eius veritates obiectiuæ diuersæ sunt diuersis iudiciis à nostro intellectu iudicabiles. Quod erat ostendendũ. Idque ratione diuersorum statuum, quos futuritio crastina Petri in esse veræ obiectiue, siue iudicabilis verè succesſu temporis percurrit. Pariterq; philosophandum est de cæteris huiusmodi veritatibus.

Hinc iam se prodit vltimum, quod in proposi- 194
tione asserimus: prædictas scilicet veritates succesſu temporis, & non aliter esse à nobis iudicabiles verè. Certum enim est, non esse à nobis verè iudicabilem existentiam crastinam Petri iudicio de præsenti, donec accedat crastinus dies, neque iudicio de præterito, donec accedat dies perendinus. Sicut neque vsque ad hodiernum diem potuimus habere hoc iudicium verum de eadem crastina Petri existentia. *Petrus existet cras*; neque post transactum diem perendinum poterimus habere hoc. *Petrus extitit heri*. Tantumdemque in cæteris quibusque similibus veritatibus euenit. Ex quo patet, eas aliter, quàm succesſu temporis non esse à nobis iudicabiles vere. Recoguosce eamdem doctrinam tactam suprà *disput. 2. quæst. 4. conſ. 6. & disput. 3. quæst. 3.*

Cuius ratio à priori est: quia suppoſita cuiuſuis 195
rei existentia in quauis temporis mensura nullum est instans in toto tempore, quantumuis vtrimque infinito, in quo talis existentia relatè ad nostrum intellectum non variet suæ cognoscibilitatis, suæve obiectiuæ veritatis statum; siue, quod in idem recidit, nullum est instans, ex quo talis existentia non debeat à nobis iudicari iudicio diuerso, vt iudicetur verè. Quæ est admirabilis proprietas existentium in tempore prout ab intellectu nostro iudicabilium. Quod vt per exemplum fiat notius, sint nouem continuati dies A, B, C, D, E, F, G, H, I. Sitque sermo de existentia Petri correspondente eorum medio, E. De qua vtique ex die A, solùm erit iudicabile à nobis iudicio de futuro ex parte obiecti determinato (vt modo omittam vaga) sic. *Talis existentia erit quinto ab hinc die.* Ex die autem B, solum sic: *Erit quarto ab hinc die.* Ex die C, solum sic: *Erit tertio ab hinc die.* Ex die, verò E, iudicio de præsente solum sic: *Talis existentia iam est.* Ex die autem F, iudicio de præterito solum sic: *Talis existentia secundo retro die fuit.* In die G, solum sic: *tertio retro die fuit.* In die H, solum sic: *Quarto retro die fuit.* In die denique I, solum sic: *Quinto retro die fuit.* Quæ omnia iudicia diuersa esse, veritatesq; proinde obiectiuas eis respondentes diuersas quoque esse, iisq; solis iudiciis, & non aliis, ex iisque mensuris tẽporis, & non ex aliis verè iudicabiles, palam est. Tantumdemque pariter venit dicendum de cæteris aliis iu-

diciis,ac veritatibus obiectiuis prædictæ existentiæ correspondentibus cæteris omnibus diebus, atquè adeò mensuris totius temporis antecedentis, atque subsequentis dicti E,in quo talis existentia ponitur esse.

196 Quæ cum ita sint, colligo primò. Existentiæ cuiusuis rei vnico instanti temporis correspondenti vnicam tantùm veritatem obiectiuam de præsenti conuenire,ex eo tantùm quòd instanti iudicabilem ab intellectu nostro, in quo est ipsa existentia.De futuro autem, & de præterito innumeras, imò infinitas conuenire veritates obiectiuas diuersas ex infinitis instantibus antecedentibus,& subsequentibus illud, in quo est existentia ipsa,perque infinita diuersa iudicia iudicabiles ab intellectu nostro.

Secundò colligo. Quot sunt instantia temporis successiuè fluentia, tot actus diuersos scientiæ comparabiles esse à nobis, totidemque amissibiles successu temporis de vniuscuiusque rei existentiâ, prout vnicuique mensuræ temporis correspondenti;Idque ita vt neque possimus eos comparare aliter quam successiuè eadem instantium temporis successione; neque possimus iam comparatos retinere, quin eadem pariter successione successiuè amittamus.Quod etiam mirabile est.Constatque ex doctrina traditâ *supra disp.2.q.4.Conf.6.citato.*

197 Tertiò colligo. Status existentiales vniuscuiusque rei de futuro,de præsente,& de præterito,veros, & reales status esse, atque etiam inter se diuersos relatè ad intellectum nostrum,penes diuersitatem veritatum obiectiuarum ad illos spectantium. Huiusmodi autem veritates,scilicet de futuro,de præsenti, & de præterito vnicuique rei conuenientes, prout existenti in sua temporis mensura, imprimis entitatiuè, & materialiter diuersæ sunt à diuersitate partium,ex quibus coalescunt,iuxta dicta *n.192.* Deinde formaliter in ratione veritatum eatenus diuersæ censentur,quatenus eadem rei existentia non aliter, quàm diuersis iudiciis, & ex diuersis mensuris temporis est verè a nobis iudicabilis, vt futura,vt præsens, &, vt præterita. Quo etiam iure eiusdem existentiæ status futuritionis,præsentiæ, & præteritionis diuersi euadunt inter se. Quomodò autem non solum isti tres sint diuersi;sed intra statum futuritionis eiusdem existentiæ infiniti status futuritionis diuersi reperiantur, paritèrque intra statum præteritionis infiniti præteritionis penes infinitas multitudines instantium temporis antecedentium, & subsequentium talis existentiæ mensuram,ex dictis *nuper* liquidum est.

198 Quartò colligo:de diuersitate huiusmodi statuum, veritatumque obiectiuarum ad eos spectantium futuritionis,præsentiæ, & præteritionis rerum aliquando existentium, perinde philosophandum esse respectiuè ad intellectum creatum cognoscentem per proprias species, atque respectiuè ad nostrum nunc cognoscentem per alienas philosophati sumus. De vtroque enim intellectu,quod ad rem attinet,eadem ratio est procul dubio,vt ex dictis potest quisque perspicere. Vtrum autem eadem quoque sit de intellectu increato Dei, ex dicendis *propos. seq.* constabit.

## *Propositio 5.*

199 Rem esse futuram, esse præsentem, & esse præteritam,comparatione intellectus Dei non sunt diuersæ veritates successiui temporis iudicabiles, vti sunt cõparatione nostri intellectus,iuxta *propos.4.* Tametsi argumẽta non leuia oppositũ videantur probare.

Prior pars propositionis statuitur propter concordem Patrum, atque Theologorum sententiam vnanimiter asserentium,aut supponentium, scientiam diuinam etiam rerum existentium in tempore ita esse immutabilem,inuariabilem, & vndequaque integrè æternam,vt nullatenus successiui temporis possit augeri, aut minui,nullatenusque subindè possit Deus alicuius veritatis notitiam acquirere, aut amittere in tempore, quam non habuerit ab æterno, aut non sit in æternum habiturus. Si enim futuritio,præsentia,& præteritio rerum æquè essent veritates diuersæ comparatione intellectus Dei atque comparatione intellectus nostri, æquè intellectus Dei, atque noster ad eas verè iudicandas expectare deberet mensuras temporis,ex quibus tantùm à nobis sunt verè iudicabiles.Vnde fieret, vt singulis temporis momentis denuò conciperet Deus iudicia quarumdam,totidemque quarumdam aliarum iudicia priùs concepta deponeret, vt ex dictis *propos.4.* compertum est. Non ergo futuritio,præsentia,& præteritio rerum diuersæ veritates sunt obiectiuæ comparatione intellectus Dei, vt sunt comparatione intellectus nostri. De quo plura dicenda sunt in *Tract.de scientia.*

Posterior autem propositionis pars non aliter 200
probanda venit, quam exhibendo argumenta,quibus contra priorem statutam probari videtur, futuritionem,præsentiam, & præteritionem rerum aliquando existentium perindè relatè ad intellectum Dei, atque ad nostrum esse veritates diuersas successu temporis iudicabiles, atque adeò scibiles, & non aliter.Argumenta autem sunt, quæ sequuntur.

Sit primum illud vulgare. Deus ante aduentum 201
Christi, præsciebat, Christum esse venturum, non autem sciebat venisse:modò non præscit,esse venturum,& scit venisse.Tum,quo tempore Christus aduenit, Deus iudicabat, iam Christi aduentum esse præsẽtem,habereq; iam actu existẽtiam in rerũ naturâ,quod modò iudicare non potest, quia iam non extat Christi aduẽtus:igitur successu tẽporis variata est scientia,& præscientia Dei.Huic argumẽto communiter respondeti solet;Deũ eâdẽ prorsus inuariata scientia cognouisse sẽper, semperque cogniturũ, aduentum Christi pro sua propria mẽsura tẽporis existentem;necnon illum relatè ad talẽ mensurã esse præsentem;relatè verò ad totum tempus præcedens esse futurum,& relatè ad totũ subsequens,esse præteritum:atque ita modò nõ cognoscere Deũ quidpiam,quod anteà nõ cognouerit,nec vice versâ;vnde concluditur,scientiã Dei extrinsece tantùm denominari præscientiam à duratione temporali,quã habet antequam existat obiectum, quo tamen transacto, absque vllâ sui intrinsecâ variatione desinit esse præscientia, sublata iam ea denominatione priore.

En solutionẽ communem facti argumenti.In qua 202
tamen ego hactenus quiescere non potui.Vrgeo illud sic primò sub terminis vniuersalioribus. Antequàm res existat,Deus non iudicat,eam iam habere existentiam in rerum naturâ: quia tale iudicium falsum esset,cùm falsum sit,iam rem existere, quo tempore nondum existit. At, quo tempore iam res existit,tunc iudicat Deus, eam iam habere existentiam, quia iam tunc id est verum. Ergo Deus successu temporis acquirit iudicium, quod anteà non habebat. Vrgeo secundò. Hæc propositio prolata hodie: *Antichristus iam nunc existit* omnino falsa est; prolata tamen posteà, quando Antichristus iam sit existens,omninò erit vera,vt est notissimum: Ergo iudiciũ internũ tali propositioni respõdens in quocũq; intellectu,cõceptũ hodie omnino erit falsũ;Cõceptũ tamẽ tunc omninò erit verũ.Ergo Deus hodie non habet tale iudicium, habebit tamen, quando Antichristus iam existat,atque ita successu temporis illud acquiret. Vrgeo tertiò. Ideò prædi-

cta

cta propositio hodie falsa est, & tempore Antichristi erit vera, quia veritas obiectiua, quam illa enunciat, hodie non datur à parte rei, & tempore Antichristi iam dabitur. Ab eo enim, quod res est, vel non est, dicitur propositio vera, vel falsa secundum Arist. & omnes. Igitur Deus, cui nulla veritas obiectiua ex parte rerum se habens latere potest, tempore Antichristi cognoscet veritatem obiectiuam, quam dicta propositio enunciat, quia tunc ea dabitur à parte rei, hodie tamen eam non cognoscit, quia hodie non datur. Acquiret ergo scientiam tunc, quam hodie non habet.

104 Hinc nascitur argumentum secundum in hunc modum. Ex his duobus obiectis: *Iam nunc existit Antichristus: Post multos annos existet Antichristus*; primum comparatione nostri intellectus non est verè iudicabile hodie; benè tamen secundum. Tempore tamen Antichristi è conuerso primum erit iudicabile verè; secus secundum, vt ex se patet, & ex dictis *prop.* 4. Ergo idem dicendum est comparatione intellectus Dei. Probo consequentiam: quia veritas obiectiua, à quâ obiecta habent esse verè iudicabilia, non est quidpiam illis proueniens ab extrinseco; sed modus essendi eorum intrinsecus, cum ipsisque à parte rei identificatus, vt affatim, vniuersaliterque monstratum est suprà *q.* 1. *prop.* 1. proindeq; nequaquam possunt aliqua obiecta quoad veritatem obiectiuam, quam re ipsa in se habent relatè ad vnum intellectum esse verè iudicabilia; secus relatè ad alium. Obiecta autem prædicta quoad veritatem obiectiuam, quam in se re ipsa habent pro diuersis temporibus, & non aliter, pro eisdem diuersis temporibus, & non aliter iudicabilia verè sunt ab intellectu nostro. Igitur pro eisdem diuersis temporibus, & non aliter euadent quoque iudicabilia ab intellectu Dei, scientiam ergo Dei pro talium temporum varietate subire aliquam varietatem necessarium videtur.

105 Confirmatur primò: quia non potest vlla propositio esse vera, nisi verificatiuũ aliquod eius detur ex parte rerũ; nec potest vlla propositio esse falsa, nisi desit ex parte rerum omne eius verificatiuum, vt est notissimum: Ergo, cùm propositio ista: *Iam nunc existit Antichristus*, hodie sit prorsus falsa: futura prorsus vera tempore Anti-Christi, hodie non habet ex parte rerum verificatiuum, quod tunc habebit. At Deus nec potest habere scientiam de obiecto propositionis nullum verificatiuum habentis, quia talis scientia esset falsa; nec potest carere scientia de verificatiuo propositionis: quia eo ipso, quod illud est tale, est quid scibilè verè; & Deus ignorare non potest, quod est scibile verè, vt constat. Ergo Deus nequibit non tempore Antichristi habere scientiam, quam modò non habet de verificatiuo, quod tunc dicta propositio habebit, & modò non habet.

106 Confirmatur secundò. Verissimum hodie est, Antichristum nondum existere in sua temporis mensura, quia verissimum etiam est, talem mensuram temporis nondum adesse: Ergo Deus iudicat hodie, Antichristum nondum existere in sua temporis mensura. At accedẽte tali mensura, nequibit non iudicare oppositum: quia tunc oppositum erit verum: Ergo, vel habebit tunc Deus duo iudicia opposita; quod est impossibile; vel deposito iudicio, quod modò habet, oppositum concipiet. Quo habetur intentum.

Cõfirmatur tertiò. Testetur Deus hodie, vt potest, exteriùs, Antichristum nondum existere. Inquiro nunc; vel Deus hodie habet internum iudicium tali exteriori testimonio respondens, quo interiùs pariter iudicat, Antichristum nondum existere; vel non habet? Si non habet. Ergo testatur, quod nescit, seu, quod non iudicat. Quod planè ipsi est impossibile. Si habet. Non potest non per Antichristi aduentum amittere tale iudicium, & oppositum comparare; quandoquidem tempore Antichristi neque in prædicto testimonio, neque in prædicto iudicio, vtpote iam tunc falso persistere poterit. Quo fiet, vt iudiciũ oppositum iam tunc verum nequeat non comparare, vtpote omninò necessitatus ad sciendum omne verum. Quo iterum habetur intentum.

Tertium argumentum. Si Deus non acquirit vllam scientiam successu temporis, Deus hodie prorsus ignorat, in quonam die viuit, & regnat. At hoc absurdum est, vel homine indignum, cui probro ducitur, nescire, quinam dies sit, in quo viuit: Ergo. Probatur antecedens: acceptis pro exemplo septem diebus continuis integræ hebdomadæ quibus, certum est, Deum successiuè coëxistere, ita vt priùs coexistat diei dominico, deinde feriæ secundæ, posteà tertiæ, & ita deinceps. Etenim, si Deus nullam successu temporis scientiã acquirit ex quocunque eorum septem dierum, cognoscit quidquid in omnibus, & singulis cognoscibile est, quoad existentiam ipsorum, & propriam coëxistentiã cum illis præsentem, præteritam, & futuram, vt est certissimum. Hinc autem planè sequitur, idem prorsus scire Deum, & iudicare de existentia feriæ tertiæ, deque sua coëxistentia cum illa, quando illi iam de præsenti coëxistit, ac quando de præsenti coëxistit aliis, & è conuerso. Ergo existente iam de præsenti feria tertia, non ampliùs scit Deus de illa, deque sua coëxistentia cum illa, quam existente iam de præsenti qualibet alia. Siquidem de omnibus iudicat semper idem, siue illis coëxistat iam, siue secùs. Ergo nescit Deus in quanam earum præ reliquis iam existit, quænamve earum ea sit, cui ipse de præsenti coëxistit. Quod ipsum est, nescire Deum, in quonam die viuit, & regnat. 107

Confirmatur, & declaratur primò. Vt Deus sciat in quonam die huius hebddmadæ præ reliquis iam nunc viuit, & regnat, aliquid peculiare debet iam nunc scire de tali die, quod non scit de aliis, nimirum, se iam nunc illi præ reliquis coëxistere: sed si de omnibus semper scit idem, nihil de tali die scit peculiare, quod non scit de aliis. Ergo si de omnibus semper scit idem, nescit profectò, in quonam præ aliis iam nunc viuit, & regnat. 108

Confirmatur secundò. Interroganti mihi, quinam dies huius hebdomadæ hodiernus sit, Lunæ ne, an Martis, an Mercurij, an Iouis, an alius; vel potest mihi Deus respondere, esse diem Iouis, vt verè est, non verò Lunæ, aut Martis, aut Mercurij, aut alius; vel non potest? Si non potest. Ergo nescit Deus, quinam dies huius hebdomadæ sit hodiernus; quod ipsum est, nescire ipsum, in quo die viuit. Si autem potest. Ergo Deus, qui non potest affirmare, quod nescit, aliquid peculiare scit hodie de die Iouis, quod non scit de aliis, scilicet iam nunc ipsum esse præsentem, quodque de ipso die Iouis heri non sciebat; & habetur intentum. Siquidem eidem interrogationi heri à me factæ non posset heri Deus respondere, esse diem Iouis: quia falsum diceret; quandoquidem hesternus dies non Iouis sed Mercurij fuit. 109

Confirmatur tertiò. Quia si Deus successu temporis nullam scientiam acquirit; nescit Deus hodie, an Mundus iam sit à se productus, an posteà producendus: quia nescit, an ea temporis mensura, in qua eum producere decreuit, accesserit iam, an potiùs adhuc maneat futura. Si enim nihil modo scit Deus de coëxistentia Mundi cum tali temporis 110

mensura,quod non sciuerit ante Mundi creationẽ,vt tunc non sciebat,Mundum iam esse tunc productum in illa: quia verè tunc nondum erat in illa productus, quia nondum illa accesserat: ita neque scit modo. Ignorat igitur Deus hodie, an Mundus sit iam à se productus; necne. Quod planè videtur absurdum. Et sanè non satis videtur intelligibile,quomodo Deus, quo tempore ab eius omnipotentia physicè egrediuntur creaturæ, possit non acquirere denuò aliquam veluti experimentalem notitiam productionis earum, à se non præhabitam ante aduentum talis productionis, talisque quasi experientiæ physicæ eius. Videtur igitur dicendum, talem eum notitiam successu temporis, dum cuncta produxit,comparasse, in diesque comparare.

212 Confirmatur quartò.Quia nisi Deus successu temporis scientiam acquirat, vniuersaliter nullius existentiæ differentias de futuro,de præsenti,& de præterito discernet, vt constare ex dictis videtur. Hoc autem,quis non censeat absurdum? Quãdoquidem huiusmodi differentiæ verè dantur à parte rei,verèque proinde sunt discernibiles à quouis intellectu, vt etiam ex dictis videtur constare,à nostroque discernuntur de facto;vt *proposit.*4.monstratum est.

213 Vnde iam quartum argumentum à priori desumitur hoc pacto. Esse rem futuram,esse præsentem, & esse præteritam à parte rei sunt modi essendi eius diuersi, idque successu temporis, cùm tota eorum diuersitas in temporis successione fundetur. Igitur à parte rei sunt vera quædam obiectiua diuersa,seu veritates obiectiuæ diuersæ, idque etiam successu temporis. Siquidem vera obiectiua diuersa, seu veritates obiectiuæ diuersæ vniuscuiusque rei, vt in tota hac disputatione sumuntur, aliud non sunt à modis diuersis essendi eius, prout ex dictis in illa constat. At,quâ ratione vnumquodque est obiectiuè verum,seu veritas obiectiua eadem, & non alia euadit iudicabile verè ab omni intellectu cognoscitiuo veritatis: Igitur,esse rem futuram,esse præsentem,& esse præteritam veritates obiectiuæ diuersæ sunt,seu vera obiectiua diuersa successu temporis,& non aliter verè iudicabilia ab omni intellectu cognoscitiuo veritatis:atq; adeò ab intellectu diuino. Totus discursus est legitimus,solumque primum antecedens,cui nititur,indiget probatione. Probatur autem primò. Quia ex ipsis terminis videtur satis superque notum,diuersum quid esse in vnaquaque re esse eam iam actu existentem in rerum natura, atq; fore posteà extituram, vel anteà extitisse;atque adeò diuersos esse modos essendi eius à parte rei esse futuram, esse præsentem,& esse præteritam; idque successu temporis. Siquidem antequam existat est futura,dum existit est præsens,& postquam extitit est præterita. Secundò probatur: quia futuritio, præsentia,& præteritio vniuscuiusque rei diuersas à parte rei proprietates fortiuntur, quod manifestum indicium est realis earum diuersitatis. Etenim vnaquæque res dum est præterita sub nullam cadit potestatẽ,cùm tamen sub aliquam cadat,dum est futura,aut præsens.Inde enim ortũ vulgare illud axioma. *Ad præteritum non datur potentia*, sicut datur ad futurum & præsens. De quo nos egimus suprà *disp.*8. *q.*4. Deinde vnaquæque res,dum præsens est,dumtaxat cadit sub libertatem etiam diuinam, non item dum est præterita, vel futura. Ob id enim Deus hodie non est proximè liber ad producendam durationem crastinam mundi,sicut cras erit, ad producendam autem hesternam, ne remotam quidem habet iam Deus hodie libertatem, seu potestatem. Præterea, duratio mundi hodierna hodie dumtaxat est possibilis proximè:toto enim tempore antecedente,remotè tantùm fuit possibilis,& toto tempore subsequente, ne remote quidem possibilis erit. Ex quibus omnibus videtur concludi, vnamquamque rem, vt subit successu temporis diuersos modos essendi,atque adeò diuersas veritates obiectiuas,& consequenter diuersos status futuræ, præsentis, & præteritæ; ita quoque diuersa iudicia Dei successu temporis subire, seu terminare. Quod erat intentum argumenti.

Confirmatur primò. Quia sicut possibilitas,futu- 214
ritio conditionata, & futuritio absoluta vniuscuiusque rei tres sunt obiectiuæ veritates eius diuersæ ratione diuersorum statuum ita ordinatæ secundum seriem prioritatis,& posteritatis naturæ,vt ne à Deo quidem sint cognoscibiles aliter, quàm suo ordine; prima videlicet in primo signo,secunda in secundo, & tertia in tertio,& ideò scientia diuina de possibilitate prior naturâ est,quàm scientia de futuritione conditionata, & hæc prior, quam scientia de futuritione absoluta,vt ex communi Theologorum sententia videbimus in *tract.* de scientia. Ita futuritio, præsentia,& præteritio vniuscuiusque rei tres sunt obiectiuæ veritates eius diuersæ ratione diuersorum statuum ita ordinatæ, secundum seriem prioritatis, & posterioritatis temporis,vt ne à Deo quidem videantur cognoscibiles esse aliter, quam suo ordine. Prima videlicet in tempore antecedente rei existentiam; secunda in ipso tempore existentiæ: & tertia in tempore subsequente;ita vt scientia de futuritione in solo tempore antecedente rei existentiam, & scientia de præsentia in solo tempore existentiæ, & scientia de præterione in solo tempore subsequente possit existere.

Confirmatur secundò. Quia veritas obiectiua 215
æquè,ac obiectiua bonitas est passio entis. Sed ens iam actu existens,atque possessum aliter est bonum, & amabile, quàm dum est futurum, & possidendum,aut præteritum,& amissum,idque per diuersos actus voluntatis successu temporis elicibiles,& non aliter, vt statim comprobabo. Ergo ens iam actu existens aliter etiam est verum, & cognoscibile, quàm dum est futurum, aut præteritum; idque similiter per diuersos actus intellectus successu temporis comparabiles.

Vnde sit quintum argumentum. A differentiis 216
futuræ præsentis,& præteritæ fit vnaquaque res successu temporis diuersis bonitatibus bona,& amabilis, diuersisve malitiis mala,& odibilis; idque per diuersos actus voluntatis successu etiam temporis producibiles, & non aliter, atque ita diuersis temporis mensuris suapte natura alligatos. Ergo & ab eisdẽ differentiis fiet vnaquaque res pariter successu temporis vera, & cognoscibilis; idque similiter per diuersos actus intellectus successu temporis producibiles,& non aliter. Consequentia est bona:quia nullum idoneum discrimen excogitabile est. Antecedens autem probatur. Quia bonum, dum iam est præsens,& possessum affectu gaudij amabile est;non verò affectu desiderij, aut spei: è contra verò, dum est futurum sui desiderium,& spem terminare valet non item gaudium;cùm tamen,dum præteritum est, iam nullo horum affectuum amabile sit. Malum similiter, quâ præsens tristitiam, quâ futurum timorem, quâ præteritum neutrum horum effectuũ terminare valet. Vnde fit,gaudium,& tristitiam solùm posse habere existentiam in ipsa mensura temporis, quâ bonum,aut malum est præsens: desiderium autem spem,& timorem solùm in mensura antecedẽte; in subsequente autem,nullũ eorum affectuũ existere posse. Et quidem hæc in nobis ita se habere,nemo negare potest,vel ipsa enim experiẽtia est notissimũ.

Vnde

Vnde ad Deum etiam argumentum transfertur quia non videtur posse, Deum etiam habere affectum gaudij de bono præsenti, quà tali, diuersum suopte cõceptu ab affectu desiderij de bono futuro: qui proinde affectus certis mensuris temporis erunt suapte essentiâ alligati. Et quidem de affectu desiderij efficacis etiam diuini non posse versari circa præteritum, videtur ex se notum: quia talis affectus ex suo conceptu conatus quidem est, quo voluntas conatur ponere existentem rem, quam desiderat, in aliqua temporis mensura. Nulla autem voluntas conari potest ponere rem existentem in mensurâ temporis iam præterita: quia id euidenter est impossibile. Quo iure, omne decretum efficax Dei, postquam suo munere functum est, ponendo existentem rem decretam in sua temporis mensura non videtur posse vlteriùs ampliùs durare. Cessabunt igitur omnia decreta Dei efficacia successu temporis. Id, quod singulariter quidem; sed ingenuè confitetur, & absque hæsitatione docet doctus Gasp. Hurt. 1. *p. Tract. de volunt.* Nec mirum, cùm vix videatur intelligibile, quòd Deus eodem decreto, eodemque subinde suæ voluntatis conatu, quo creauit Adamum in suâ temporis mensurâ, conetur adhuc hodiè, eodemque prorsus modo, ac tunc, in eâdem temporis mensurâ iamdudum præterita ponere illum existentem; cùm tamen hæc positio iam hodiè prorsus sit impossibilis. Ex quibus videtur cõcludi, voluntatẽ diuinã, quæ nõ minùs est immutabilis, quam intellectus, successu tẽporis posse variare suos actus; quo posito cõsequẽter infertur, intellectũ quoque posse variare suos.

217 Sextum, & vltimum argumentum esse potest. Quòd huiusmodi variatio actuum scientiæ diuinæ successu temporis obueniens Deo, non ex imbecillitate intellectus, vti obuenire solet creaturis; sed ex eo, quòd obiecta aliter, quàm successu temporis non sunt verè scibilia, ex nullo capite videtur repugnare, vtpote nullam omninò imperfectionem appingens ipsi Deo. Imprimis enim nulla imperfectio est, sed summa perfectio intellectus diuini, carere in vno tempore scientiâ, quam habet in alio; eo quòd obiectum ex primo non est iudicabile verè, vti est ex secundo. Sicut nulla imperfectio, sed summa perfectio est intellectus diuini carere per totam æternitatem scientiâ, quam potuit habere, eo quòd obiectum non fuit ab æterno, vt potuit, iudicabile verè. Itaque esse pro omni tempore defectibilem scientiam contingentium, quam Deus habet, de factoque deficere aliam, quam potuit habere, nõ quidem quoad entitatem indistinctam à Deo, sed quoad denominationem, qua ipsum denominat scientem, idque ad defectum veritatis obiectorum cognoscibilium nullã imperfectionem dicit, vt est certissimum. Qui igitur imperfectionem dicet, pro aliquibus tantùm partibus temporis, & non pro aliis pariter, & eodem titulo defectibilem esse, aut deficere? Deinde, neque est imperfecto in actibus scientiæ successu temporis Deo obuenientibus certis mensuris temporis, quibus respondent quoad denominationem dumtaxat esse subiectiuè alligatos suapte naturâ, seu connexos cum illis: quandoquidem ὁmnis actus scientiæ diuinæ pariter quoad denominationem titulo suo infallibilitatis cum suo obiecto, quantumuis vidi, obiectiuè connexus est suapte naturâ absque omni prorsus imperfectione; vt est etiam certissimum. Quo fit, vt qui pro obiecto habent ipsas mensuras temporis obiectiuè sint connexi cum illis citra omne dubium. Si enim in actu, quo Deus vndecumque iudicat existere instans A, non est imperfectio esse connexum cum eo, vt cum suo obiecto, quatenus si instans A, deficeret, ille esset falsus; quod ei repugnat. Cur in actu, quo Deus in ipso instanti A, iã existens iudicat esse illud sibi præsens erit imperfectio esse eidem subiectiuè alligatum, quatenus si talis actus existeret in instanti antecedente, aut subsequente, falsus quoque esset; quod pariter repugnat illi? Certè ex prædictis capitibus actibus scientiæ successu temporis Deo aduenientibus nulla imperfectio adscribi potest. Aliud autẽ caput, vnde adscribatur, non videtur excogitabile.

Viderunt horum argumentorum difficultatem 218
propositam à me olim in *Tract. de scient* Recentiores quidam ex nostris; facilèque illam se dissoluere arbitrati sunt ex principiis à se statutis de futurorum omnium præsentiâ in æternitate diuinâ. Principia autem sunt huiusmodi. Primum. Eternitatem intrinsecam Dei durationem eius esse ex vnâ parte prorsus indiuisibilem, vtpote prosus indistinctam à Deo; ex aliâ verò suapte essentiâ constituentem Deum ipsum durantem, siue existentem in omni tempore, æquè, ac immensitas intrinseca Dei præsentia est indiuisibilis eius, constituens eumdem præsentem, siue existentem in omni loco. Secundum. Eternitatem intrinsecam Dei, & durationem cuiusuis creaturæ cuiuis tempori respondentem, omninò simultaneas esse in existendo absque vllo ordine prioris, & posterioris; perinde ac duæ durationes creatæ eidem mensuræ temporis respondentes simultaneæ sunt. Tertium. Cuncta existentia, atque adeò durantia in quouis tempore physicè esse coëxistentia æternitati Dei, atque adeò præsentia illi. Quartum. Nullam rem existentem in quouis tempore comparatione æternitatis intrinsecæ Dei esse futuram, aut præteritam: quia omnis est præsens, vt dictum; quidquid sit de futuritione, & præteritione quam vnaquæque habet respectiuè ad varia tempora extrinseca Dei.

Ex his inferunt, asseruntque, Deum iudicium 219
de præsenti duntaxat habere omnium rerum existentium in tempore, illudque fixum, stabile, ac prorsus inuariabile, quo semper, atque adeò ab æterno, & in æternum iudicat, vnamquamque earum iam sibi præsentem, seu coëxistentem esse. Qua sola assertione putant se omnibus argumentis factis satisfeciisse; quasi illa dumtaxat habeant locum respectu nostri, quorũ durationi præsenti, sub quâ, dum iudicamus, sumus, nõ cætera cuncta existentia præsentia sunt, vt sunt durationi diuinæ; sed quædã præsentia, quædam præterita, & quædam futura, quæ, vt talia subinde veniunt à nobis iudicãda; secùs à Deo.

Cæterum per doctrinam istam argumentis à no- 220
bis factis non satisfieri ostendo. Primò: quia licet nulla duratio creaturæ (quã nobiscũ superadditam ponunt hi Recentiores) sit positiuè futura, aut præterita respectu durationis intrinsecæ Dei, quia nulla est posterior, aut prior illa suapte naturâ. Hinc tamen non sequitur, quamlibet durationem creaturæ semper esse positiuè præsentem, seu coëxistentem durationi intrinsecæ Dei. Positiua siquidem coëxistentia duorum extremorum vtriusque existentiam dicit in suo conceptu. Constat autem, non semper existere quamlibet durationem creaturæ. Ex quo fit primò; ita esse omnes durationes creaturarum physicè præsentes, seu coëxistentes æternitati Dei, vt non simul, sed successiuè tales sint, eo quòd ipsæ successiuè habent existere in quo differt æternitas ab immensitate Dei, cui simul coëxistentes, atque adeò præsentes sunt omnes præsentiæ locales creaturarum. Secundò fit, Deum non posse habere hodiè iudicium hoc de præsenti:

*Antichriſtus iam nunc exiſtit* : quia nondum Antichriſtus exiſtens eſt. Dices, poſſe quidem, ſi illæ particulæ *iam nunc* denotent non inſtans præſens temporis extrinſeci, ſed inſtans æternitatis intrinſecæ Dei. Contrà tamen primò. Ergo iam Deus ſaltem non poteſt habere hodie iudicium de præſenti tendens in Antichriſti exiſtentiã, & connotans ſuapte eſſentia inſtans tẽporis extrinſeci præſens, quâ tale, quod, quantum ſit inconueniens, patebit ex dicendis. Contrà ſecundò: quia Antichriſtus non coëxiſtit Deo in ſola duratione intrinſeca Dei, ſed inſuper in propria, cum vtramque importet coëxiſtentia Antichriſti, & Dei: Ergo particulæ *iam nunc*, non poſſunt denotare ſolum inſtans æternitatis Dei; vt ſic enim iudicium de quo agimus, falſum eſſet. Sed neque poſſunt denotare coniunctum vtriuſque prædictæ durationis, ſi tale iudicium ſit de præſente, erit enim itidem falſum: quia tale coniunctum defectu exiſtentiæ Antichriſti, nondum eſt in ſe præſens. Tale ergo iudicium, quocumque modo explicetur obiectum eius, in Deo hodie exiſtere nequit. Quo tota aduerſariorum doctrina ruit.

221 Dicent; prædictum coniunctum durationum iam nunc eſſe præſens, ſi particulæ *iam nunc*, neque ad vllum tempus extrinſecum, neque ad ſolam durationem Dei referantur; ſed ad vtramque Antichriſti, & Dei, ex quibus coaleſcit ipſum coniunctum: quia eius præſentia aliud non eſt à ſimultanea ſuarum partium coëxiſtentia ab ipſis partibus, ab ipſoque proinde coniuncto re ipſa indiſtincta. Sed contra eſt: quod licèt duratio Antichriſti poſitiuè non ſit poſterior duratione intrinſeca Dei, atque adeò nec poſitiuè ſit futura comparatione eius, vt diximus; hodie tamen negatiuè eſt poſterior, futuraque reſpectu ipſius etiam ſecundum ſe præcisè conſideratæ, & non reduplicatiuè prout hodie exiſtentis, & ideò hodie non ſunt ſimultaneæ exiſtẽtia-tialiter, vti erunt tempore Antichriſti: quia eo ipſo, quòd duratio intrinſeca Dei exiſtit hodie, & conſequenter nondum exiſtit in tempore poſteriore Antichriſti, nondum ad ipſam quantumuis ſecundum ſe præcisè conſideratam aceſſit Antichriſti tempus, & conſequenter nondum ipſi coëxiſtit duratio Antichriſti, nondumq; proinde præſens eſt coniunctũ ex durationibus Antichriſti, & Dei. Quo tandem fit, vt ad ipſum nequeant cum veritate referri ſupra dictæ particulæ, vtpote ſignificatiuæ præſentiæ eius. Concluditur igitur, prædictum iudicium: *Antichriſtus iam nunc exiſtit*, quocumque modo explicetur obiectum eius, non poſſe non hodie falſum eſſe, atque idcircò in Deo hodie reperiri non poſſe; nedum ab æterno, in æternum; & prorſus ſemper.

222 Sed eſtò habeat Deus iudiciũ de præſenti fixum, ſtabile, & ſemper durans omnium rerum exiſtẽtium in tempore, quo iudicet, vnamquamque earum ſibi iam eſſe coëxiſtentem; atque adeò præſentem; vt docent Recentiores præfati. Quidnam id intereſt ad infringendam noſtrorum argumentorũ vim? Nihil profecto. Cùm illa eo tendant, vt probent per ſcientiam ſemper ſtabilem, & prorſus inuariatam, quæcunq; ea ſit, neutiquam poſſe Deum diſcernere differentias, atq; adeò nec ſcire veritates obiectiuas futuritionis, præſentiæ, & præteritionis, quas res exiſtentes ſucceſſu tẽporis ſortiuntur, neq; aliter quàm ſucceſſu temporis; atque adeò per ſcientiam ſucceſſu temporis comparabilem, ſingulíſque menſuris temporis affixam, vtpote ipſas connotantem ſuapte eſſentia, ſcibiles eſſe videntur, vt ipſa argumenta recolenti, attentiúſque conſideranti, quàm Recentiores conſiderarunt conſpicuum fiet. Ex quo patet, non obſtante Recentiorum doctrina, omninò illa in ſuo robore permanere.

Itaque; per argumenta à nobis contra ſtatutam 223
propoſitionem facta adhuc ſuaderi videtur, futuritionem, præſentiam, atque præteritionem rerum veritates obiectiuas earum eſſe, ſucceſſu temporis, & non aliter eis conuenientes, quarum ſubinde ſcientiam Deus non poteſt non ſucceſſu temporis acquirere, & amittere. Si fallacia ſunt, ego profectò meam ignorantiam, atque imbecillitatem profiteor; nec ſcio, nec poſſum eorum fallaciam cum aliqua ſatisfactione detegere. Quare in hac parte doceri cupiens ab aliis ſolutionem expecto. Neque enim, vel commune mihi patet effugium infinitatis, atque eminentiæ ſcientiæ diuinæ, vt dicam, poſſe per illam inuariatam attingi denuò veritatem nouam ſucceſſu temporis accedentem. Hoc enim eſſet manus dare, & propoſitioni ex omnium ſententia ſtatutæ contrauenire. Si enim ſemel concedatur, Deum modo iudicare, exiſtere iam nunc de præſenti in rerum natura hodiernum diem, & res omnes ei coëxiſtentes, quod tamen heri nec iudicabat, nec poterat, prout argumenta dicta contendunt: parum ad rem refert, quòd dicatur, id fieri per ſcientiam ab æterno præhabitam, vel decurſu temporis acquiſitam; ſicuti parum ad rem refert, quod dicatur, futurum contingens cognoſci à Deo per eamdem ſcientiam neceſſariam, quâ ſe ipſum noſcit, vt multi loquuntur, vel per diuerſam liberam, vt loquuntur alij, dummodo ab omnibus aſſerarur, Deum aliquid iudicare de futuro contingente, quod non iudicaret, ſi illud non eſſet futurum. Altera enim controuerſia ferè eſt de modo loquendi, & nata ex varietate opinionum circa conſtitutionem actus liberi Dei. Etenim propoſitio ſtabilita iuxta ſententiam omnium, omnem nouam denominationem ſcientis, vel iudicantis aliquid decurſu temporis acquiſitam, intendit remouere à Deo, & in eo ſenſu ſtatuit, ſcientiam Dei ſucceſſu temporis inuariabilem eſſe.

Poſſet fortaſſe aliquis audacior, quàm ego, putare, 224
abſque vllo inconueniente concedi poſſe ſcientiam Dei liberam ſucceſſu temporis acquiri, & amitti circa eas veritates, quæ ſolùm decurſu temporis, atque adeò ex certis dumtaxat ipſius temporis menſuris ſunt cognoſcibiles: quia hoc nec aliquid imperfectionis præ ſe fert, vt probat argumentum ſextum ſupra poſitum, nec ſacræ Scripturæ, aut Patribus videtur aduerſari. Patres enim, imò, & Scholaſtici ſolùm videntur remouere à ſcientia Dei variationem circa veritates ſemper, & ex omni tempore à Deo cognoſcibiles, tanquam Deo repugnantem, & eius immutabilitati, quam ſcripturæ ſtatuunt aduerſam, quandoquidem ſola hæc ſupponeret, in Deo ignorantiam, argueretque mutabilitatem Deo impoſſibilem, vt videbimus in *tract.* de ſcientia. Quæ imperfectiones longè abſunt à variatione circa veritates non ſemper, ſed ſucceſſu tantùm temporis cognoſcibiles, quales argumenta prædicta videntur adſtruere. Adde, intellectum diuinum vna eademque ſententia ſtabili, inuariabili, & vndequaque æterna cenſeri, & dici poſſe cognoſcere vnamquamq; rem exiſtẽtem, quatenus continuo quodam & vndequaque æterno tramite iudiciorum eamdem exiſtentiam eius inceſanter, ſemperque intuetur; tametſi huiuſmodi iudicia in ſingulis momentis temporis diuerſa ſint quoad denominationem, quatenus ex diuerſis diſtantiis temporalibns, atque adeò quoad veritates talis exiſtentiæ diuerſas ratione diuerſorum eius ſtatuum attingunt illam. Quemadmodum

admodum vna, eademque visione corporea censentur oculi videre obiectum, quod in eorum prospectu continuo, & successiuo motu mouetur, tametsi talis visio singulis momentis temporis diuersa sit physicè quatenus ex diuersis distãtiis, perque diuersas lineas tendit in illud. Quo etiam pacto exponi possent Theologi, & Patres, dum scientiam diuinam de vnaquaque re contingente eamdem semper, & inuariabilem prædicant. Nihilominus ego in re tam graui non audeo huiusmodi limitationes appingere vniuersalibus loquutionibus Patrum, & Theologorum absolutè, & sine limitatione asserentium tanquam quid certum, scientiam Dei decursu temporis neque augeri, nec minui posse, nec variationem vllam pati. Quare, malo suspenso iudicio veritatem à Doctoribus mihi tradendam expectare, quam meis argumentis fortè delusus, de noua notitia decursu temporis acquisita præsumere; persistens interim in propositione ex eorumdem Patrum, & Theologorum concordi sententia suprà statuta. De qua plura dicenda venient in *Tract.* de scientia.

225 Restat nunc, vt pro tertia quæstionis parte breuiter adnotemus. Primò futuritionem, præsentiam, atque præteritionem rerum aliam absolutam, aliam conditionatam esse: quia omnis status existentialis, siue conditionatus, siue absolutus, rursus in statum futuritionis, præsentiæ, & præteritionis diuidendus venit; eo quod quidquid quoquo modo existit, in aliquo tempore existat, necesse est. Omne autem tempus, vel futurum esse debet, vel præsens, vel præteritum.

226 Secundò. Futuritio, præsentia, & præteritio rerum siue absoluta, siue conditionata, alia contingens est, alia necessaria: quia non solùm, quæ contingenter, sed etiam, quæ necessariò existunt eas tres differentias, statusve existendi subire possunt; siquidem prout existentia, seu potius prout extitura in tempore futuro dici possunt futura, & præsentia prout in præsente, & præterita prout in præterito.

227 Tertio. Futuritio, præsentia, & præteritio rerum aut positiua esse potest, aut negatiua: erit positiua, si rei positiuæ conueniat; negatiua autem, si negationi; sed de hoc plura dicemus *quæst. sequenti.*

228 Quartò. Futuritio, & præteritio rerum aut determinata, aut vaga potest esse; idque, vel ex parte ipsarum rerum futurarum, aut præteritarum; vel ex parte temporum, in quibus illæ sunt futuræ, aut præteritæ. Erit ex parte rerum determinata, si res futuræ, aut præteritæ determinatæ sint: vaga autem, si vagæ, iuxta dicta de rebus, siue de veritatibus rerum vagis *quæst.* 2. Ex parte autem temporum determinata erit, si mensuræ temporum, in quibus res dicuntur futuræ, aut præteritæ determinatæ fuerint; vt cùm dicimus: *vigesimo ab hinc die erit pluuia*: *Trigesimo ab hinc retro anno natus est Petrus.* Vaga verò cùm tales mensuræ vagæ fuerint, vt si dicamus: *aliquo subsequentium annorum nascitur est Antichristus*: *in aliquo præcedentium annorum natus est Christus.* Pariterque in similibus.

## QVÆSTIO IV.

### *Quænam veritates obiectiuæ in speciali pertineant ad singulos status, de quibus in præcedentibus quæstionibus tractatum est.*

PRo resolutione huius quæstionis supponendum 229
est primò. Nos cognoscentes per species alienas multos conceptus obiectiuos habere posse, quos cognoscentes per proprias non possunt habere: quia quod cognoscitur per propriam speciem per se, & in se cognoscitur, indeque fit, vt non possit non habere obiectiuè in mente cognoscentis idem omnino *esse*, quod de suo, siue quiditatiuè habet re verà in se. Quod verò cognoscitur per speciem alienam, per alienum substitutum, siue in alieno substituto cognoscitur, atque adeò aliud est obiectiuè in mente cognoscentis ab eo, quod re ipsâ est in se. Vnde sequitur, à cognoscentibus per proprias species multa non esse conceptibilia, eo quod de suo, & in se re verâ nullum esse conceptibile habent; quæ tamen à cognoscentibus per species alienas conceptibilia sunt; eo quòd in alieno substituto *esse* aliquod obiectiuum, atque adeò conceptibile habere possunt, quod non habent in se, prout latè *disputatione 2. quæst. 3.* ostensum est. Ex quo rursus efficitur, vt à cognoscentibus per species proprias nullatenus possint concipi identificata extrema, quæ in se, & de suo distincta sunt; paritérque nullatenus possint concipi distincta extrema, quæ in se, & de suo sunt vnum, & idem. Cùm tamen à nobis per species alienas passim concipiantur identificata, & adunata extrema, quæ in se sunt distincta, & plura, distinctaque vice versa, & plura, quæ in se sunt idem, & prorsus vnum, vt constat ex dictis *loco citato*, ampliúsque constabit ex dicendis *disp. 13. quæst. 9.* & *seqq.* Similiter negationes rerum per proprias species concipi nequeunt; bene tamen per alienas, quia nullum *esse* habent in se conceptibile, bene tamen in substituto alieno, vt vidimus *disputatione 9. quæst. 3.*

Secundò supponendum est, iudicium negatiuum 230
cuiusuis intellectus in recessu quodam à re, quæ negatur consistere, vt explicauimus *disp. 2. quæst. 4.* Vnde necessario supponit apprehensionem rei, quæ negatur, iuxta *ibi* dicta. Ex quo fit, id solùm à quouis intellectu negari posse iudicio negatiuo, quod ab eodem apprehendi, siue concipi potest; atque ita, quæ à cognoscentibus per proprias species non sunt conceptibilia, iuxta suppositionem primam, non solùm non affirmatiuè; sed neque negatiuè sunt ab ipsis iudicabilia: tametsi à cognoscentibus per species alienas vtroque modo iudicabilia sint, eo ipso, quod ab ipsis conceptibilia sunt.

Ex his supponendum est tertiò. Ea solùm obie- 231
cta, quæ à cognoscentibus per species proprias sunt verè iudicabilia affirmatiuè, aut negatiuè, habere in se re ipsâ veritatem obiectiuam, aut positiuam, aut negatiuam. Cætera autem, quæ à cognoscentibus solùm per species alienas insuper sunt verè iudicabilia eatenus solum censeri vera obiectiuè, quatenus aliis obiectis æquiualent, aut ea supponunt, quæ veritatem obiectiuam habent in se. Quoniam sola obiecta prioris generis habent in se re ipsâ *esse* verè affirmabile, aut *non esse* verè negabile. Cætera verò tantùm habent *esse*, aut *non esse* in alieno sub-

ſtituto obiectiuè; atque adeò non propter *eſſe*, aut *non eſſe*, quod illa habent, ſed propter aliud, quod ſupponunt, aut cui æquiualent, cenſentur verè affirmabilia, aut verè negabilia. Pro exemplo obiectorum prioris generis ſint hæc: *Petrus exiſtit: Ioannes non exiſtit: Homo eſt rationalis: ſi extiterit ignis, exiſtet calor. Si Petrus vocetur, reſpondebit: Si nō extiterit cauſa, non exiſtet effectus*, & cætera huiuſmodi. Pro exemplo autem obiectorum poſterioris generis ſint hæc: *Negatio Petri exiſtit: Petrus eſt cæcus: Petrus non eſt lapis: Impoſſibile eſt, Petrum eſſe lapidem: Si Angelus eſſet homo, eſſet riſibilis: Si attributa Dei eſſent realiter diſtincta, non eſſent infinitè perfecta*; & ſimilia. Priora enim obiecta à cognoſcentibus per proprias ſpecies iudicabilia ſunt, vt ſonant, aut affirmatiuè, aut negatiuè, iuxta vniuſcuiuſque naturam. Poſteriora verò non item; ſed tantùm à cognoſcentibus per ſpecies alienas. Cognoſcentes namque per proprias ſpecies omnium rerum tam non exiſtentium, quàm exiſtentium concipiunt exiſtentias, dum res ipſas concipiunt, vtpote indiſtinctas realiter ab ipſis rebus; atque ita optimè poſſunt iudicare, tum res exiſtere, quando exiſtunt, iudicio affirmatiuo; tum res non exiſtere, quando non exiſtunt, iudicio negatiuo; idque aut abſolutè, aut conditionatè, iuxta modum, quem illæ habent exiſtendi, aut non exiſtendi. Similiter, & ob eamdem rationem poſſunt affirmare de rebus omnes veritates quiditatiuas earum, vtpotè ab ipſis indiſtinctas: negatiuam verò veritatem ad ſtatum rerum quiditatiuum pertinentem nullam iudicare poſſunt iudicio negatiuo, cùm ea in negatione identitatis extremorum diſtinctorum deberet vnicè conſiſtere, iuxta dicenda poſtmodum, quam ipſi concipere nequeunt, iuxta *ſuppoſitionem primam*. Quo fit, vt neque iudicare poſſint obiecta ſecundo loco pro exemplo propoſita, quæ huiuſmodi identitatem inuoluunt: ſicut neque, quæ inuoluunt diſtinctionem extremorum identificatorum realiter; neque, quæ inuoluunt negationem per modum entis poſitiui. Quæ tamen à nobis cognoſcentibus per ſpecies alienas in alienis ſubſtitutis iudicabilia ſunt. Et quidem verè ob veritates aliorum obiectorum, quibus æquiualent, aut quas ſupponunt, & quæ à cognoſcentibus etiam per ſpecies proprias verè ſunt iudicabiles. Nimirum obiecta illa: *Negatio Petri exiſtit: Petrus eſt cæcus*, vera cenſentur: quia æquiualent his, quæ in ſe ſunt vera: *Petrus non exiſtit: Petrus non videt*, & illa: *Petrus non eſt lapis: impoſſibile eſt, Petrum eſſe lapidem*, vera cenſentur, quia æquiualent his veris in ſe: *Petrus diſtinguitur à lapide: Petrus, & lapis neceſſariò diſtinguuntur*. Illud autem: *ſi Angelus eſſet homo eſſet riſibilis* verum cenſetur, ob veritatem hanc, quam ſupponit: *Omnis homo eſt riſibilis*, & illud: *ſi attributa Dei eſſent realiter diſtincta, non eſſent infinitè perfecta* verum cenſetur à veritate hac, quam ſupponit: *Attributa Dei à ſuâ identitate habent infinitatem perfectionis*. Pariterque de aliis ſimilibus philoſophandum eſt.

232 Ex quibus ſequitur, ſupponendum quartò, præter ſtatus rerum reales, de quibus, vt talibus in præcedentibus quæſtionibus tractatum eſt, dari inſuper ſtatus quoſdam ſuppoſititios oriundos à noſtro intellectu, ad quos pertinent obiecta illa, quæ à nobis cognoſcentibus per ſpecies alienas conceptibilia, atque adeò iudicabilia ſunt; non itidem à cognoſcentibus per proprias ſpecies, tametſi obiectiuæ veritates ab his cognoſcibiles, ob quas cenſentur illa vera, aut per æquiualentiam, aut aliter, reales ſint, ad ſtatuſque ſubinde reales ſupràdictos pertineant.

Quantò ſupponendum eſt. Quando ad aliquem 233
ſtatum ſiue realem, ſiue ſuppoſititium, duplex genus obiectorum ſpectat, poſitiuorum ſcilicet, qualia ſunt, quæ terminant iudicia affirmatiua, & negatiuorum, qualia ſunt, quæ terminant iudicia negatiua: tunc talem ſtatum in duo etiam membra intra proprium genus venire diuidendum, nimirum in poſitiuum & negatiuum. Quandoquidem huiuſmodi ſtatus aliud non ſunt, vt conſtat ex ſæpe dictis in *ſuperioribus* à conceptibus obiectiuis, qui ad illos pertinere dicuntur. Sic ſtatus exiſtentialis tum conditionatus, tum abſolutus in poſitiuum, & negatiuum eſt diuidendus; & alij ſimiliter. Quomodò autem ſola obiecta, quæ ad ſtatus reales pertinent, realem veritatem habeant in ſe aut poſitiuam, aut negatiuam; non verò itidem, quæ pertinent ad ſtatus ſuppoſititios, ex dictis *ſuppoſitione tertia* conſtat.

## *Propoſitio 1.*

Ad ſtatum rerum exiſtentialem abſolutum mul- 234
tæ obiectiuæ veritates, multaue obiecta vera in ſe pertinent; necnon alia quædam, quæ tantùm per æquiualentiam vera cenſentur.

Loquor de ſtatu exiſtentiali abſoluto comprehendente ſub ſe tum poſitiuum, & negatiuum; tum realem, & ſuppoſititium; tum ſtatus futuritionis, præſentiæ, atque præteritionis. Et probo propoſitionem diſcurrendo per ſingulos, & vnicuique aſſignando ſua obiecta, ſiue obiectiuas veritates.

Primo enim omnes veritates exiſtentiales poſiti- 235
uæ, & abſolutæ, quas omnes res poſitiuæ habere cenſentur; hoc ipſo, quòd abſolutè exiſtunt in rerum naturâ, ad ſtatum realem exiſtentialem poſitiuum, & abſolutum pertinent, vt eſt notiſſimum ex ſe, & ex dictis. Quid autem ſit, res exiſtere in rerum natura, ex dictis *q.* 1. conſtat. Omnes autem huiuſmodi veritates aut de futuro, aut de præſenti, aut de præterito poſſe eſſe; necnon, aut contingentes, aut neceſſarias, ex dictis *q.* 3. liquidum eſt.

Secundò ad ſtatum exiſtentialem realem nega- 236
tiuum, & abſolutum omnes illæ veritates pertinent quas omnes res abſolutè non exiſtentes prout tales habere dicuntur. Quoties enim aliqua res abſolutè non exiſtit in rerum natura, à parte rei eſt obiectiuè verum, ipſam non exiſtere, vtpote iudicabile verè iudicio negatiuo, non ſolùm à nobis, ſed etiam à cognoſcentibus per proprias ſpecies, iuxta dicta *ſuppoſitione tertia*. Huiuſmodi autem veritas obiectiua exiſtentialis negatiua dicenda venit, quatenus per eam rei exiſtentia negari, ſeu non eſſe, ſeu deficere dicitur. Ad ſtatumque ſubindè pariter exiſtentialem, & negatiuum pertinet. Tot igitur ad talem ſtatum veritates huius generis pertinere dicendæ ſunt, quot ſunt res non exiſtentes abſolutè in naturâ rerum. Quæ itidem eatenus aut de futuro, aut de præſenti, aut de præterito eſſe poſſunt, quatenus res aut de futuro, aut de præſenti, aut de præterito poſſunt non exiſtentes eſſe. Nam, vt verum poſitiuè eſt de futuro quidem rem fore, de præſenti autem rem eſſe, & de præterito rem fuiſſe: Ita ſimiliter verum eſt negatiuè de futuro quidem, rem non fore, de præſenti autem, rem non eſſe, & de præterito, rem non fuiſſe.

Nec refert, negationes rerum à parte rei prorſus 237
eſſe nihil, qua ratione *diſp. 9. q.* 3. explicatum à nobis eſt; quominus veritates negatiuæ prædictæ dicantur aut reales eſſe, aut à parte rei dari ſuo modo. Quoniam ad id non opus eſt, quòd ſit aliquid à parte rei, ſed potiùs, quòd non ſit, ſeu, quòd ſit nihil,

iuxta

iuxta dicta latiùs *ibidem*. Vbi etiam diximus, huiusmodi negationes, seu negatiuas veritates per modum rerum positiuarum concipi à nobis, atque ita affirmatiuè iudicari; & quidem verè per quamdam æquiualentiam, qualiter à cognoscentibus per propriasspecies neque iudicabiles, neque conceptibiles sunt. Vnde fit tertiò, eas prout sic conceptibiles, & iudicabiles ad statum quemdam existentialem pertinere absolutum, & positiuum non realem, sed supposititicium, vtpote oriundum à nostro modo intelligendi per species alienas, iuxta *superiùs* dicta. Quemadmodum ad statum negatiuum supposititicium pertinent quartò negationes chymerarum à nobis solùm per species alienas conceptibilium; secus à cognoscentibus per propriasitales enim negationes non dantur re ipsâ, nec habent in se veritatem, sed ab aliis obiectis in se veris censentur illam participare, vt etiam ex dictis in *superioribus* notum est.

238 Porrò huiusmodi veritatum re ipsâ negatiuarum, & prout à nobis solent concipi supposititicè positiuarum aliæ contingentes sunt, aliæ necessariæ. Contingentes quidem, quæ negant, excludunt, seu remouent ab existentiâ res contingentes: necessariæ autem, quæ impossibiles, vt sunt omnes chymeræ in se conceptibiles, iuxta dicenda *disp.* 11.

239 Sed dubitari hìc poterit: an quando res existens est in vno tempore, & non in reliquis, in his dicenda sit dari re ipsâ veritas negatiua, siue negatio opposita existentiæ eius? Negant nonnulli Recentiores contra omnium existimationem communem, ob id asserentes, hodiè non dari negationem existentiæ Antichristi, sed tantùm negationem hodiernæ durationis eius, (quam tali existentiæ superadditam esse supponunt) & in cæteris pariter. Sed dicendum omninò est: quo tempore res non existit, veritatem negatiuam dari oppositam non solùm durationi pro tali tempore, sed etiam existentiæ eius; quamtumuis ea in tempore posteriore sit extitura; aut extiterit in priore; idque siue res suapte essentiâ affixa sit tempori, in quo existit, impotensque subinde existere in alio, in quo non existit; siue sit, indifferens ad existendum in quouis tempore, atque ita per durationem sibi accidentaliter superadditam existens in eoque in quo existit, potensque pariter existere in eo in quo non existit.

240 Itaque hodiè non solùm datur, siue existit negatio durationis hodiernæ Antichristi (qua ratione negationes per quamdam æquiualentiam cum veritate dici possunt dari, aut existere, iuxta doctrinam commemoratam nuper ex *disput. 9. quæst. 3.*) sed etiam datur, siue existit negatio existentiæ Antichristi, nec non negatio existentiæ durationis, quam Antichristus est posteà habiturus in suo tempore affixæ essentialiter ipsi tempori. Tantumdemque venit dicendum de negationibus cæterarum omnium rerum, & durationum hodiè non existentium, quæ posteà sunt extituræ, vel anteà extiterunt. Supponimus enim cum Recentioribus præfatis, res indifferentes ad existendum in quouis tempore per durationes superadditas determinari ad existendum in singulis temporis mensuris. Durationes autem per se ipsas, adeò, vt vnaquæque propriæ mensuræ sit affixa, neque in aliâ existere possit, vt pluribus ostendemus *suo loco*.

241 Igitur probatur imprimis assertum de negationibus rerum. Quoniam Antichristus posteà extiturus hodiè simpliciter non existit in rerum naturâ: quia neque existit in suo tempore, eò quòd tale tempus nondum accessit, atque ita hodiè simpliciter existens non est; neque existit in tempore hodierno, aut in alio quopiam, vt constat. Ergo existit hodiè negatio eius; rem enim simpliciter non existere, & negationem eius existere prorsus est idem.

Dicent: Antichristum eo ipso, quòd sit extiturus 242
in suo tempore futuro, simpliciter non deficere à rerum naturâ; atque adeò ex deficientiâ eius à tempore hodierno non bene argui existentiam negationis eius in tempore hodierno; sed tantùm existentiam negationis durationis eius hodiernæ; quemadmodum ex deficientiâ, qua Papa deficit à Compluto, non benè infertur, Compluti existere negationem existentiæ Papæ, sed tantùm, Compluti existere negationem præsentiæ reddentis Papam præsentem Compluto. Hoc locorum, præsentiarumque localium exemplum decepit Recentiores, quasi de temporibus, & durationibus eis respondentibus perinde, quod ad rem attinet, atque de locis, & præsentiis eis respondentibus philosophàdum sit: quod palam falsum est; eò quòd loca, & præsentiæ eis respondentes permanentes sunt in existendo natura sua; cùm tamen tempora, & durationes eis respondentes sua natura in existendo sint successiua. Hinc namque nascitur, vt licet Papa deficiat modò ab hoc loco, simpliciter modò non sit deficiens: quia simpliciter est modò existens in loco Romano. Quo fit, vt negatio existentiæ eius in hoc loco modò non detur, sed tantùm negatio præsentiæ eius respondentis huic loco. Cùm tamen Antichristus eo ipso, quòd deficit modò ab hoc tempore, non possit non simpliciter esse modò deficiens: quia in nullo tempore modò est existens simpliciter; fore enim vt existat in tempore futuro modò non existente, non est habere illum existentiam simpliciter, sed fore vt habeat posteà. Quo fit, vt existentia Antichristi neutiquam possit ab hodierno die deficere, quin à tota natura rerum sit hodiè deficiens simpliciter, subindeque, quin hodiè existat negatio eius, & non solùm negatio durationis eius hodiernæ.

Quàm autè doctrina hæc vera sit ab absurdis, quæ 243
ex oppositaRecentiorum sequuntur, manifestè probatur. Primò enim sequitur ex illa, Christum verè non fuisse mortuum: quia vera mors conceptione omnium in corruptione, seu desitione vnionis animæ, & corporis consistit. Vnio autem animæ, & corporis Christi iuxta Aduersarios nec fuit corrupta, nec verè desiuit esse, seu existere; sed tantùm negatæ sunt ei durationes sequendæ post vltimam sub quâ durauit. Secundò sequitur, nullam creaturam à se productam annihilare posse: quia nulli potest negare existentiam, quam semel concessit; sed tantùm superadditas durationes; annihilatio autem secundum omnes absque negatione, siue desitione existentiæ rei annihilatæ stare non potest. Tertiò sequitur, Mundum nunquam caruisse existentia, quâ modò habet; sed tantùm caruisse durationibus præcedentibus primam, quam habuit; Siquidem caruisse Mundum existentia toto tempore antequàm cæperit durare; & toto eodè tempore extitisse negationem existentiæ eius idem omnino est, vt constat; & iuxta Aduersarios toto eo tempore negatio existentiæ mundi non extitit; sed negatio solùm durationis eius pro illo. Hinc autem contra scripturam sequitur; Deum Mundum in principio non creauisse: quia creare quidpiam in tempore, siue illud producere ex nihilo, idem est, iuxta omnium mentem, atque dare illi existentiam, qua penitus antea carebat. Quartò denique sequitur, vt innumera alia absurda præteream, gratiam ab animâ non expelli per peccatum mortale: quia nec gratia, nec eius vnio cum anima desinit esse, iuxta Aduersarios; sed

tantùm

tantùm vlteriores durationes eius impediuntur.

244 Ex quibus omnibus concluditur, in quocunque tempore non existunt res indifferentes ad existendum in quouis tempore, ibi negationem non solùm durationis, sed etiam existentiæ earum existere, quantumuis illæ sint extituræ in tempore subsequente, aut in antecedente extiterint. Id, quod similiter venit probandum de durationibus rerum, quæ suâ naturâ quoad existentiam propriis mensuris temporum affixæ sunt.

245 Sed dices. Negatio ibi solùm dici potest per æquiualentiam existere, vnde excludit rem, quam negat; inde autem excludit, vbi existeret res negata, si existeret. Ergo neque negatio existentiæ, neque negatio durationis futuræ Antichristi dici potest existere hodiè: quia neque Antichristus, neque eius futura duratio existerent hodiè per se, casu quòd hodiè existerent; sed per superadditam durationem, cùm neutrum eorum suapte essentia sit existentia hodierna, vt constat. Vnde concluditur neque Antichristum, neque eius durationem futuram deficere ab hodierno die per se, seu per defectum proprium; sed tantùm per defectum hodiernæ durationis suæ. Quod ipsum est; huius dumtaxat negationem, non item negationem illorum existere hodie. Respondeo, negationem duplici titulo esse posse in aliqua temporis mensura. Primo, quia inde excludit per se rem negatam. Secundo, quia intime connectitur cum negatione durationis, quam res negata haberet in ea mensura, si existeret. Quamuis autem negatio Antichristi, & negatio durationis futuræ eius non existant hodie primo titulo: quia non excludunt per se rem negatam ab hodierno die, sed media alia negatione durationis hodiernæ eius, existunt tamen hodie secundo titulo: quia intimè connexæ sunt cùm dicta negatione durationis hodiernæ rei negatæ. Verùm de his plura *alibi suo loco* dicenda sunt vbi de duratione rerum, atque etiam negationum tractare sumo exprofesso.

## *Propositio 2.*

246 Ad statum rerum quiditatiuum absolutum multæ obiectiuæ veritates, multaue obiecta vera in se pertinent; necnon alia quædam, quæ per æquiualentiam tantùm, aut aliter, quàm à veritate propria vera censentur.

Loquor de statu quiditatiuo absoluto complectente tum realem, tum supposititicium, tum positiuum, tum negatiuum, tum rerum impossibilium, tum possibilium. Et probo propositionem dicurrendo per singulos, & vnicuique assignando sua obiecta, siue obiectiuas veritates.

247 Primò enim ad statum quiditatiuum absolutū realem, & positiuum pertinent omnes obiectiuæ veritates, quæ rebus positiuis, & possibilibus necessariò conueniunt cum præcisione ab existentia, quales sunt, quæ ad earum essentiã, aut passiones, vel proprias, vel communes spectant, vt: *homo est rationalis: homo est risibilis. Triangulus habet tres angulos æquales duobus rectis*; & similes. Pertinent itidem ad eumdem statum veritates similes obiectiuæ pariter conuenientes chymeris impossibilibus positiuis, quæ in se ipsis, atque adeò à cognoscentibus etiam per species proprias sunt conceptibiles, iuxta dicenda *disp.* 11. Nam, & istæ chymeræ habent in se, & de suo essentias, passionesque iudicabiles verè: quod ipsum est habere illas in se dictas obiectiuas veritates ad dictum statum petinentes. Sunt autem huiusmodi istæ. *Secundus Deus chymericus est omnipotens: Peccatum Deo impossibile rationi est dissonum: Calefactio oriunda à frigore est impossibilis*; & aliæ id genus.

Secundò ad statum quiditatiuum absolutum, supposititicium, & positiuum illa spectant obiecta, quæ cùm sint necessariò vera cum præcisione ab existentiã, in se tamen conceptibilia non sunt; sed tantùm in substitutis alienis, atque adeò non à veritate propria sunt vera; sed à veritate aliorum, quibus æquiualent, aut quæ supponunt, iuxta doctrinam suppositam *num.* 229. & *seqq.* sunt autem huius generis imprimis illæ obiectiuæ propositiones, vbi de negationibus positiuè conceptis aliquid affirmamus verè cum præcisione ab existentia, vt in his: *negatio Petri de se est nihil. Negatio Petri distinguitur à negatione Pauli. Pauli: negationes Petri, & Pauli sunt similes; sunt possibiles*; & in aliis huiusmodi. Tum etiam; illæ obiectiuæ propositiones, vbi chymeris positiuis non in se ipsis; sed tantùm in substitutis alienis conceptibilibus, iuxta dicenda *disputatione* 11. aut essentiam qualem qualem earum, aut passiones seu communes, seu proprias cum præcisione ab existentia positiuè, siue affirmatiuè tribuimus; vt cùm de chymerâ resultante ex homine, & equo identificatis dicimus, esse hominem equum, esse rationalem, esse risibilem, esse impossibilem, &c. & de similibus pariter. 248

Tertiò ad statum quiditatiuum absolutum, realem, & negatiuum nullæ veritates pertinent obiectiuæ; nullusque subinde datur huiusmodi status realis. Nam vt veritas negatiua existentialis absoluta, & realis ea solùm est, qua ab statu existentiali positiuo absoluto, & reali vnaquæque res, quæ non existit realiter, remouetur, iuxta dicta *propos.* 1. ita veritas negatiua quiditatiua, absoluta, & realis ea solùm deberet esse, qua ab statu quiditatiuo positiuo absoluto, & reali vnaquæque res remoueretur, quæ realiter, & absolutè non esset de suo id, quod realiter, & absolutè de suo quiditatiuè est. Cumque de nullâ re possit esse verum, non esse eam realiter, & absolutè de suo id, quod realiter, & absolutè de suo quiditatiuè est, vt est notum; tametsi sint multæ, de quibus est verũ, eas realiter, & absolutè in rerum naturâ non existere: ideò nulla datur veritas negatiua quiditatiua absoluta, & realis; subindeque nullus datur status negatiuus quiditatiuus realis, & absolutus rerum; tametsi dentur multæ veritates negatiuæ existentiales absolutæ, & reales; subindeque est status negatiuus existentialis realis, & absolutus, ad quem illæ pertinent, vt vidimus *propositio* 1. 249

Dices. Veritas hæc: *Petrus non est lapis*, & similes quiditatiuæ sunt, & negatiuæ: igitur falsa est doctrina *num praced.* Resp. Obiectum hoc: *Petrus non est lapis*, & similia vera quidem esse quiditatiuè, non tamen à veritate negatiua, quam in se contineant realiter; sed à veritate positiuâ, quam in hoc; *Petrus distinguitur à lapide*, & in similibus, quibus æquiualent, supponunt. Obiectum quippe: *Petrus non est lapis*, & similia, vt sonant, non sunt negatiuè iudicabilia à cognoscentibus per proprias species; sed tantùm à cognoscentibus per alienas: quia identitas extremorum re ipsâ distinctorum, quam remouent, ab his dumtaxat, non verò ab illis est conceptibilis, iuxta dicta *suppos.* 1. Vnde talia obiecta veritatem negatiuam in se non continent realiter, iuxta dicta *suppos.* 3. aque ita ad statum aliquem quiditatiuum realem negatiuum, & absolutum non pertinent; sed tantùm ad supposititicium, iuxta dicenda postmodum. Cùm tamen alia obiecta 250

cta in se vera, à quibus illa suam veritatem trahunt, ad statum quiditatiuum realem pertineant non negatiuum; sed positiuum. De quo *num.* 247.

251 Dices secundò. Quoties actus subiecto impossibilis à cognoscentibus per species proprias est conceptibilis, vt sæpe euenit, iuxta dicenda *disputatione* 11. ab eisdem negabilis subiecto videtur cum necessaria veritate ab existentiâ præscindente. Erit igitur talis veritas quiditatiua negatiua, & realis iuxta doctrinam suppositionis tertiæ. Tales esse videntur istæ: *Ignis de suo non frigefacit*: *Frigus calefacit*: *Deus non peccat*; & similes. Respondeo. Huiusmodi veritates sumptæ cum præcisione ab existentia, quo solùm pacto pertinent ad statum quiditatiuum, respectu nostri dumtaxat; atque adeò suppositiuè esse negatiuas; re tamen ipsâ, & respectu cognoscétium per proprias species positiuas esse. Quia ab his non est iudicabilis actus repugnans subiecto (sicuti est à nobis) iudicio negatiuo remouente illum à subiecto intra statum quiditatiuum; sed tantùm iudicio affirmatiuo inspiciente in illo repugnantiam cum ipso identificatam, quam habet de suo cum subiecto: atque ita veritas quiditatiua, quam talis actus habet re ipsâ respectiuè ad tale subiectum, non negatiua, sed positiua est.

252 Hinc quartò. Ad statum quiditatiuum absolutum supposititicium, & negatiuum obiecta illa negatiua, & necessariò vera pertinent, de quibus in duobus numeris præcedentibus dictum est, & cætera eiusmodi.

## *Propositio* 3.

253 Ad statum rerum existentialem conditionatum multę obiectiuę veritates, multæve obiecta vera in se pertinent; necnon alia quædam, quæ per æquiualentiã, aut aliter, quàm à veritate propria vera cẽsentur.

Loquor de statu existentiali conditionato complectente, tum realem, tum supposititicium, tum positiuum, tum negatiuum, tum necessarium, tum contingentem, tum de futuro, tum de præsenti, tum de præterito. De quibus eodem pacto philosophandum est, proportione seruatâ, ac de statibus existentialibus absolutis *proposit.* 1. philosophati sumus; quantum ad ea, quæ *ibi* sunt dicta, & vtrisque communia sunt; additis tamen quibusdam aliis ad hos spectantibus speciatim.

Prænotandum tamen est breuiter: cùm veritas,
254 seu potiùs propositio obiectiua conditionata ex conditione, & conditionato coalescat, prout dictum est *quæst.* 2. ex horum duorum multiplici comparatione multiplicem posse illam imprimis subire diuisionem. Primò enim conditio, & conditionatum aut inter se connexa, aut inter se opposita, aut aliter inter se relata esse possunt; idque vel mutuò, vel non mutuò. Connexio autem eorum, & oppositio, aut metaphysica, aut physica, aut moralis esse potest, iuxta horum diuisionem non semel in *superioribus* tactam, tradendamque ex professo *infra disp.* 14. Secundò fieri potest, vt conditio in conditionatum influat, vel vice versa; aut tanquam causa, aut tanquam conditio causandi, idque in quolibet causarum genere. Tertiò conditio, & conditionatum, omnibus numeratis respectibus connexionis, oppositionis, relationis, & influxus carere possunt; quo casu solùm quoad coniunctionem comparabuntur. Quartò denique innumeris propemodum modis conditio, & conditionatum comparanda veniunt; si omnis mixtio, omnisve combinatio possibilis ex prædictis terminis fiat, vt ab vnoquoque fieri poterit per regulas combinandi à nobis tradendas *inferius disp.* 29.

Hinc propositio conditionata tum obiectiua, tum formalis ei correspondens celebri diuisione diuiditur in illatiuam causalem, & purè coniunctiuam. 255
Illatiua dicitur, quando conditio connectitur cum conditionato. Causalis, quando conditio influit in conditionatum; & purè coniunctiua, quando conditio neque connectitur cum conditionato, nèque in illud influit, quo casu talis conditio disparata solet vocari. Quomodò autem propositio conditionata veritatem habere possit non solùm quando est illatiua; sed etiam quando citra illationem aut causalis, aut purè coniunctiua est, contra aliquos sentientes oppositum, demonstrandum à nobis est in *Tract. de scient.* Deinde propositio conditionata, eiusque veritas celebri etiam diuisione diuiditur in necessariã, & contingentem (putà necessitate, & contingentia similiter conditionata, siue ex hypothesi cõditionis.) Necessaria est, quando conditio connexa est cum conditionato, Quare eius necessitas talis erit, qualis ea connexio, aut metaphyca videlicet, aut physica, aut moralis. Contingens autem est, quando conditio connexa non est cum conditionato, vnde omnis necessaria illatiua est, & è contra. Contingens verò aut causalis, aut purè coniunctiua esse potest; cùm tamen causalis, & necessaria possit esse, & contingens. At purè coniunctiua neque illatiua, seu necessaria, neque causalis esse potest. Prætereà propositio conditionata obiectiua in impossibilem, & possibilem (putà ex hypothesi) diuidi potest. Erit enim impossibilis, quando conditio opposita fuerit conditionato: Cuius proindè impossibilitas talis, qualis ea oppositio erit. Possibilis autem quando conditio conditionato non fuerit opposita. Porrò, omnis propositio conditionata necessaria contradictoriam habet impossibilem; & omnis impossibilis contradictoriam habet necessariam; & omnis concontingens contradictoriam contingentem, vt constat. Et quoniam nulla impossibilis est vera, conficitur, omnem veritatem conditionatam, aut necessariam, aut contingentem debere necessariò esse. Quæ duo membra sub aliis tribus illatiuæ causalis, & puræ coniunctiuæ, contineri constat ex dictis. De quibus omnibus plura dicenda sunt in *Tract. de scientia.* Hæc satis modò.

Quibus suppositis, dicendum sequitur. Primò ad statum existentialem realem conditionatum, & po- 256
sitiuum pertinere omnes veritates existentiales reales conditionatas, & positiuas: quemadmodum ad statum absolutum in reliquis similem, veritates absolutæ in reliquis similes pertinent, iuxta dicta *num.* 235. Secundò ad statum existentialem realem conditionatum, & negatiuum pertinere omnes veritates similium rationum; sicut ad absolutum in reliquis similem pertinent absolutæ, iuxta dicta *num.* 236. Tertiò ad statum conditionatum existentialem supposititicium, & positiuum pertinere omnes veritates conditionatas re ipsâ negatiuas; sed à nobis positiuè conceptas, vt ad similem absolutum pertinent similes absolutæ, iuxta dicta *num.* 137. Quemadmodum quartò ad statum existentialem conditionatum supposititicium, & negatiuum pertinent negationes conditionatæ chymerarum à nobis solùm per species alienas conceptibilium, vti ad simile absolutũ pertinẽt absolutę, iuxtà dicta *ibid.* Adde, ad alium statum existentialem conditionatum supposititicium & positiuum pertinere quintò existentias conditionatè veras dictarum chymerarum per species tantum alienas conceptibilium, vtpote, quæ

non

non à veritatepropria, sed à veritate aliunde tracta veræ sunt, vt ex dictis in *superioribus* constat.

257 Quas omnes veritates seu illatiuę, seu, causales seu pure cõiunctiuæ sint; atque adeò seu necessariæ, seu contingentes; tum de futuro, tũ de præsenti, tum de præterito posse esse ex dictis etiam colligitur. Quomodò autem quando res est sub conditione existens in vno tempore, & non in aliis non possit in his non dari sub tali conditione negatio eius, ex dictis a *n.* 239. venit aperte colligendum. Siquidem de existentia, & non existentia conditionata rerum, perinde ac absolutâ, quod ad rem attinet, philosophandum venit, vt constat.

## *Propositio 4.*

258 Ad statum rerum quiditatiuum conditionatum multæ obiectiuæ veritates, multave obiecta vera in se pertinent; necnon alia quædam, quæ aliter, quàm à veritate propriâ vera censentur.

Loquor hic etiam de statu quiditatiuo conditionato complectente realem, & supposititicium, positiuum, & negatiuum tum obiectorum impossibilium, tum possibilium. Et suppositis diuisionibus propositionum conditionalium factis *propos.* 3. quæ ex parte hic etiam habent locum, probo propositionem breuiter discurrendo per singulos dictos status, & vnicuique assignando sua obiecta consentaneè ad doctrinam datam in simili *propos.* 2. de pertinentibus ad statum rerum quiditatiuum absolutum.

259 Primò enim ad statum quiditatiuum conditionatum positiuum, & realem pertinent omnes veritates, vbi cum præcisione ab existentiâ conditionatè tribuuntur rebus positiuis earum essentiæ, aut passiones; siue tales res sint possibiles, siue earum impossibilium, quæ in se, & per proprias species sunt conceptibiles, iuxta dicta in simili de statu absoluto *num.* 247. Secundò ad statum quiditatiuum conditionatum positiuum, & supposititicium illa obiecta conditionata pertinent, quæ cum necessariò sint vera cum præcisione ab existentia, in se tamẽ nõ sunt conceptibilia; sed tantùm in substitutis alienis, iuxta dicta in simili de statu absoluto *n.* 248. Tertiò ad statum quiditatiuum conditionatũ negatiuum & realẽ illæ negatiuæ veritates pertinere videntur, vbi de vnaquaque re sub aliquâ conditione impossibili verè negatur id, quod quiditatiuè est, vt in his: *Si Petrus non esset homo, non esset rationalis*: *Si Petrus non esset homo, esset, & simul non esset homo*; in aliisque similibus. Quanquam enim de nullâ re possit negari verè absolutè esse id, quod quiditatiuè est, nullusque subindè detur status realis verus quiditatiuus negatiuus, & absolutus, vt *n.* 249. statuimus; sub conditione tamen impossibili sæpe negari verè potest; idque non solùm à nobis, quod est certum, sed etiam, vt mihi videtur à cognoscentibus per proprias species, Quocirca huiusmodi statum quiditatiuum conditionatum realem, & negatiuum censeo adstruendum. Etenim, vt potest etiam per proprias species negari existentia rei absolutè, & conditionatè, vti constat ex dictis, poterit vtique negari etiam quiditas rei saltẽ conditionatè; siquidem existentia rei non minùs, quam quiditas realiter est prorsus idem cum ipsa re. Quarto denique, ad statum quiditatiuum conditionatum negatiuum, & supposititicium ea omnia obiecta pertinere dicenda sunt, vbi aliquis conceptus interuenit per solas species alienas, non item per proprias conceptibilis, iuxta dicta de simili statu absoluto *n.* 252.

## *Propositio 5.*

Ad statum rerum disiunctiuum plurimæ obiectiuæ veritates, seu plurima obiecta aut in se, aut aliunde vera pertinent. 260

Imprimis enim pertinent obiecta in se vera, quæ æquiualenter tantùm sunt disiunctiua. Deinde pertinent obiecta disiunctiua formaliter, quæ à veritate determinatâ verificatiui, quod vnumquodque eorum supponit, euadunt vera, vt multis explicatum est supra *q.* 2. Præterea, quot sunt genera diuersa obiectorum quoquo modo verorum ad cæteros omnes status spectantia, iuxta dicta in totâ hâc quæstione totidem, & multò plura sunt spectantia ad statum disiunctiuum, quatenus in omnibus singillatim formari possunt obiecta disiunctiua, insuperque in eorum infinities infinitis mixtionibus: nulla quippe est excogitabilis pluralitas obiectorum quoquo modo verorum, aut quorũ vnum saltem sit verum, siue ad eumdem statum, siue ad diuersos pertinentium, omnibus eorum combinationibus, seu collectionibus infinitis factis, quæ disiunctiuè non possit concipi saltem à nobis, &, quæ subinde non constituat obiectum disiunctiuum formaliter, illudque verum à veritate determinata alicuius saltem ex extremis, ex quibus coalescit. Plurima etiam huiusmodi pluralitatum, seu collectionum veritatem insuper habebunt æquiualenter disiunctiuam, & re verâ determinatam, conditionatamque, atque adeò ab iis etiam, quæ per proprias species cognoscunt scibilem, seu iudicabilem, iuxta doctrinam statutam dictâ *q.* 2. Ex quibus apparet, quàm latè pateat multitudo veritatum obiectiuarum, siue obiectorum quoquo modo disiunctiuè verorum ad statum disiunctiuum pertinentium, prout in *propos.* dicimus. In quibus minutiùs exponendis non oportet morari.

Adnotare tamen oportet ad extremum huius quæstionis primò: inter propositiones obiectiuas conditionatas, quasdam esse purè existentiales, quasdam purè quiditatiuas, & quasdam mixtas. Tum quasdam esse purè affirmatiuas, seu positiuas; quasdam purè negatiuas, & quasdam mixtas. Purè existentiales appello eas, quarum conditio, & conditionatum secundum esse existentiale considerantur, seu accipiuntur. Purè autem quiditatiuas, quarum conditio, & conditionatum accipiuntur secundum esse quiditatiuum; & mixtas, quarum conditio accipitur quiditatiuè, & conditionatum existentialiter; vel vice versâ. Similiter purè positiuas dico eas, quarum ambæ partes, scilicet conditio, & conditionatum sunt positiuæ. Purè autem negatiuas, quarum ambæ partes sunt negatiuæ; & mixtas, quarum alterutra pars positiua, residuaque negatiua est. Quoniam verò potissima pars propositionis conditionatæ conditionatum est, vtpote, quod directè terminat iudicium, directèque subinde dicitur verum, aut falsum: à modo essendi, vel non essendi conditionati tota propositio conditionata denominari solet; quidquid sit de modo essendi, vel non essendi conditionis. Itaque, quoties conditionatum est existentiale, aut quiditatiuum, aut positiuum, aut negatiuum, tota propositio conditionata venit dicenda existentialis, aut quiditatiua, aut negatiua, quidquid sit de eius conditione. Ob id in superioribus sub propositione conditionatâ existentiali, tum purè existentialem, tum mixtam ex conditionato existentiali, & conditione quiditatiuâ comprehendi: & sub quiditatiuâ puram, & mixtam ex conditionato quiditatiuo, & conditione existentiali, & sub positiuâ puram, 261

puram, & mixtam ex conditionato positiuo & conditione negatiua. Denique sub negatiua puram, & mixtam vice versa. Quo etiam pacto de statibus, ad quos tales propositiones pertinent loquutus sum.

262 Secundò adnotandum est, inter propositiones etiam obiectiuas disiunctiuas quasdam similiter esse purè existentiales, quasdam purè quiditatiuas, & quasdam mixtas; tum quasdam esse purè positiuas, quasdam purè negatiuas, & quasdam mixtas; tum quasdam esse purè absolutas, quasdam purè conditionatas, & quasdam mixtas; tum quasdam esse purè de futuro, quasdam purè de præsenti, quasdam purè de præterito, & quasdam mixtas; tum eiusmodi mixtiones innumeris propemodùm modis variari posse omni dictorum terminorum combinatione factâ; cùm enim omnis propositio disiunctiua ex duobus saltem, ex pluribusque in quouis numero extremis disiunctionis possit coalescere, consequens est, vt vnum, aut plura talium extremorum vnius dictorum generum, aut etiam plurium eorum esse possint; alterum autem, aut plura reliqua alterius similiter talium generum, aut etiam plurium. Idque omni combinatione, omnique omnino mixtione possibili factâ, vt constat.

263 Tertiò adnotandum est: ibi solùm habere locum status de futuro, de præsenti, & de præterito; vbi seu positiuè, seu negatiuè agitur de existentia rerum, aut iudicando absolutè, aut iudicando conditionatè, aut ponendo in hypothesi, aut aliter quoquo modo apprehendendo, seu concipiendo illam; non item vbi agitur de sola quiditate rerum, quouis ex dictis; hæc namquè præcindit ab existentia, atque adeò etiam à tempore, à quo illæ statuum differentiæ sumuntur: prout *alibi* diximus.

264 Quartò adnotandum est: licet status rerum, de quibus in tota hac disp. tractamus, à veritatibus obiectiuis, siue obiectis veris, quæ ad ipsos diximus pertinere, re ipsa distincti non sint, vt sub initium quæstionis primæ, & sæpè *alibi* statuimus; eos tamen concipi à nobis instar quarumdam capacitatum, vbi eiusmodi veritates, siue obiecta vera suum locum, aut sedem habent. Ad eum ferè modum, quo spatium locale à præsentiis rerum possibilibus re ipsâ indistinctum, instar cuiusdam capacitatis vndequaque extensæ imaginamur, in quâ res cunctæ collocantur; ob idque imaginarium dicitur.

265 Quintò adnotandum est: quot sunt status rerum veri in superioribus explicati cum veritatibus obiectiuis ipsarum rerum identificati re ipsa; ad quos eædem veritates pertinere dicuntur, totidem posse, imò, & debere considerari status rerum falsi cum falsitatibus obiectiuis ipsarum rerum identificati re ipsa, ad quos eædem falsitates pertinere dicantur. Vt enim, existente Petro, veritas hæc: *Petrus existit*, pertinet ad statum existentialem absolutum, & verum; ita non existente Ioanne falsitas hæc: *Ioannes existit*, ad statum existentialem absolutum, & falsum pertinere dicenda est. Et, vt hæc: *Petrus est homo*, ad statum quiditatiuum absolutum, & verum, ita hæc: *Petrus est Angelus* ad statum quiditatiuum, absolutum, & falsum; & vt hæ ad status conditionatos veros: *Si quid fuerit homo, erit risibile: Si exterit ignis, existet calor*; ita hæ ad status conditionatos falsos. *Si quid fuerit Angelus, erit corpus: Si Petrus extiterit cras in peccato, cras existet in gratia.* Pariterque dicendum venit de cæteris.

266 Sextò adnotandum est: primam, potissimam, omniumque notabilissimam differentiam scientiarum humanarum ex differentia status quiditatiui, & existentialis scibilium rerum desumi. Scientia enim, quæ de rebus agit secundum *esse*, quod illæ habent intra statum quiditatiuum, quam ego vniuersè Metaphysicam dico, pro principiis habet notiones vniuersales, quæ primas, seu immediatas rerum proprietates notificant: Scientia verò, quæ de rebus secundum *esse* quod illæ habent in statu existentiali, quam ego vniuersè appello Physicam, pro principiis habet experimenta singularia, quæ sub sensum, atque adeò sub experientiam cadunt. Vnde prima de vnaquaque re agit quoad quid est; secunda verò quoad an est. Prima pro obiecto habet propositiones, quarũ prædicatum necessariò est subiecto annexum ob connexionem necessariam, quam hoc habet cum illo; secunda verò pro obiecto habet propositiones, quarum prædicatum accidentarium, contingensque subiecto est: atque adeò prima de veritatibus necessariis; secunda de contingentibus iudicat, aliasque differentias habent, de quibus vberiùs agemus *disputatione* 21. & 22.

## QVÆSTIO V.

*Quænam propositiones euidentes, aut aliàs certæ, seu per se notæ, seu demonstratæ ex terminis huius disputationis in superioribus expositis eliciantur, tum inter se, tum cum terminis præcedentium collatis.*

Dico elici, quæ sequuntur. 267

### *Propositio* 1.

Status existentialis absolutus, & positiuus in rebus creatis metaphysicè connexus est cum statu quiditatiuo; sed non è conuerso. 268

Quia impossibile est, vt aliqua res absolutam existentiam habeat, quin habeat quiditatem, & passiones annexas quiditati: bene tamen fieri potest, sæpeque fit, vt habeat de suo quiditatem, & passiones quiditati annnexas, quin habeat existentiam, vt est notissimum.

Ex hac propositione sequitur primò propter inuersam connexionem contradictoriorum extremorum, statum quiditatiuum absolutum, & negatiuum, qua ratione ille datur, iuxta dicta *quæst.4.propos.it.4.* cum existentiali absoluto, & negatiuo connexum esse metaphysicè; non tamen vice versa: quia necesse est, vt quod non habet quiditatem, non habeat existentiam. Tum vt, quod quiditatiuè non est quidpiam, nec sit id ipsum existentialiter; cùm tamen bene fieri possit, vt quod non habet existentiam, quiditatem habeat. Tum, vt, quod existentialiter non est quidpiam, id ipsum sit nihilominus quiditatiuè; vt satis constat. 269

Secundò sequitur, ab statu existentiali absoluto ad quiditatiuum absolutum benè argui affirmatiuè, secùs à quiditatiuo ad existentialem: negatiuè verò è conuerso ab statu quiditatiuo benè argui ad existentialem absolutum; secùs ab existentiali ad quiditatiuum. 270

Restrinxi autem propositionem ad res creatas: quia in Deo status quiditatiuus, & existentialis absolutus mutuò connexi sunt metaphysicè, eò quòd essentia diuina cum sua absoluta existentia metaphysicè connexa, est vt est notissimum. 271

## *Propositio 2.*

273 Omnis status absolutus cum aliquo conditionato est metaphysicè connexus; non tamen viceversâ.

Quoniam de quacumque re quidpiam est absolutè verum, de eadem est id ipsum verum sub aliquâ conditione siue distincta, siue indistincta ab ipsomet: Cùm tamen è contrà fieri possit, vt de aliquâ re sit quidpiam verum sub conditione aliquâ, quin sit de eadem id ipsum absolutè verum, vt est notissimum.

274 Vnde sit, ab omni statu absoluto ad aliquem conditionatum benè argui affirmatiuè; secus à conditionato ad absolutum. Negatiuè verò è conuerso, ab statu conditionato ad absolutum bene argui; secus ab absoluto ad conditionatum.

## *Propositio 3.*

275 Quoties conditio cum conditionato connexa, est, necessariò est verum conditionatum sub hypothesi conditionis.

Quia in tali casu necesse est, dari conditionatum, si detur conditio: hoc autem ipsum est, necessariò esse verum conditionatum sub hypothesi conditionis, vt constat; Idque siue conditio, & conditionatum sint positiua, siue sint negatiua; siue alterutrum positiuum, & alterum negatiuum sit.

276 Et quoniam nulla conditio est magis cum conditionato connexa, quàm, ab ipso à parte rei indistincta est, efficitur, nullum esse conditionatum, quod necessariò non sit verum, sub hypothesi suimet, seu sub hypothesi conditionis realiter à se ipso indistinctæ.

277 Vnde rursus efficitur, veritatem conditionatam necessariam titulo connexionis, quam habet cum conditionato conditio, aliam esse de conditione realiter à conditionato distinctâ; aliam de indistincta realiter.

## *Propositio 4.*

278 Omnis veritas conditionata necessariò transit in absolutam purificatâ conditione.

Quia purificatâ conditione, hoc est, ad statum absolutum verè reducta, impossibile est, vt non sit absolutè verum id, quod sub hypothesi illius erat verum conditionatè. Ob id, si semel est conditionatè verum, extiturum calorem, si extiterit ignis; deindeque est absolutè verum, extiturum ignem, nequit non esse absolutè verum, extiturum calorem; & in cæteris pariter.

279 Ex quo patet, coniunctum ex quâuis veritate conditionata, & ex purificatione conditionis metaphysicè connexum esse cum veritate absoluta conditionati; atque ita optimam esse arguendi formam, vbi ex veritate quauis conditionata, & purificatione conditionis simul, & indiuisim sumptis infertur veritas absoluta conditionati. Sic: *si Petrus vocatus fuerit, consentiet. At est vocandus: Ergo consentiet.* Similiterque in reliquis.

## *Propositio 5.*

280 Quod vnumquodque quiditatiuè, & absolutè est, aut non est, id ipsum sit, aut non sit conditionatè, & existentialiter sub hypothesi, quod existat, necesse est.

281 Quia, quod vnumquodque est, aut non est quiditatiuè, & absolutè, id necessariò est aut non est, in quocumque statu reperiatur, vt est notissimum; atque adeò in statu existentiali, casu quòd reperiatur in illo. Hoc autem ipsum est, esse illud tale existentialiter, sub conditione, quòd existat. Sic: quia Petrus quiditatiuè, & absolutè est risibilis; existentialiter conditionatè est risibilis, ex hypothesi, quòd existat, & in cæteris pariter. 282

Hinc: omnis veritas quiditatiua absoluta veritatem existentialem conditionatam fert necessariò secum annexam; omnisque subinde status quiditatiuus absolutus existentialem conditionatum similiter fert secum: Vnde à tali quiditatiuo ad talem existentialem legitimè arguitur.

## *Propositio 6.*

Impossibile est, vt ex duobus extremis vnum, 283
vel alterum sub disiunctione habeat *esse* re ipsâ; & neutrum eorum determinate habeat *esse* re ipsa.

Hæc propositio ex terminis est cunctis euidens; indeque demonstratur insuper: quia à parte rei dari entia vaga, seu disiunctiua non determinata, atque adeò ab omnibus entibus determinatis distincta realiter, manifestissimè repugnat. Darentur autem, si ex duobus extremis vnum, vel alterum sub disiunctione, & neutrum determinatè posset habere *esse* re ipsa; tum quia, quoties neutrum duorum extremorum habet *esse* determinatè, necundè potest esse verum, habere alterutrum *esse* sub disiunctione, vt satis, superque etiam ex se euidens est.

Est autem sermo in propositione tam de *esse* qui- 284
ditatiuo, quàm de *esse* existentiali extremorum, eoque, siue absoluto, siue conditionato: Idemque eodem titulo venit dicendum de duorum extremorum *non esse*. Repugnare scilicet, vt eorum alterutri sub disiunctione conueniat re ipsa *non esse*; & neutri eorum conueniat determinatè, vt est manifestum. Quod autem dictum est de duobus extremis, pariter dicendum venit de pluribus in quauis multitudine, vt constat.

## *Propositio 7.*

Impossibile est, vt actus quicunque ille sit, ver- 285
setur per se circa vnum, vel alterum terminum sub disiunctione, ipsumve vt sic tangat, siue respiciat, & circa neutrum eorum versetur, neutrumve tangat, siue respiciat determinatè.

Hæc propositio non minus est mihi euidens, quàm præcedens; indeque demonstrari potest, seu declarari primò: quia æquè imperceptibile, atque adeò æquè impossibile est, vnum, vel alterum extremum sub disiunctione, & neutrũ sub disiunctione & neutrum determinate existere, seque subinde exercere per actum existendi, atque vnum, vel alterum extremum sub disiunctione, & neutrũ determinatè terminare quemuis respectum, seque subinde exercere per actum terminandi illum. At primum euidenter est impossibile, iuxta *propos. 6.* ergo & secundum. Deinde, quia impossibile est, actum, siue respectum quemuis tangere per se A, vel B, disiunctiuè neutrum tangendo: Ergo tangere A, vel B disiunctiue; aliud re ipsâ esse non potest, quàm tangere aut A solùm, aut B solùm, aut vtrumque. Quod ipsum est tangere aut A solùm, aut B solùm, aut vtrumque determinatè, vt satis ex se est notum. Præterea si actus à parte rei tangeret vage A, vel B, aliquid daretur vagum à parte rei, nempe eiusmodi tractus, vtpote includens in suo conceptu reali inquantũ vagus

A, vel B, vagè. At dari aliquid à parte rei vagum, impossibile est, iuxta *propos. 6.* Ergo.

285 Quomodò autem actus, qui vulgò censentur per se versari circa vnum, vel alterum terminum sub disiunctione, siue vage; & circa neutrum determinate re vera non ita versentur; sed circa vtrumuis determinatè, sub conditione tamen defectus alterius, ex dictis *quæst. 1. num. 133. & seqq.* compertum est. Et quod dictum est de actu respiciente duos terminos, pariter de respiciente plures in quouis numero dicendum est. Loquor autem semper impræsentiarum de actu per se respiciente extrema disiuncti; nam de actu respiciente illa non per se, sed per aliena subsidiaria, aliter, quod ad rem attinet, philosophandum est, vt constat ex dictis etiam *quæstion. num. 2.*

## *Propositio 8.*

286 Impossibile est, vt actus, quicumque ille sit, conueniat per se vni, vel alteri subiecto sub disiunctione, & neutri eorum conueniat determinatè.

Hæc propositio æquè, ac præcedens, eisdemque titulis est euidens, eique propterea eodem iure sunt applicanda, quæ pro illâ sunt dicta.

## *Propositio 9.*

287 Quoties verum est, vnum, vel alterum extremum sub disiunctione habere *esse* nequit non esse verum habere *esse* alterum eorum determinatè, & vice versâ.

Prior pars propositionis inde monstratur: quia aliàs alterutrum extremorum sub disiunctione, & neutrum determinatè posset habere *esse*: contra *propos. 6.* Posterior autem inde: quia verificatiuum disiuncti ipsissimum est, *esse* determinatum alicuius extremi eius; vt constat ex dictis; Tum, quia si disiunctum non esset verum disiunctiue, quoties alterum extremum eius verum determinatè est; contradictorium ipsius disiuncti omnium extremorum eius veritatem determinatam remouens verum esset, sicque duo simul extrema contradictoria essent vera, quod est absurdum; nempe aliquod extremum disiuncti, & nullum extremum disiuncti determinatè habere *esse*.

288 Vnde patet, veritatem formaliter disiunctiuam adstruentem *esse* disiuncti in veritate determinata adstruente *esse* vnius extremi eius ita fundari, vt cum illâ necessariò connexa sit connexione mutuâ; iuxta dicta fusiùs, & explicata *superius quæstion. num. 2.*

## *Propositio 10.*

289 Quoties verum est, vnumquodque extremum disiuncti habere *esse* sub conditione defectus alterius, nequit non esse verum, eorum alterum determinatè, & absolutè habere *esse*; sed non vice versâ.

Prior pars propositionis facilè demonstratur: quia si in tali casu neutrum haberet esse absolutè per defectum absolutum amborum, vtriusque prædictæ veritatis conditionatæ, esset purificata conditio; fieretque, vt veritas conditionata per purificationem conditionis non transiret in absolutam; contra *propos. 4.* vel aliter: quia quando neutrum extremorum absolutè habet esse, nequit esse verum sub conditione defectus vniuscuiusque habere esse alterum; siquidem deficiente vnoquoque, alterum habere esse impossibile est, vt constat. Posterior autem propositionis pars ex dictis *quæst. 2. num. 148.* constat.

290 Ex hac propositione infertur: quoties verum est determinatè, conditionateque habere *esse* vtrumuis duorum extremorum sub conditione defectus alterius, non posse non esse quoque verum, habere esse sub disiunctione eorum alterutrum; atque ita veritatem illam complexam conditionatam huic disiunctiuæ, æquiualere, prout *suprà quæst. 2.* statutum est: quia nequit non esse verum veritate disiunctiua quoduis disiunctum, cuius vnum extremorum veritate determinatâ, & absoluta verum est, iuxta *propos. 9.* Et quoties vtrumuis conditionatè est verum sub conditione defectus alterius, nequit non eorum alterum esse verum veritate determinatâ, & absolutâ, iuxta propos. præsentem.

## *Propositio 11.*

291 Quoties verum est, disiunctiuè vnum, vel alterum extremum habere *esse*; & simul est verum determinatè, eorum alterum non habere *esse*, necessariò est verum determinatè habere *esse* residuum.

Est clarum: quia si in tali casu residuum non haberet *esse* determinatè, neutrum haberet *esse* determinatè, habente nihilominus *esse* alterutro sub disiunctione contra *propos. 6.*

292 In hac propositione fundatur modus ille legitimus arguendi ab affirmatione disiuncti, & negatione vnius extremi ad affirmationem residui, hoc pacto: *Petrus vel Ioannes loquitur: sed non loquitur Petrus: ergo loquitur Ioannes.* Quæ forma semper, & in omni materia legitima forma arguendi est: quia semper, & in omni materia antecedens est metaphysicè connexum cum consequente; vt constat ex præsente propos.

293 Ex quo supposito certissimo, & ex altero speciei tenus etiam certo, nempe debere necessariò esse verum consequens sub conditione minoris, quoties maior est vera, & forma syllogismi legitima: quæuis omninò propositio conditionalis venit quoad speciem demonstranda. Vnde ego non semel in publicis disputationibus pulcherrimis sophismatibus respondentes vexaui. E. g. Vt probarem, decretum Incarnationis Verbi independens esse à peccato; hanc assumebam probandam conditionalem: *Si non existit peccatum, existit decretum.* Posito enim, quòd verum sit, extiturum nihilominus decretum, etsi peccatum non existeret, compertum est, decretum in suâ existentiâ à peccato non dependere. Conditionalem autem ita probabam. Hæc disiunctiua est planè vera: *Vel existit decretum, vel existit peccatum*; & hic syllogismus legitimus: *Vel existit decretum, vel existit peccatum: sed non existit peccatum: ergo existit decretum.* At quoties maior est vera, & forma syllogismi legitima, nequit non esse verum consequens sub conditione minoris: igitur consequens illud: *existit decretum*, sub conditione illius minoris: *non existit peccatum*, est verum; quod ipsum est, veram esse conditionalem illam: *Si non existit peccatum, existit decretum*, quam probandam assumpseram. Quo eodem pacto probari potest, Deum cum creaturis possibilibus connexum esse, probata ista conditionali:

*Si creaturæ non sint possibiles, datur negatio Dei*: tum non esse connexum, probatâ istâ: *Si creaturæ non sunt possibiles, existit Deus*; & alia huiusmodi sexcenta. Quod autem sit necessariò verum consequens sub conditione minoris, quando maior est vera, & forma syllogismi legitima, vt argumentatio facta supponit, videtur certum quia certum est, quoties syllogismi forma est legitima, necessario esse verum consequens ex suppositione integri antecedentis, ob connexionem necessariam, quam integrum antecedens habet cum consequente: ergo supposità absolutè maiore, si minor per hypothesin supponatur, necessariò etiam erit consequens verum. Perinde enim esse videtur supponere integrum antecedens, atque supponere vnam partem eius, suppositâ iam alterâ aliunde.

294 Sed dicendum nihilominus est, etsi maior absolutè sit vera, & forma syllogismi legitima; tunc tamen non esse verum consequens sub conditione minoris, quando minor maiori opposita, atque ita destructiua eius est, vti euenit in casu nostro; vbi etsi maior absolutè sit vera, ex hypothesi tamen minoris vera non est, ob oppositionem, quam minor habet cum illa. Quo fit, vt in tali casu neque consequens verum sit ex hypothesi solius minoris, tametsi ex hypothesi antecedentis integri nequeat non esse verum. Per quod fallacia argumentationis prædictæ manet detecta.

## *Propositio 12.*

295 Quoties verum est, aliquem actum per se respicere vnum, vel alterum extremum sub disiunctione nequit non esse etiam verum respicere alterum eorum determinatè.

Hæc propositio in *propos.* 7. recidit; nullaque subinde noua probatione, siue declaratione indiget; eam tamen adiungo, vt explicem, quot modis extrema disiuncti, circa quæ actus versari dicitur, determinatè per illum respici possint, aut etiam debeant. Dico ergo, contingere posse primò, vt actus determinatè, & absolutè respiciat, aut vnum tantùm, aut vtrumque extremum disiuncti, quo vtroque casu verè dicitur alterutrum sub disiunctione respicere: quia sicut quando absolutè, & determinatè existit aut vnum tantùm, aut vtrumque extremum disiuncti, verè dicitur sub disiunctione existere alterutrum; ita, quando absolutè, & determinatè, aut vnum tantùm, aut vtrumque extremum disiuncti respicitur per actum, verè dicitur sub disiunctione respici alterutrum.

296 Secundò contingere potest, vt actus neutrum extremum disiuncti respiciat absolutè, & determinatè, & nihilominus verè dicatur respicere alterutrum sub disiunctione. Quod euenit, quando actus determinatè respicit vtrumuis extremum disiuncti sub conditione defectus alterius. Ob id, actum hoc pacto respicientem determinatè, conditionatéque extrema disiuncti æquiualenter disiunctiuum ex parte termini, ex parteve subiecti appellauimus *superiùs quæst.* 2.

297 Vnde vnum colligitur valdè notandum: etsi non possit vtrumuis extremum disiuncti habere esse sub conditione defectus alterius, quin alterum eorum habeat esse absolutè, & determinatè, vt *propos.* 10. monstratum est, posse tamen vtrumuis extremum disiuncti respici per actum sub conditione defectus alterius, quin alterum eorum respiciatur per illum absolutè, & determinatè. Cuius ratio à priori est quia actus potest respicere extrema disiuncti prout habentia *esse* in statu conditionato, cum præcisione ab eo quòd habeant *esse*, vel secus in statu absoluto; tametsi status conditionatus in quo respicit illa cum statu absoluto alterius eorum connexus necessariò sit, vt euenit in casu nostro. Ex quo etiam patet, cur possit esse verum, vnum, vel alterum extremum sub disiunctione per actum respici, quin verum sit, respici alterum eorum absolutè & determinatè; & consequenter, cur possit vnum, vel alterum extremum sub disiunctione aut cognosci aut amari, aut peti, aut præcipi, aut requisitum esse ad quidpiam &c; quin alterum eorum absolutè & determinatè, aut cognoscatur, aut ametur, petatur, aut præcipiatur, aut sit requisitum ad quidpiam &c. Tametsi nullatenus possit vnum, vel alterum extremum sub disiunctione habere *esse*, quin habeat *esse* eorum alterum absolutè & determinatè. Quomodò autem bifariam dici possit actus respicere vtrumuis extremum disiuncti sub conditione defectus alterius; nimirum, aut conditione se habente ex parte ipsius extremi, aut conditione se habente ex parte ipsius actus, *suprà q.* 2. explicatum est, vbi ad rem plura Recolantur.

## *Propositio 13.*

Status rerum existentialis de futuro, de præsenti, 298
& de præterito mutuò inter se connexi sunt metaphysicè.

Est dicere. Quod semel est futurum nequit non esse aliquando præsens, & aliquando præteritum, & vice versâ. Est autem propositio euidens: quia euidens est, quamlibet mensuram temporis suapte essentiâ aliquando futuram, aliquando præsentem, & aliquando præteritam esse, quamlibetque proinde rem in tali mensurâ existentem eadem differentias ab illa, eosdemve status sortiri.

Hinc istæ consequentiæ sunt bonæ de vnâquaque re: Est futura: ergo erit præsens, & præterita. Est præsens: ergo fuit futura, & erit præterita. Est præterita: ergo fuit præsens, & futura: idque siue de futuritione, præsentiâ, & præteritione rei absolutâ, siue de conditionatâ sit sermo. 299

## *Propositio 14.*

Vt affirmatio, & negatio eiusdem de eodem con- 300
tradictionè opponantur, eiusdem de eodem esse debent, non solùm quoad entitatem; sed etiam quoad statum.

Est clarum. Propterea namque hæ propositiones: *Si Petrus vocetur consentiet: Petrus non consentiet*; contradictoriè non opponuntur, etsi sint affirmatio eiusdem de eodem quoad entitatem, scilicet eiusdem consensus de eodem Petro: quia non sunt eiusdem de eodem quoad statum; cùm prima de Petro consensum vt conditionatum affirmet, quem negat secunda vt absolutum. Similiter hæ propositiones: *Petrus est rationalis: Petrus non est existens*, contradictoriæ non sunt; etsi rationalitas, quam prima affirmat de Petro entitatiuè sit idem cum existentiâ, quam de eodem negat secunda: quia prima agit de eâ entitate prout in statu quiditatiuo; secunda prout in existentiali. Pariterque est dicendum de cæteris.

Per doctrinam huius propositionis, quæ cer- 301
tissima est, diluimus *supra quæst.* 1. quædam quorumdam Recentiorum sophismata, aliaque alibi diluemus.

Propo

### *Propositio 15.*

302 Veritatis propositionis disiunctiuæ nihil obstat, quòd omnia extrema disiuncti determinatè vera sint.

Hanc propositionem adiungo propter nonnullos, qui putarunt, vt propositio disiunctiua sit vera, vnum duntaxat extremum disiuncti debere esse verum determinatè, vt suprà iam notatum est *num.* 146. quasi propositio disiunctiua determinatam reliquorum veritatem excludat. Decepti tamen sunt manifestè: quia hæc propositio disiunctiua: *Petrus, vel Ioannes, vel Paulus loquitur*, eumdem prorsus habet sensum, iuxta mentem omnium, atque hæc: *aliquis horum trium hominum loquitur.* Hanc autem esse veram, quantumuis omnes tres loquantur, inde monstratur: quia si esset falsa, eius contradictoria esset vera, nempe: *nullus horum trium hominum loquitur*; fieretque vt omnibus tribus loquentibus, nullus eorum loqueretur, quod est chymericum. Tantumdemque de aliis quibusque disiunctiuis venit dicendum.

303 Sufficiantque impræsentiarum propositiones, istæ, præter alias, quæ ex dictis iam in præcedentibus quæstionibus compingi possunt, & demonstrari.

## DISPVTATIO II.

### *De possibilitate, impossibilitate, contingentiâ, & necessitate entium, seu rerum; atque adeò obiectorum intellectus humani.*

1 VALDE confert horum quatuor terminorum tractatio ad plenè capiendam naturam obiectorum tum intellectus humani, tum etiam diuini; necnon ad alia plura prænoscenda tum huius Operis propria tum aliis communia.

## QVÆSTIO I.

### *Quid sit possibile in vniuersum; quid possibilitas? & quotuplex?*

2 QVamquam à potentia ad quemuis actũ quodquis subiectum dicatur potens ad actum ipsum: à solâ tamen potentia ad actum existendi dicitur subiectum illam habens possibile, vt *suprà disputatione 8. quæst. 3. diuis. 5.* notauimus. Itaque possibile dicitur vniuersè, quidquid potest existere; possibilitas autem potentia est ad existendum. Vnde patet primò, possibile sumptum formaliter, prout cadit sub hoc nomen, concretum quoddam esse nostro modo concipiendi coalescens ex subiecto, quod possibile dicitur, & ex actu primo, siue potentia ad existendum, quæ est possibilitas: Prout de ente sumptò pro potente existere *suprà disputatione 9. quæst. 1.* dictum est. Secundò patet, concreta *possibile*, & *existens* mutuò sibi correspondentia neutiquàm habere posse subiecta re ipsa distincta; sed necessariò habere vnum, & idem. Nam potentia, & actus mutuò sibi correspondentes eiusdem omninò subiecti sunt, vt *disputatione 8. quæst. 4. propos. 3.* monstratum est. Ex quo rursus apparet, quod existit, idem omninò fuisse anteà possibile, & quod est possibile, idem omninò reddi existens, si ei existentia communicetur; proindeque nequaquàm esse extrema ex parte subiecti distincta possibile, & existens, quæ mutuò sibi correspondent. In quo D D. omnes, vt certissimo, eui dentissimoque conueniunt.

3 Iam verò possibile vniuersè sumptum primò diuidi potest in possibile cum sua existentia connexum; sicque propterea potens existere, vt nequeat non existere; & possibile non connexum cum sua existentia, atque adeò ita potens existere, vt possit etiam non existere.

4 Secundò. Possibile cum sua existentia connexum, aliud est connexum metaphysicè, quod nullâ potentiâ potest non existere; qualis est Deus. Aliud connexum solùm physicè, seu naturaliter, quod non potest non existere citra miraculum, potest tamen simpliciter, vt sunt effectus naturaliter ineuitabiles; aliud connexum solùm moraliter, quod nequit moraliter non existere, etsi queat metaphysicè, & physicè.

5 Tertiò. Possibile non connexum cum sua existentia; aliud est nunquàm existens; quod pure possibile dicitur, seu possibile non existens; aliud est aliquando existens, quod possibile non pure, seu potius possibile existens potest vocari.

6 Quartò est diuidendum possibile vniuersè sumptum, in possibile metaphysicè, possibile physicè, & possibile moraliter. Possibile metaphysicè dicimus, quod simpliciter est potens existere, etsi fortasse non sit potens naturaliter, aut moraliter. Possibile autem physicè, quod etiam naturaliter potest existere. Ex quo patet omne possibile moraliter etiam physicè, & metaphysicè possibile esse, & omne possibile physicè, etiam metaphysicè; sed non vice versâ.

7 Quintò. Quoduis ex dictis possibilibus in proximè, & in remotè tale diuidi potest. Possibilitas namque, vtpote quædam potentia in proximam, & remotam diuidenda venit; iuxta *diuis. 6.* potentiæ in genere traditam *disputatione 8. quæstio 3.* Videatur.

8 Sextò. Quoduis etiam ex dictis possibilibus in possibile absolutè, & possibile ex suppositione est diuidendum. Primum est, quod nullâ expectata conditione, atque adeò absolutè dicitur tale. Secundum, quod tale tantùm est ex hypothesi, quòd aliqua subsistat conditio. Conditio autem, aut potest esse impossibilis, quo casu possibile ex suppositione absolutè erit impossibile in suo genere; aut potest esse possibilis, eaque vel necessaria, vel contingens. Quo casu possibile ex suppositione absolutè etiam erit possibile.

9 His positis, quæ apud omnes sunt certa, quod in præsenti controuertitur, est in quo consistat re ipsa possibile metaphysicè, quod absolutè, & simpliciter tale est, præsertim, quod purè est possibile, aut saltem cum præcisione à sua absolutâ existentia indicatur possibile, seu, quod idem est; quæ fundamenta dentur ex parte rerum, vt verè dicantur possibilia, quæcumque simpliciter, & absolutè possibilia dicuntur independenter à sua absoluta existentia; siue illâ careant

re verâ; siue cum præcisione ab illâ considerentur. variæ sunt Auctorum sententiæ.

10 Prima sententia est, denominationem possibilis in creaturis formaliter sumi ab omnipotentiâ diuinâ, à quâ possunt produci, & à quâ proinde producibiles, seu quod recidit in idem, possibiles denominantur. Ita Petr. Hurt. *disp. 8. Metaph. sect. 1.* & alij Recentiores. Pro quibus stare videtur Valent. *1. p. disp. 1. de scient. pun. 7.* & citari solent Aureol. *in 1. dist. 42. in 2. parte distinctionis art. 3.* & Guill. Borilong. *ibid. quæst. 1.* An verò huiusmodi possibilitas (quam nullus aliorum Doctorum negat) adeò sit extrinseca rebus, & in sola Dei omnipotentia fundata, vt nihil omninò ex parte ipsarum rerum supponat, quo idoneum illæ omnipotentiæ obiectum euadant, quale apud plerosque est eas suopte conceptu contradictionem non implicare; huius sententiæ patroni non satis declarant.

11 Secunda sententia est Scoti *in 1. dist. 43. quæst. vnic. aliisque in locis*, vbi primùm statuit res purè possibiles ab æterno *esse* quoddam habere (quod *esse* diminutum vocat) à scientiâ Dei, quâ cognoscuntur: In quo nihil docet Scotus reprehensione dignum, vt benè notant contra Thomistas quosdam Suar. *disput. 30. Met. sec. 15. num. 17. & disput 31. sec. 2.* Vasquez *1. p. disput. 70. cap 2. & disput. 104. cap. 3.* Theod. Smisin. *Tract. 3. disp. 1. 2. de intellectu diuino quæst. 3.* & alij: quia tantùm attribuit rebus ab æterno *esse* obiectiuum, repræsentatum, seu intentionale, quale dicitur habere quoduis obiectum in mente illud cognoscentis; deindeque censet ab eo statu, seu in eo statu obiectiuo habere res esse possibiles, ficuti, & cætera habent prædicata sua essentialia. Quocirca sententia hæc Scoti cum ea coincidere censenda est, quæ *suprà disp. 10. quæst. 1. num. 8.* dicebat, statum quiditatiuum rerum per cognitionem Dei concipientem illas constitui.

12 Tertia sententia est Recentiorum, qui omnem rerum statum, præterquam absolutæ existentiæ identificant cum Deo, prout suprà vidimus *disputat. 10. quæst. 1. num. 7.* Hi enim non solùm possibilitatem proximam, seu secundariam rerum oriundam ab omnipotentia diuina veluti à forma extrinseca; sed etiam possibilitatem primariam, seu remotam, seu radicalem, quâ res, quatenus contradictionem non implicant, dicuntur possibiles, cum entitate Dei faciunt idem. Censent enim, hanc veritatem: *Petrus contradictionem non implicat* siue: *sine contradictionem existet casu, quo existat*, realiter esse idem cum Deo, prout declarauimus ampliùs *loco citato.*

13 Quarta sententia aliorum Recentiorum est asserentium, possibilitatem primariam creaturarum non consistere in aliquo positiuo aut cum ipsis, aut cum Deo identificato; sed in negatione identitatis earum cum chymerâ; quemadmodum, inquiunt, impossibilitas chymeræ etiam consistit in negatione identitatis eius cum re possibili, quas negationes censent re verâ esse existentes ab æterno absolute, atque necessariò. Quò etiam spectare videntur omnes, qui putant, non repugnantiam possibilium, & repugnantiam impossibilium non quid positiuum re ipsâ esse; sed quid negatiuum.

14 Quinta sententia aliorum Recentiorum possibilitatem necessariam creaturæ in disiuncto existentiæ, & non existentiæ defectibilis eius ponit; nimirum in hac veritate obiectiuâ, quæ necessaria est, & nequit conuenire chymeræ: *Vel existit creatura; vel eius carentia defectibilis.*

15 Sexta sententia est; cuiusuis rei possibilitatem primariam in veritate conditionatâ consistere, quâ verum est: *Si talis res extiterit, sine contradictione existit.* Ita Ripalda *tom. 1. de ente supern. d. 32. sect. 1.* & latius *in manuscriptis Metaph. disput. 2. sect. 3.* Arriag. *disput. 2. Metaph. sect. 1.* Franc Alfon. *in Physicâ disputatione 7. sect. 3.* & communiter Recentiores.

16 Septima sententia parùm, aut nihil à præcedente differens, eorum est, qui absolute pronuntiant, possibilitatem primariam creaturarum, ratione cuius obiectum idoneum euadunt omnipotentiæ Dei, antequàm per illam factibiles concipiantur, in eo stare, quòd tales creaturæ de suo, seu consideratæ secundum se non implicent contradictionem. Ita expresse S. Th. *1. p. quæst. 25. art. 3.* Molin. *ibid.* & alij Expositores communiter, quos longum esset recensere. Vasquez *disput. 104. cap. 4.* Heriz. *disput. 5. cap. 2.* Ruiz. *tom. de scien. disput. 15. sect. 6. num. 14.* & alij. Quod ipsum sentiunt citra omne dubium omnes Auctores relati à nobis *suprà disp. 10. quæst. 1. num. 10.* qui independenter ab existentia verum quoddam *esse* quiditatiuum attribuunt rebus ab eis indistinctum, & necessarium, ratione cuius vere illis conueniunt omnia prædicata necessaria, e quorum numero est eas esse possibiles. Dixi autem, sententiam hanc parùm, aut nihil à præcedente differre: quia solùm differunt, quatenus illa possibilitatem rebus intrinsecam in veritate ponit conditionata; hæc verò in absolutâ. Quod discrimen ad rem parui momenti est; quandoquidem tales veritates, etsi formaliter sint distinctæ, æquiualentur censentur eadem ob mutuam connexionem, quam habent, de quo plura dicta sunt suprà dicta *disput. 10. quæst. 1.* Conueniunt itaque vtriusque sententiæ Auctores in hoc, quod res possibiles duas possibilitates habent: aliam secundariam, & proximam, quæ in creaturis denominatio quædam est eis extrinseca; seu potius semiextrinseca desumpta ab omnipotentia diuina: aliam primariam, & radicalem, quæ rebus omnibus possibilibus intrinseca est, & adæquatè identificata; nimirum eas tales esse, quæ contradictionem non implicant, aut absolutè ex conceptu suo, aut ex hypothesi, quòd existant.

## *Propositio 1.*

17 Esse possibiles creaturas possibilitate primariâ, seu remotâ, seu radicali non est denominatio extrinsecè illis prouenies ab omnipotentia diuina.

Hæc propositio contra primam sententiam est propositum *numero 10.* Probatur autem facilè, & breuiter. Nam, vel denominatio possibilis prouenies extrinsecè creaturæ ab omnipotentia diuina supponit, in ipsâ creatura aliquod *esse* verum seu quiditatiuum; seu existentiale conditionatum, non ferens secum contradictionem, ab ipsaque omnipotentia re ipsâ distinctum; vel nullum tale esse supponit; sed tota veritas obiectiua huius obiecti, *creatura est possibilis*, realiter est identificata cum omnipotentiâ diuina. Si dicatur secundum, sententia hæc in tertiam recidet, postmodum *proposit. 3.* abiiciendam. Si autem dicatur primum; dicimus cum communi, ab illo *esse* vero, immunique à contradictione, quod creatura habet de suo distinctum ab omnipotentia diuina, appellari eam possibilem possibilitate primaria, seu radicali, seu remota; vtpote, quæ ab huiusmodi suo *esse* euadit præ chymera impossibili obiectum idoneum omnipotentiæ Dei, antequam vllam ab omnipotentia ipsa extrinsecam

secam denominationem sortiatur. Non igitur per denominationem extrinsecam oriundam ab omnipotentia diuina primariam suam, & remotam possibilitatem sortitur. Quod erat probandum.

18 Itaque non negamus aliquam denominationem possibilis, siue factibilis accipere creaturam, partim extrinsecè ab omnipotentia diuina; dicimus tamen, hanc non esse primariam, & rad calem, seu remotam; sed secundariam, & proximam, aut certè propinquiorem actui, & supponentem aliam magis intrinsecam creaturæ; atque in ipsius essentia fundatam. Etenim, quemadmodum ad alios actus plures potentiæ solent dari; vna immediata, seu proxima, & aliæ remotiores, vt suprà *disputatione* 8. *quæst.* 3. *diuis.* 6. statutum, & explicatum est. Ita ad actum existentiæ in creatura potente existere, plures potentiæ, seu, quod est idem, plures possibilitates considerandæ veniunt.

19 Prima est ipsa essentia creaturæ, prout non ferens secum contradictionem, hoc enim ipso, præcisis aliis, discriminatur à chymerâ impossibili, atque adeò iure optimo possibilis dicitur possibilitatè primaria, seu radicali. Censeo tamen, ab huiusmodi possibilitate primaria non euadere creaturam potentem absolutè existere; sed tantùm potentem existere quatenus est ex se. Hoc enim ipso, quod est ens ab alio, nequit intelligi absolutè potens ab alio fieri; absoluta autem potens ab alio fieri nequit intelligi, nisi intelligatur saltem possibilis virtus, à qua facienda est. Vnde in denominatione potentis absolutè fieri, atque adeò existere intrinsecè clauditur ex connotato, seu in obliquo omnipotentia Dei; quantumuis creatura potens fieri per connexionem sibi identificatam cum omnipotentia ipsâ connexa sit. Cuius ratio est: quia si tali connexione cæterisque omnibus cum creaturâ permittentibus, deficeret omnipotentia Dei, neutiquam diceretur creatura absolutè potens existere, siue posse existere. Quâ eadem ratione *suprà disputatione* 8. *quæst.* 5. *propos.* 5. dicebamus ad denominationem, quâ Deus dicitur absolutè potens creaturam producere intrinsecè pertinere possibilitatem primariam, siue radicalem creaturæ; esto omnipotentia diuina cum tali possibilitate connexa sit, vt multi opinantur.

20 Ex quibus patet, post primariam denominationem possibilis quam habet creatura ab eo præcisè, quòd est aliquid non ferens secum contradictionem, aliam habere semiextrinsecam, ex cuius fundamentis, vnum est omnipotentia diuina, seu virtus, quam Deus habet ad producendum omne non ferens secum contradictionem. Quæ quidem primò denominat creaturam semiextrinsecè possibilem, considerata ipsa, vt possibilis; secundò, considerata vt existens; tertiò, vt coniuncta eum decreto efficaci de productione creaturæ. Et hæc vltima est in creatura possibilitas, siue factibilias proxima, siue immediata actui; cùm aliæ suo ordine sint remotiores. Tunc enim creatura est proximè potens fieri, atque adeò existere à Deo, quando proximè est potens illam efficere omnipotentia Dei; talis autem est, post sibi adiunctum dictum decretum.

21 Hæc dicta de creaturis prout absolute potentibus fieri à Deo: Quoniam verò pleræque earum insuper ab aliis creaturis, tanquam à causis secundis causabiles sunt; ab harum itidem potentiis causatiuis semiextrinsecè denominantur potentes causari atque adeò etiam possibiles, idque aut possibilitate proxima, quando tales causæ proximè sunt potentes causare illas, aut remotiori, iuxta gradum, in quo considerantur potentiæ, talium causarum.

## *Propositio 2.*

Esse possibiles creaturas possibilitate primaria, 22
seu radicali non est denominatio extrinsecè illis proueniens à scientia Dei.

Hæc propositio, quæ secundæ sententiæ opponitur propositæ *numero* 11. eodem imprimis modo, ac præcedens probanda venit. Applicet ergo lector huic illius probationem; sumpto dumtaxat pro termino *omnipotentia*, termino *scientia*, ne actum agamus. Deinde etiam venit probanda omnibus iis, quibus ostendimus *suprà disp.* 10. *quæst.* 1. *prop* 3. statum quiditatiuum absolutum, conditionatumque existentialem, & necessarium rerum, ad quorum alterum, vel vtrumque pertinet earum possibilitas, neutiquam constitui intrinsecè per aliquam cognitionem Dei. Quæ etiam ad rem præsentem sunt applicanda.

Addo ne secundariam quidem aliquam denomi- 23
nationem possibilis sortiri creaturam a scientia Dei considerata seorsim: quia vt sic aliunde supponit illa in creatura omnem possibilitatem circa quam, vt circa obiectum cognoscendum versatur. Dixi *considerata seorsim*: quia scientia diuina de creatura, quæ ad productionem eius concurrit, aut potest concurrere, vt pertinet ad denominationem, qua Deus dicitur absolute potens producere creaturam, simul cum aliis comprincipiis intrantibus talem denominationem; ita etiam pertinet ad denominationem, qua creatura absolutè dicitur potens produci à Deo, atque adeò absolutè potens existere, iuxta doctrinam nuper expositam circa *propos.* 1.

## *Propositio 3.*

Possibilitas primaria creaturarum non est identi- 24
ficata cum entitate Dei.

Hæc propositio contra tertiam sententiam est *n.* 12. propositam, abundéque refutatam *suprà disp.* 10. *q.* 1. *prop.* 1. Recognoscantur dicta *ibi*. Quibus nihil opus est addere.

## *Propositio 4.*

Possibilitas primaria creaturarum non stat in ne- 25
gatione identitatis earum cum chymera, sicut nec impossibilitas chymerarum in negatione identitatis earum cum creatura possibili; vti dicebant Auctores quartæ sententiæ propositæ *num.* 13.

Probatur primò. Nam, vt monstrauimus *suprà disp.* 9. *q.* 3. nulla negatio rerum non existentium est quidpiam adhuc negatiuum existens; vt taleque positiue conceptibile, à Deo, sed penitus nihil. At possibilitas creaturarum est aliquid positiue conceptibile à Deo, vt constat: ergo possibilitas creaturarum in nullà negatione existente potest consistere. Tantúmdemque subinde venit dicendum de impossibilitate chymerarum.

Secundò: quia esto aliarum rerum, tum possibi- 26
lium, tum etiam impossibilium non existentium re vera existerent negationes, quæ quidpiam essent positiuè in se conceptibile. At identitatis impossibilis creaturæ, cum chymera, vera negatio non existeret, sicut neque aliorum huiusmodi identitatum

extremorum inter se distinctorum, vt satis constat ex dictis *disp.* 10. *q.* 4. Ergo in negatione existente talis identitatis nec possibilitas creaturæ, nec impossibilitas chymeræ potest consistere.

28 Tertiò: quia etsi negatio identitatis creaturæ cum chymera esset aliquid re verâ, & necessariò existens, id vtique supponeret creaturam, & chymeram esse extrema politiuè, & verè inter se distincta ex suis cõceptibus quiditatiuis; alioquin non esset impossibilis earum identitas; & consequenter neque huius negatio necessaria. Ergo in ista veritate suppositâ, siue in essentiis eam fundantibus deberet poni primaria possibilitas creaturæ, & impossibilitas chymeræ; non in negatione identitatis ex iis essentiis pullulante.

29 Quarto; vt Petrus sit possibilis, non satis est, quod ille non sit idem cum vnâ, aut alterâ chymerâ; sed necesse est, vt cum nulla excogitabilium sit idem: si ergo sententia opposita vera esset, in infinitis negationibus existentibus infinitarum identitatum Petri cum infinitis chymeris solius Petri consisteret possibilitas. Quod ex se videtur absurdum.

Quintò. Negatio identitatis creaturæ cum chymerâ intrinsecè est necessaria, iuxta Aduersarios; non enim denominatur talis ab alio quopiam. Ergo identitas, quam negat intrinsecè est impossibilis. Probatur consequentia. Primò: quia qualiter vnum ex contradictoriis est necessarium, taliter alterum debet esse impossibile. Secundò: quia si dicta identitas à negatione alterius identitatis cum creaturâ euaderet impossibilis, idem de hâc secundâ esset dicendum, & abiremus in infinitum: quod est absurdum. Tum de aggregato omnium pariter esset dicendum idem, cùm tamen nulla supersit extra illud, ad quam recurramus. Tertiò: quia, admissis negationibus tum dictæ identitatis, tum omnium aliarum chymerarum, nequeunt illæ esse necessariæ ex merito propriæ perfectionis, quam nullam habent; sed tantùm ex eo, quòd sint oppositæ ipsis chymeris: ergo prius est, has esse impossibiles, quam illas esse necessarias: Ergo ab intrinseco habent omnes esse impossibiles, per suam, scilicet essentiam ferentem secum contradictionem. Pariter igitur ab intrinseco habebunt creaturæ esse possibiles per suam essentiam ab omni contradictione immunem.

30 Sextò. Quantumuis chymera esset idé cũ creaturâ possibili, impossibilis remaneret tum ipsa, tum coniunctum ex chymerâ & natura; siquidem per talem identitatem potiùs indueret chymera nouas contradictiones, quàm exueretur antiquis; & tamen tunc non daretur talis identitatis negatio. Ergo nec nunc à tali negatione habet chymera esse impossibilem, sed à sua essentia ferente secum contradictionem, quam etiam in ea hypothesi haberet: Ergo nec creatura habet esse possibilem à tali negatione, sed à sua essentia contradictione immuni.

31 Septimò. Ab eadem negatione identitatis chymeræ, & creaturæ non potest illa impossibilis, & hæc possibilis denominari, nisi ab se inuicem, quoad suas essentias verè diuersæ sint, vt patet: sed hæc diuersitas sufficiens est, vt ante omnem dictæ, identitatis negationem creatura possibilis, & chymera impossibilis vere dicantur. Siquidem in eo potissimùm stat, quod altera contradictione immunis, & altera contradictioni obnoxia sit: Ergo. Mitto plura, quia hæc satis.

## *Propositio 5.*

32 Possibilitas primaria, atque necessaria creaturæ perperam ponitur in disiuncto existentiæ, vel non existentiæ defectibilis eius à Recentioribus relatis *n.* 14.

Primò: quia hæc explicatio, seu assignatio possibilitatis creaturæ circulum quemdam secum fert duplici titulo vitiosum. Primò: quia inexplicatum relinquit id, quod assumitur explicandum. Secundò: quia tacitam repugnantiam terminorum inuoluit. Cùm enim esse defectibilem non existentiam creaturæ, & esse possibilem eiusdem existentiam manifestè sit idem, perinde est dicere à veritate necessariâ prædicti coniuncti euadere possibilem creaturam, ac euadere possibilem creaturam ab aliquo supponente, eam aliunde possibilem esse. Quod est, & rem inexplicatam relinquere, & in terminis repugnantiam inuoluere, vt satis ex se apparet.

Secundò: quia verum necessariò esse de quouis 33
conceptu obiectiuo, existere illud, vel non existere, non est illud esse possibile; siquidem cuius etiam chymeræ impossibili conuenit eadem veritas. Quod si ad hanc excludendam addatur particula *defectibiliter* regredimur in eamdem quæstionem: quia idem est, vt dicebam, non existere aliquid defectibiliter, seu non existentia defectibili, ac illud esse possibile. Planè igitur hæc possibilitatis explicatio nugatoria est, eoque iure contemnenda. Pergamus ergo ad reliqua.

## *Propositio 6.*

Possibilitas primaria fundamentalis creaturarum 34
in earum essentiis prout immunibus à contradictione consistit; proindeque illis tum in statu quiditatiuo absoluto, tum in statu existentiali conditionato annexo quiditatiuo conuenit.

Ita re ipsâ tenet maior, & melior pars Theologorum cũ S. Th. 1. *p. q.* 25. *art.* 3. & aliis citatis *n.* 15. & 16. pro sextâ, & septimâ sententiâ. Loquor autem in propositione de possibilitate fundamentali: nam de hâc est controuersia præsens vt *n.* 9. prænotaui. Formalis enim secundum omnes potentia ad existendum est, prout dixi principio quæstionis.

Probatur autem breuiter quoad primam par- 35
tem. Primò, à refutatione omnium aliarum sententiarum; illis namque semel explosis, nihil supereſt, in quo dicta possibilitas rerum constitui possit, præterquam in earum essentiis immunibus à contradictione.

Secundò: quia esse rem aliquam talis essentiæ 36
ex conceptu suo obiectiuo, quæ secum non fert contradictionem, sufficiens fundamentũ est, vt ea dicatur de suo possibilis possibilitate primaria, qua ratione hæc est explicata *propos.* 1. Igitur talis possibilitas in talibus rerum essentiis ponenda est. Consequentia est bona. Antecedens autem, tum ex terminis ipsis, tum ex communi omnium conceptione constat; tum etiam probatur: quia omnis essentia conceptibilis aut est possibilis, aut impossibilis; vt sit impossibilis, necesse est omnino, quòd secum ferat duo contradictoria, vt ostendemus *q.* 2. Ergo, quæ secum non fert duo contradictoria eo ipso non potest non esse possibilis. In essentiis igitur rerum, prout à contradictione immunibus, earum primaria, & radicalis possibilitas consistere dicenda est.

Iam secunda pars propositionis ex prima sequi- 37
tur. Quoniam possibilitas rerum ab earum essentiis indistincta, in eisve consistens realiter non potest non conuenire rebus quiditatiuè, & necessariò: ergo

nec

nec potest non conuenire illis,tum in statu quiditatiuo absoluto, tum in existentiali conditionato annexo ipsi quiditatiuo, iuxta doctrinam latè traditam *disp.* 10. *q.* 1. Et quidem possibilitatem rerum, de qua modo agimus, sine qua illæ nullatenus essent possibiles, vt constat ex dictis præsertim *proposit.* 1. esse prædicatum earumdem rerum necessarium, sicut & alia,quæ eis conueniunt quiditatiuè; & consequenter pertinens ad dictos status, qui status necessarij sunt, vt *loco citato* statuimus; tum ex ipsis terminis est notissimum: siquidem æquè notum est repugnare, quòd Petrus non sit possibilis, atque, quod non sit rationalis; hoc autem secundum repugnare notissimum est: Tum inde potest demonstrari: quia si Petrus modò possibilis posset talis non esse, posset vtique esse impossibilis,vt patet. Ergo posset dari in rerum natura negatio necessaria existentiæ eius: siquidem nihil est in se impossibile, cuius existentiæ negatio necessaria non detur qua ratione negationes dari dicuntur iuxta dicenda posteà. Cùm ergo omne necessarium potens dari eo ipso de facto detur,vt etiam est notum: de facto daretur in rerum natura negatio necessaria existentiæ Petri; Petrusque subinde de facto non esset possibilis,contra suppositionem factam. Quod est implicatorium; Petri igitur possibilitas prædicatum necessarium est eius. Quod erat ostendendum.

38 Ex dictis colligitur primò: possibilitatem primariam rerum tam fundamentalem, quam formalem bifariam posse prædicari de illis, tum iudicio mentis, tum verbis quemadmodum & cætera prædicata quiditatiua earum. Primò prædicatione absoluta, cuius veritas obiectiua ad statum quiditatiuum pertineat,qualis est hæc de possibilitate fundamentali: *Petrus essentiam habet de suo immunem contradictione*; & hæc de possibilitate formali: *Petrus de suo est simpliciter possibilis.* Secundò prædicatione conditionata, cuius veritas obiectiua ad statum conditionatum existentialem, & necessarium ipsi quiditatiuo annexum spectet: cuiusmodi est hæc de possibilitate fundamentali: *Si Petrus extiterit, sine contradictione existet*; & hæc de formali: *Si Petrus extiterit existentialiter, erit simpliciter possibilis.* Addo in prædicationibus de possibilitate formali particulam *simpliciter*, vt discernam res possibiles ab illis chymeris; quæ concipi possunt cum potestate ad existendum, atque adeò possibiles: illæ enim ab huiusmodi possibilitate ad suas essentias pertinente, verè euadent possibiles, tum in statu quiditatiuo, tum in existentiali prædicto; sed non simpliciter: quia aliunde ferunt secum contradictionem,qua penitus sunt immunes res,quæ simpliciter sunt possibiles. De quo plura dicenda *infrà q.* 2.

39 Dices. Primaria,& fundamentalis possibilitas rerum non videtur benè explicari per existentiam earum sine contradictione ex hypothesi, quod existant. Nam cum contradictio non aliter possit excludi, quàm per existentiam alterius ex extremis eius,eo quod vtrumque deficere, tum est impossibile, tum idem atque vtrumque existere, idem erit, extitnras creaturas sine contradictione, ac extituras præcisè ex hypothesi, quòd existant; hoc autem etiam chymeris conuenit, vtpote de quibus etiam est verum,extituras, si existerent. Respondeo, eam propositionem: *Si res extiterit, existet sine contradictione*, hunc sensum facere: *Si res extiterit, existet sine eo, quod sit verum, duo contradictoria simul existere.* Quod tamen verum est ex hypothesi, quod chymera existeret, vt pluribus explicandum est *infrà quæst.* 2. Per quod patet ad obiectionem.

Secundò colligitur ex dictis, creaturas existentes 40
ab eisdem fundamentis denominari possibiles in statu existentiæ absolutæ, à quibus tales denominabantur in aliis statibus præuiis: quia possibilitas è genere prædicatorum est, quæ rebus conueniunt in omni statu, iuxta doctrinam vniuersalem traditam *suprà disp.* 10. Itaque Petrus existens, qua talis tum possibilitatè primaria, seu radicali à sua essentia prout à contradictione immuni indistincta, tum possibilitate proxima semiextrinsecè sumpta à potentia proxima omnium causarum, per quas existit; tum ab aliis intermediis denominatur possibilis,seu potens existere. Quæ possibilitates proinde sumptæ adæquatè,& indiuisim contingenter etiam sunt existentes, sicut subiectum denominatum per illas; in illisque sumptis realiter intrinsecè inclusum. Vt satis ex se patet.

Tertiò colligitur, Deum suam quoque possibi- 41
litatem habere, siue potentiam ad existendum, vt est notissimum: quia omne existens ex eo ipso est potens existere, atque adeò est possibile. Multis tamen quoad hoc prædicatum differt à creaturis Deus. Primò, quod solam habet possibilitatem à sua essentia, prout à contradictione immuni indistinctam; non item alias, quas à suis causis creaturæ sortiuntur, cùm sit ens à se. Per eam autem non modo quantum est ex se, sicut illæ, iuxta dicta *num.* 10. Sed prorsus absolutè, & simpliciter, & proximè euadit possibilis. Secundò, quod possibilitas Dei omnimodis est connexa cum sua existentia ob omnimodam necessitatem quam Deus habet ad existendum, proindeque nullam secum patitur potentiam ad non existendum. Possibilitas verò creaturarum cum existentia earum connexa non est; secumque subinde comitem habet potentiam ad non existendum: quo fit, vt creaturæ in existendo sint contingentes. Tertiò licet hæc Dei possibilitas in aliis statibus præuiis ad statum existentiæ absolutæ à nobis considerari possit, sicut & alia Dei prædicata, iuxta dicta *suprà disp.* 10. illi tamen status ab hoc non sunt independentes, & separabiles, vti euenit in creaturis, ob strictissimam connexionem,quam cum eo habent. De quo vide plura dicta *loco cit. q.* 1. *&* 5.

Quartò colligitur: quo pacto philosophandum 42
est de possibilitate negationum eorum omnium, quæ possunt non existere, qualia sunt,vno Deo excepto,cætera cuncta tum possibilia,tum impossibilia. Cùm enim eiusmodi negationes re ipsa penitus sint nihil in se conceptibile, iuxta doctrinam statutam *disp.* 9. *q.* 3. Vt in se nullam essentiam habent, ita nec vllam existentiam, neque vllam potentiam ad existendum, atque adeò neque vllam possibilitatem habere possunt. Quocirca à parte rei esse negationes rerum possibiles, nihil est aliud, quàm posse res ipsas non existere. Potentia autem rerum ad non existendum formaliter sumpta, quod sonat est; fundamentaliter tamen nihilo differt ab ipsarum rerum essentia, quatenus talis est,vt ex eius non existentia nulla sequatur contradictio. Verùm quia nos eiusmodi negationes, ac si essent aliquid possumus,& solemus positiuè concipere, vt *loco citato* explicatum est; idcirco eisdem possumus suam possibilitatem tribuere, tum primariam, quæ formaliter erit potentia ad existendum, fundamentaliter autem immunitas à contradictione; tum etiam secundarias,quæ denominationes erunt semiextrinsecè sumptæ à potentiis causarum, quibus negatio-

nes

nes ipsæ aliquomodo causabiles sunt talesve per æquiualentiam vocari possunt, iuxta *dicta disp.* 9. tum *q.* 3. *cit.* tum etiam *q.* 5. videantur etiam, quæ ad rem diximus *disp.* 10. *q.* 4.

## QVÆSTIO II.

*Quid sit impossibile in vniuersum. Quid impossibilitas, & quotuplex?*

43 QVemadmodum id dicitur vniuersè possibile, quod est potens existere, vt vidimus *quæst.* 1. ita id dicitur vniuersè impossibile, quod impotens existere est; impossibilitasque subinde impotentia est ad existendum. Vnde constat, impossibile sumptum formaliter prout cadit sub hoc nomen, concretum quoddam esse nostro modo concipiendi coalescens ex subiecto, quod impossibile dicitur, & ex impotentia, siue carentia potentiæ ad existendum, quæ ipsa impossibilitas est.

44 Diuidi autem potest impossibile ita vniuersè sumptum, in impossibile metaphysicè, physicè, & moraliter. Impossibile metaphysicè dicitur, quod nulla omnino potentia potest existere. Impossibile autem physicè appellatur, quod physicè, seu naturaliter existere nequit, tametsi possit metaphysicè. Impossibile denique moraliter vocatur, quod moraliter non potest existere, tametsi possit metaphysicè, & physicè: vnde patet, omne impossibile metaphysicè, physicè quoque, & moraliter impossibile esse; & omne impossibile physicè moraliter etiam esse impossibile; sed non vice versa. Nam impossibile moraliter potest esse possibile physice, & metaphysicè; & impossibile physicè, metaphysicè potest esse possibile.

45 Rursus quoduis ex dictis impossibilibus in impossibile absolutè, & impossibile ex suppositione diuidendum venit. Primum est: quod nulla expectata conditione, atque adeò absolutè dicitur tale. Secundum: quod tale tantùm est ex hypothesi, quod aliqua subsistat conditio. Conditio autem aut potest esse contingens, vel impossibilis: quo vtroque casu impossibe ex suppositione absolutè erit possibile: aut potest esse necessaria: quo casu impossibile ex suppositione etiam absolutè erit impossibile. Omissis igitur modò impossibili physicè, & impossibili moraliter, atque etiam impossibili ex suppositione, de solo impossibili metaphysicè, & absolutè, quod simpliciter, & absolutè dicitur tale, agendum est in hac *quæst.*

46 In qua primò statuendum est ex sententia omnium, id esse simpliciter impossibile, quod secum necessariò fert duo contradictoria; vel quia illa in se includit, vel quia illa infert necessariò: ita, vt si existeret, non possent non simul existere contradictoria ipsa. Compertum enim est, duo contradictoria simul existere non posse: quia alterutrum formaliter est alterius destructio, siue remotio, siue negatio, proindeque existere non potest, nisi alterum non existat; cùm illud existere, & non existere alterum prorsus sit idem formalissimè. Quo rursus fit, vt neque id vllomodo possit existere, simplicitérque subinde sit impossibile, quod sine duobus contradictoriis nequit existere. Nequit enim est possibile id, quod existere non potest, nisi existente aliquo impossibili: quale est coniunctum ex duobus contradictoriis, vt patet

47 Secundò statuendum est etiam ex omnium sententia, nihil posse esse simpliciter impossibile, quod secum non ferat necessariò duo cõtradictoria. Quod sic demonstro. Id est simpliciter impossibile, quod nullam habet potentiam ad existendum. Ergo casu, quod existeret, quod est simpliciter impossibile, existeret: quia id supponitur; & non existeret: quia fieri nequit, vt existat, id, quod nullam habet potentiam ad existendum. Ergo quodlibet simpliciter impossibile non potest non ferre secum saltẽ illa duo contradictoria; existere videlicet ipsum, & non existere ex hypothesi, quòd existeret. Vel aliter, Omnis existentia ex proprio conceptu essentialiter est connexa cum potentia existendi; vt constat; quia ab omni actu ad suam potentiã necessaria prorsus est consequentia. Ergo negatio potentiæ existendi essentialiter est connexa cum negatione existentiæ, propter nuersam cõnexionem, notissimamq; extremorum contradicentium connexis. Ergo posito impossibili, quod secum fert negationem potentiæ existendi, non potest non poni negatio existentiæ eius, vtpote, quã necessariò infert negatio potentiæ existendi; aliundéque supponitur posita existentia ipsa, dum supponitur positum impossibile. Quæ sunt duo contradictoria; quæ ex existentia impossibilis inferebamus. Ex qua insuper alia duo inferuntur, nempe dari in impossibili posito potentiam existendi, quam necessario existentia infert, & simul non dari: quia de conceptu impossibilis est illa carere. Stat ergo firmum, omne, quod necessariò fert secum duo contradictoria simpliciter impossibile esse, & nihil esse tale, quod illa non fert. Huiusmodi autem impossibile chymera communiter nuncupatur.

His positis, controuersia est à Recentioribus, potiùs quàm ab Antiquioribus excitata. Num impossibile, seu chymera conceptus aliquis obiectiuus sit terminans nostram, aut etiam diuinam cognitionem ab omni ente possibili condistinctus. An potiùs ex parte obiectorum nihil omnino distinctum ab omni ente possibili sit vllomodo cognoscibile; sed ipsa entia possibilia eatenus impossibilia euadant, quatenus praue, sinistrè, & falsò quodam genere cognitionum cognoscibilia sunt. Hoc secundum opinantur nonnulli ingeniosi Recentiores docentes, impossibilitatem impossibilium in eo consistere, quod ipsa obiecta possibilia, sub certis terminis necessariæ sint falsitatis, hoc est, per cognitionem necessariò falsam cognoscibilia. Vnde addunt, quoduis omnino obiectum possibile, etiam esse impossibile ex aliqua cognitione terminabili ad ipsum: quia nullum est obiectum possibile, quod non possit terminare cognitionem, vel adiungentem ipsi mentaliter prædicatum eidem repugnans, vel mentaliter diuidentem ab ipso prædicatum eidem necessariò conueniens: quæ subinde cognitio sinistra, praua, & necessario falsa erit; eiusque obiectum relatè ad illam necessariæ falsitatis, & ideò impossibile. Communis tamen sententia est, impossibile, siue chymeram conceptum obiectiuum esse ab omni ente possibili condistinctum, atque adeò de suo habens esse impossibile, quin id à cognitione praua entis possibilis mutuetur. Ita omnes fermè Philosophi, atque Theologi, quos longum esset recensere. Vide, si placet, multos citatos apud Barth. Amicum *in log. tract.* 3. *quæst.* 2. *dub.* 2. & 5. 48

### *Propositio 1.*

Chymera impossibilis aliquid est ex parte obiecti se habens ab omni ente possibili condistinctum, 49

vt

vt communis sententia fert; nec præcisè per sinistram cognitionem entis possibilis in esse talis potest constitui, vt Recentiores opinantur.

Probatur primò propositio à priori. Ab eo, quod res est, vel non est propositio dicitur vera, vel falsa, iuxta Arist. & omnes; idemque est de iudicio mentis: Ergo repugnat dari iudicium necessariò falsum, cuius obiectum non sit in se entitatiuè impossibile; atque adeò ab omni possibili distinctum independenter ab ipso iudicio. Probo consequentiam. Si enim loquamur de iudicio affirmatiuo, vt sit falsum, debet obiectum affirmatum non esse in se reipsâ tale, quale esse affirmatur: Ergo, vt sit necessariò falsum, debet obiectum affirmatum necessariò non esse in se, sicuti esse affirmatur. Quod ipsum est in se, quantum ad esse affirmatum entitatiuè esse impossibile; atque adeò distinctum ab omni possibili independenter à dicto iudicio, tantumdèmque vice versâ de iudicio negatiuo venit dicendum.

50 Respondent aduersarij. Vt sit falsum iudicium affirmatiuum non opus esse, quòd non detur à parte rei obiectum affirmatum; sed sufficere, quòd obiectum affirmatum verè habens esse à parte rei dissonet ipsi affirmationi. Etsi enim, inquiunt, totum obiectum huius iudicij: *Petrus est equus*, verè detur à parte rei, quia nihil est amplius, quàm homo, & equus, qui verè dantur; attamen quia homo, & equus in se re ipsâ sunt diuisi, siue distincti: iudicium autem est quædam intentionalis coniunctio, atque identificatio eorum, efficitur, vt iudicium obiecto dissonet, malamque cum eo correspondentiam faciat; atque adeò sit falsum. Pariterque de iudicio negatiuo philosophantur; censentes; ad eius falsitatem similem dissonantiam sufficere in eo consistentem, quòd illud diuisio quædam sit merè intentionalis prædicati à subiecto, quando prædicatum, & subiectum re ipsâ in se diuisa non sunt.

51 Sed contrà primò. Quoniam coniunctio, siue identitas, seu potiùs identificatio merè intentionalis iudicij affirmatiui (tantumdemque de simili diuisione iudicij negatiui censendum) cui identitas obiectiua non correspondeat, commentitia est: Ergo per illam præcisè non potest iudicium falsum obiecto in se vero dissonare. Consequentia est bona. Probo antecedens. Primò, quia iudicium affirmatiuum dumtaxat repræsentatiuè potest esse identificatio prædicati, & subiecti, non enim intelligibile est, quî possit aliter illa identificare. Identificare autem repræsentatiuè prædicatum, & subiectum!, aliud non est, quàm repræsentare iudicanti identitatem obiectiuam eorum. Secundò: quia iudicium verum identificans prædicatum subiecto, quale est hoc: *Petrus est homo*: non aliter identificat, quàm repræsentando iudicanti obiectiuam identitatem, quam verè Petrus habet cum homine; alioquin iudicans tantùm attingeret tali iudicio extrema, *Petrus*, *homo*, nesciretque proindè, an talia extrema essent in se re ipsâ idem, aut secus, dum actu iudicat, ea esse idem. Quod est chymericum. Sed non aliter identificat prædicatum subiecto iudicium hoc falsum: *Petrus est equus*, quàm hoc verum: *Petrus est homo*, vt patet: Ergo. Tertiò, quia iudicans, Petrum esse idem cum equo, aliquam affirmat dari identitatem Petri cum equo. Quis id dubitet? sed non affirmat dari identitatem Petri cum equo merè intentionalem cum ipso iudicio identificatam, alias iudicium esset verum, cùm verè detur talis identitas. Ergo affirmat dari identitatem obiectiuam Petri cum equo; eamque affirmando, & nō aliter identificat talia extrema. Quartò: quia intellectus creatus iudicans, Petrum esse hominem de eâdem identitate obiectiuâ suadetur, vt satis est notum; de quâ suadetur intellectus diuinus id ipsum iudicans. Constat autem, intellectum diuinum de identitate obiectiuâ Petri cum homine realiter indistincta à Petro, & homine suaderi: sed eodem prorsus modo se gerit intellectus creatus circa hoc obiectum: *Petrus est equus*, ac circa hoc: *Petrus est homo*, vt patet: Ergo perinde, dum illud iudicat, de identitate obiectiuâ suadetur à Petro, & equo indistincta ex conceptu suo obiectiuo. Quod erat probandum.

Sed estò sit possibile in nobis iudicium identificans intentionaliter extrema, quin vllam ipsorum identitatem obiectiuam attingat; atque idcircò dissonum suo obiecto, quandò extrema, quæ intentionalites identificat, realiter inter se sunt distincta; cōsonum autem, quando realiter sunt idem. Contra secundò. Huiusmodi dissonantia iudicij cum suo obiecto nihil confert ad propriam, & legitimam talis iudicij falsitatem; sicut neque consonantia ad propriam, & legitimam veritatem. Igitur appellare iudicium falsum, aut verum, quòd dissonet, aut consonet modo dicto obiecto, abusus vocabulorum est; non aliter ac si diceretur iudicium falsum; aut verum, quod entitatiuè est dissimile, aut simile obiecto iudicato. Consequentia est bona. Probo antecedens. Propria, & legitima falsitas iudicij affirmatiui, iuxta Arist. & omnes in eo stat; quòd obiectum affirmatum non sit tale in se re ipsâ, quale est obiectiuè; seu repræsentatiuè in mente affirmantis; sicut è contrà propria, & legitima veritas in eo, quòd obiectum tale realiter sit in se, quale obiectiuè est in mente affirmantis; sed ad hoc prædicta dissonantia, aut consonantia iudicij cum obiecto nihil præstat; siquidem cum illa oppositum potest coniungi. Ergo. Quòd autem cum illa oppositum possit coniungi patet in his duobus iudiciis: *Petrus est equus*: *Petrus est homo*; quorum primum dissonum est suo obiecto: secundum cōsonum modo prædicto; & nihilominus obiectum primi, iuxta Aduersariorū doctrinam tale est omninò obiectiuè in mente iudicantis, quale realiter in se: obiectum autem secundi non item. quandoquidem Petrus, & equus, qui soli sunt obiectum primi eo ipso in mente iudicantis amplius non sunt, quàm Petrus, & equus, quod ipsum realiter sunt in se: & Petrus, & homo, qui soli sunt obiectum secundi, eo ipso in mente iudicantis præcise sunt Petrus, & homo; cùm tamen in se realiter quid amplius sint, nempe identificati inter se. Quod est, suppositâ Aduersariorum doctrinâ, primum dictorum iudiciorum verum: secundum autem falsum esse veritate, ac falsitate propriâ, & legitimâ, etiamsi primum dissonum, secundum consonum modo prædicto obiecto sit; eoque titulo primum falsum, secundum verum abusiuâ falsitate ac veritate, quam Aduersarij ipsi intrudunt. Cumque stante dictâ aduersariorum doctrinâ, non possit non omnibus iudiciis idem accidere: quia eadem, quod ad rem attinet, omnium ratio est; Conficitur, quodcunque est falsum Aduersariorum falsitate, non posse non nostra veritate esse verum, respectiuè ad idem obiectum, & vice versa. Quod est mirabile.

Quod si repetant iterum, eam, quam adstruunt 53
dissonantiam iudicij cum suo obiecto, ad eius falsitatem, consonantiam autem ad eius veritatem sufficere,

ficere, seu (quod in idem recidit) iure optimo nomen falsitatis, atque veritatis mereri. Estò. Sed negare non poterunt, quam nos ex mente omnium, vt censemus; legitimam tum veritatem, tum falsitatem appellamus, à suaque diuersa est: iure etiam istud nomen mereri, maximè cùm iudicia diuina non illa, sed hac veritate sint vera, vt ex se, & ex dictis est notum. Hinc autem tota eorum doctrina corruit; nam cùm nostra veritas suæ falsitati non opponatur, nec suæ veritati nostra falsitas, sed potius (ipsorum doctrina suppositâ) in eodem iudicio relatè ad idem obiectum semper cohæreant, vt constat ex *num. præced.* fiet vtique, vt semper iudicium necessariò falsum ipsorum falsitate, necessariò etiam nostra veritate sit verum. Cur igitur, eius obiectum ab ea necessaria, & abusiua falsitate euadet impossibile, & non potius possibile ab hac necessaria, & legitima veritate? Sed demus rursus Aduersariis iudicium necessariò falsum eo genere falsitatis, quod ipsi introducunt, nullam mixturam legitimæ veritatis habere, iuxta ipsorum doctrinam.

54 Argumentor secundò, & probo apertè, talem iudicij necessariam falsitatem nihil conferre, vt obiectum iudicatum aliàs in se possibile, prout terminans tale iudicium sit impossibile: cùm enim obiectum ponatur in se possibile, & ipsum obiectum terminare tale iudicium sit etiam possibile; non potest non tale obiectum, prout terminans tale iudicium esse etiam possibile. Respondent breuissimè, esse quidem possibile possibilitate entitatis, impossibile verò impossibilitate veritatis; & pergunt ad alia. Miror tamen eos tam leuiter per hoc punctum transiisse, vbi procul dubio habet sedem tota ipsorum deceptio.

55 Vrgeo argumentum sic. Complexum ex iudicio necessariæ falsitatis, & ex obiecto terminãte ipsum potest existere. Ergo tale obiectum prout terminans tale iudicium potest existere: Ergo, vt sic non est impossibile, sed possibile. Distinguent rursus hoc vltimum consequens; nam cætera sunt certa in eorum sententia. Non est impossibile impossibilitate entitatis, concedent: impossibilitate veritatis, negabunt.

Sed contra primò. Impossibilitas veritatis talis obiecti prout terminantis tale iudicium non reddit ipsum obiectum impotens existere, vt est notissimum; siquidem cum tota sua necessaria falsitate tali veritati opposita, & potest existere, & sæpè etiam de facto existit, iuxta Aduersarios. Ergo nec reddit ipsum obiectum impossibile. Quippe solùm est impossibile, iuxta consensum omnium, quod non potest existere. Vnde iam incipit detegi illorum deceptio. Persistentes enim in abusione terminorum impossibile vocant, id, quod non potest esse verum sua illa veritate abusiua; non animaduertentes huiusmodi impossibilitatem, quam adstruunt consequenter esse abusiuam; quandoquidem id, quod impossibile reddit, non reddit impotens existere, prout reddere debet omnis legitima impossibilitas: qualis solùm est impossibilitas entitatis, quam vltrò, sed incautè negant.

56 Contra secundò. Esse impossibilem veritatem talis obiecti, vt terminantis tale iudicium aliud non est in sententia eorum, quàm esse impossibile, quod tale iudicium non sit suapte natura dissonum tali obiecto: ad eum modum, quo est impossibile, vt calor non sit suapte natura dissonus frigori. Ergo tam tale obiectum non à tali iudicio sortitur suam qualem qualem impossibilitatem tanquam à forma ipsum extrinsecè denominante impossibile eo præcisè, quod ipsum pariter necessariò falsum denominat, vti docebant; sed ab alia impossibilitate sibi etiam extrinseca, qua est impossibile, vt tale iudicium eidem obiecto sit consonum, cui per suam essentiam est dissonum; hæc enim consonantia impossibilis est veritas, quæ impossibilis dicitur, à cuius impossibilitate tale obiectum, vt terminans tale iudicium denominatur impossibile impossibilitate veritatis secundum solutionem datam. Pergo, & pono claritatis gratia obiectum intrinsecè possibile, extrinsecè verò impossibile esse A, iudicium autem, à quo ei impossibilitas prouenit esse B. Arguoque sic. Impossibilitas obiecti A, est extrinseca denominatio desumpta ab impossibilitate consonantiæ iudicij B. Impossibilitas autem consonantiæ iudicij B, eodem titulo, iuxta Aduersariorum doctrinam denominatio extrinseca erit desumpta pariter ab impossibilitate consonantiæ alterius iudicij, C, per quod est dissone iudibabilis. Rursusque impossibilitas consonantiæ iudicij C, extrinsecè desumetur ab impossibilitate iudicij D, & ita deinceps sine fine, fietque vt obiecta A, B, C, D, & cætera, totius infiniti processus extrinsecè denominentur impossibilia à forma nullibi, ne in se ipsa quidem intrinsecè reperta. Quod est chimericum. Ex quo patet, in Aduersariorum sententia, non solùm non habere locum impossibilitatem legitimam facientem impotens existere; sed neque abusiuam, quam ipsi adstruunt facientem impotens esse verum ea sua extrinseca veritate. Quod argumentis nuper factis contra talem veritatem, & falsitatem ei oppositam mirificè consonat.

57 Contra terò. Sumamus aggregatum omnium iudiciorum processum illum infinitum constituentium, vel, vt semel dicam, omnium excogitabilium obiectorum, nullo omnino dempto, & rursus instauro argumentum factum, datamque solutionem eius eodem ictu retundo. Nihil est in tali aggregato, quod non sit possibile entitatiuè, & intrinsecè, atque adeo potens existere: ergo nihil est in tali aggregato, quod sit impossibile, aut impossibilitate entitatis, quæ sola est legitima, quam in hac quæstione venamur; vtpote, quæ sola facit impotens existere aut impossibilitate veritatis, quam per vocabuli abusum, Aduersarij introducunt. Antecedens ipsissima est eorum doctrina; consequens quoad primam partem ipsi vltrò concedunt. Quoad secundam sic probo. Esse aliquid impossibile impossibilitate veritatis nihil est aliud, quàm aliquam eius excogitabilem veritatem esse impossibilem, vt patet: sed nihil est in dicto aggregato, cuius aliqua excogitabilis veritas sit impossibilis; siquidem omnis cuiusuis obiecti excogitabilis veritas obiectũ est itidem excogitabile, inclusũ in tali aggregato: & ponimus omne obiectum excogitabile in illo inclusũ esse possibile: Ergo nihil est tali in aggregato quod sit impossibile adhuc impossibilitate veritatis. Hoc tandem, ni fallor, clare demonstrat totam rem; nempe in Aduersariorum sententia neutiquam locum habere non solùm impossibilitatem legitimam impossibilium, quam iuxta sensum Doctorum omnium in præsenti venamur; sed ne illegitimam quidem, siue abusiuam, quam Aduersarij pro illa sua opinione intendunt supponere.

58 Ex quibus omnibus colliges, Aduersariorum deceptionem, in eo radicitus fundari; quod obiectum necessariò falsum propria, & legitima falsitate eo ipso est impossibile propria, & legitima impossibilitate faciente impotens existere: quia id, cui repugnat esse realiter tale, quale est obiectiuè in

mente

mente illud concipientis, eo ipso realiter non potest existere tale. Quod ipsum est tale obiectum propriè, & legitime este impossibile. Aduersarij autem incautè procul dubio putarunt, eamdem fortunam subiturum obiectum necessariò falsum eâ falsitate abusiuâ, quam ipsi excogitarunt. Quod tamen non ita succedit, vt vidimus; factumque est per eiusmodi falsitatis introductionem, vt non solùm è medio fuerit sublata legitima impossibilitas impossibilium; sed etiam, vt spuria, quæ pro illâ videbatur substitui penitus cum illâ euanuerit, vt satis ex dictis liquidum est.

60 Tertiò (quamuis dicta sufficerent) probo propositionem ab experientiâ. Primùm enim sæpè concipimus obiecta, quæ prout nobis obiectiuè apparent, entitatiuè, & intrinsecè impossibilia sunt, distinctaque proinde sunt ex proprio conceptu obiectiuo ab omni ente possibili; Dum enim secundum Deum negamus, ipsum vtique vt adæquatè condistinctum à verò Deo concipimus; quo pacto non potest non esse intrinsecè, & entitatiuè impossibilis. Similiter, dum Deum incorruptibilem, immortalem, incorporeum, impassibilem prædicamus, corruptionem vtique Dei, mortem, corporaturam, passionemue eius apprehendimus, quæ vtique ex conceptu suo intrinsecè impossibilia sunt, vtpote, quæ solius Dei propria, ab omnibusque possibilibus eiusdem generis condistincta nobis apparent, iuxta dicenda postmodùm. Ille etiam insipiens, qui dixit in corde suo, non est Deus; negationem Dei concepit intrinsecè impossibilem, sicut negationem immensitatis, libertatis, aut aliorum attributorum Dei, qui talia attributa illi negarunt. In præsenti etiam quæstione passim concipimus tam ipsi Aduersarij, quàm nos, id, quod dari nos affirmamus, & illi negant; hoc autem ipsissimus est conceptus obiectiuus entitatiuè impossibilis, ab omnique ente possibili condistinctus. Quamuis autem Aduersarij euncta hæc ita conantur explicare, vt nulli vnquàm intellectui se offerat in dictis, & similibus casibus aliquid obiectiuè, & entitatiuè impossibile. Eorum tamen explicationes alienæ sunt ab experientiâ, vt, qui eas viderit, deprehendet.

61 Deinde sæpe apprehendimus, pro libitoque apprehendere possumus conceptus obiectiuos, qui ex propriâ quiditate, & essentiâ cum aliis conceptibus possibilibus sibi essentialiter oppositis connexi sunt, qui proindè nequeunt non esse intrinsecè, & entitatiuè impossibiles. Tales sunt conceptus actionis Dei peccaminosæ; conceptus volitionis Dei efficacis de sua ipsius destructione; conceptus calefactionis oriundæ à frigore; conceptus identitatis Petri cum equo, & alij huiusmodi infiniti. Hic namque locum non habet doctrina Aduersariorum de coniunctione merè intentionali extremorum in se possibilium. Nam actio peccaminosa Dei suapte essentiâ obiectiuâ est actio Dei, non actio possibilis alterius agentis per apprehensionem Deo applicata. Volitio etiam efficax Dei de suâ destructione, vt est per suam essentiam volitio de solâ destructione Dei, & non de alio obiecto, ita est per suam essentiam volitio voluntatis diuinæ, & non alius principij. Similiter calefactio oriunda à frigore actio propria frigoris est; & identitas Petri cum equo identitas propria talium extremorum suopte conceptu essentiali. Itaque huiusmodi conceptus esse ab intrinseco impossibiles non videtur negari posse. Adde, cùm Deus, & nos etiam simul concipimus omnia possibilia, multa intrinsecè impossibilia eo ipso concipere. Talia enim sunt omnia aggregata extremorum seorsim possibilium; ita tamen inter se oppositorum, vt simul existere non possint.

Præterea. Potest creatura positiuo desiderio desiderare destructionem Dei. Potest item desiderare, Deum comprehendere, & alia huiusmodi impossibilia: Hæc autem esse impossibilia ab intrinseco inde probatur. Quia nec dici potest, per talia desideria tendere voluntatem in obiecta possibilia prout terminantia iudicium eis dissonum; cùm longe diuersum sit, quod desiderat, vt ex se patet; Nec dici potest; voluntatem per tales actus merè intentionaliter coniungere obiecta in se possibilia, sicut coniungit intellectus, vt ex dictis nuper est notum: Igitur potest intellectus creaturæ eiusmodi obiecta intrinsecè impossibilia apprehendere, & ea proponere voluntati. 63

Quartò probatur propositio. Nam ex oppositâ sententiâ sequitur, innumeras propositiones conditionatas de conditione impossibili, quæ iuxta sententiam omnium sunt veræ, veras non esse; & quæ sunt falsæ, non esse falsas. Etenim hæc propositio e. g. *Si Deus non existeret, creaturæ non existerent*, omnium consensu vera est; & tamen in Aduersariorum sententia est falsa: facit enim hunc sensum: *Si Deus sinistrè sit conceptibilis non existens, creaturæ non existent.* Respondebunt, in suis principiis non facere nisi hunc: *Si Deus sit conceptibilis non existens, creaturæ erunt conceptibiles non existentes.* Sed contrà primò: quia talis sensus ab omnium mente alienus est. Quis namque hactenus sub datâ hypothesi conceptibilitatem de non existentiâ creaturarum intendit affirmare; & non potiùs ipsarum realem existentiam negare? Quemadmodum in his, & aliis similibus propositionibus: *Si Petrus non esset possibilis non existeret: Si non existeret actio, non existeret terminus*, planè agitur de reali non existentiâ conditionati, non de illius cognoscibilitate. Contrà secundò, quia iuxta Aduersariorum, tùm sententiam, tum datæ propositionis expositionem, hæc propositio necessariò, & manifestè falsa: *Si Petrus non esset possibilis, nihilominus existeret* hunc redderet sensum, qui verus est: *Si Petrus est conceptibilis non possibilis, nihilominus tum existit; tum est conceptibilis existens.* Pariterque in similibus. 64

Quintò. Quia ex oppositâ sententiâ sequitur, consequentias apud omnes legitimas malas esse. Quod est absurdum: omnes enim bonam reputant hanc consequentiam: *Petrus non est possibilis: ergo Petrus non existit*; quæ nequit non esse mala, iuxta sententiam dictam; cùm faciat hunc sensum: *Petrus sinistrè est conceptibilis non possibilis: ergo Petrus non existit.* Pariterque in similibus. 65

Sextò. Quia per aduersam sententiam modus ille legitimus arguendi à contradictorio consequentis bonæ illationis, ad contradictorium antecedentis è medio tollitur. Quod est absurdum. Semel enim factâ hac bonâ consequentiâ: *Petrus existit: ergo Petrus est possibilis*: ex contradictorio consequentis contradictorium antecedentis nô licebit inferre; tum quia iuxta sententiam dictam non datur contradictorium obiectiuum consequentis, cùm id sit impossibile; tum quia, si iuxta Logicæ regulas ita fiat illatio: *Petrus non est possibilis: ergo Petrus non existit*, mala erit; cùm sensus eius sit, iuxta eamdem sententiâ *Petrus sinistrè est conceptibilis non possibilis: ergo Petrus non existit*; tantumdemque euenit in similibus. 66

66 Septimò. Quia pariter per aduersam sententiam modus ille arguendi potissimus in scientiis humanis, per deductionem ad impossibile è medio penitus tollitur. Quod est absurdissimum: cùm vix possimus sine illo pedem mouere, tum in scientiis demonstratiuis, tum in aliis quibusque. Etenim ad arguendum hoc modo. Primò concipiendum, iupponendumque est contradictorium obiectiuum propositionis probandæ; deinde ex eo est discurrendum per legitimas consequentias, quousque inferatur aliquid impossibile oppositum alicui veritati aliunde demonstratæ, seu certæ. Neutrum autem in sententia aduersa habet locum: quia in scientiis plerisque, vbi de necessariis veritatibus agitur; nec datur contradictorium obiectiuum propositionis probandæ; cùm id sit quoddam impossibile; nec vllum potest inferre impossibile oppositum veritati aliàs certæ: cùm omne impossibile entitatiuè sit possibile. Sit exemplum. Post demonstratam ex creaturis hanc propositionem: *Deus est causa prima*: Pergat quis ad demonstrandam hanc: *Deus extitit ab æterno*, hoc pacto: *Si Deus non existit ab æterno: ergo incæpit existere in tempore: ergo accepit ab alio existentiam, quam antea non habebat: ergo est ens ab alio: ergo non est causa prima: at hoc est impossibile, cum iam sit statutum, vt certum, esse causam primam: ergo, & illud ex quo sequitur: Deus igitur extitit ab æterno.* Discursus optimus secundum omnes; in sententia autem Aduersariorum pessimus. Nam prima illa propositio sumpta pro antecedente discursus: *Deus non extitit ab æterno*; apud Aduersarios hæc est quoad sensum: *Deus terminat cognitionem sibi dissonam* (diuidentem scilicet intentionaliter à Deo existentiam eius æternam.) Ex hac autem perperam infertur: *ergo Deus incæpit existere in tempore*; & cætera, quæ sequuntur, vt patet. Deinde illud vltimum consequens: *Deus non est causa prima*, apud Aduersarios est hoc quoad sensum: *Deus terminat cognitionem sibi dissonam* (similem præcedenti) hoc autem non est impossibile oppositum illi propositioni aliunde notæ: *Deus est causa prima*, prout ad concludendum discursum requirebatur, vt etiam patet. Modum igitur arguendi ab absurdo impossibili è medio tollunt Aduersarij suâ sententiâ. Quod erat probandum. Tam, quàm sit falsum, quod secum fert eorum sententia, nimirum propopositiones, & iudicia contradictoria nullatenus esse opposita ex parte obiecti, sed præcisè ex modo tendendi, quando materia est necessaria tum ex se, tum ex incommodis tactis, & aliis innumeris; tum ex omnium consensu oppositio satis apparet.

67 Octauò demum. Sæpissimè dubitamus de obiecto proposito, num illud sit impossibile, vel possibile. At dubitabile non est, num illud terminare possit quamlibet cognitionem sibi dissonam: igitur eius impossibilitas non stat in eo, quòd aliquam possit cognitionem sibi dissonam terminare, vt dicunt Aduersarij. Quin imò eorum sententia supposita, omnis quæstio de possibilitate, aut impossibilitate cuiusuis obiecti cessat; siquidem iuxta eam omne obiectum est entitatiuè possibile, & extrinsecè impossibile ab aliqua cognitione sibi dissona, quam potest terminare; vt vidimus *n.* 47.

68 Postremò. Ex nullo capite repugnat, vt ex solutione argumentorum patebit, concipi ab intellectu obiectum non potens existere sine aliquo alio conceptu possibili sibi oppositio; sed tale obiectum eo ipso erit chymera impossibilis obiectiua, ab omni ente possibili condistincta, vt ex dicendis *prop.* 2. compertum fiet: ergo ex nullo capite repugnat; intelligibilem esse talem chymeram; quæ eo ipso aliquid erit ex parte obiecti se habens ab omni ente possibili condistinctum. Sublata autem repugnantia concipiendi tales chymeras: confestim fit indubitabile, omnes, quæ concipiuntur de facto eiusmodi esse, vt Aduersarij ipsi concedent, fundantes vnicè suam sententiam in eiusmodi repugnantia. Mitto plura: quia satis, superque conuincunt dicta talis sententiæ falsitatem.

## Diluuntur argumenta contraria.

Verum contra nostram, & communem obiiciunt 69
Aduersarij primò. Nullum obiectum per se ipsum fert secum duo contradictoria: ergo nullum obiectum per se ipsum est impossibile. Consequentia est bona, vt talisque ab Aduersariis sine probatione relinquitur. Antecedens autem probant: quia nullum obiectum per se ipsum fert secum duo contradictoria actualiter: quia id esset cum illis absolutè existere, quod repugnat; nec possibiliter: quia id esset posse cum illis absolutè existere, quod etiam repugnat; sed nec fert conditionatè ex hypothesi, quòd existeret: quia id esset conditionatè verum esse, extitura duo contradictoria, si illud existeret; hoc autem verum esse non potest: quia de facto darentur duæ propositiones contradictoriæ simul veræ: quod etiam repugnat. Etenim si verum est, e.g. casu, quod secundus Deus existeret, extiturum simul ipsum, & non exiturum, hæc propositio est vera de facto: *Secundus Deus existeret. si existeret*; tum etiam hæc: *Secundus Deus non existeret, etiam-si existeret*, quæ sunt contradictoriæ.

Sed primum miror Aduersarios non aduertisse, 70
hoc argumentum contra omne simpliciter impossibile militare, siue illud ab intrinseco, siue ab extrinseco tale sit, atque adeò ab ipsis etiam solui debere. Si enim de ratione cuiusuis simpliciter impossibilis est implicare contradictionem, seu ferre secum duo contradictoria: vti cum omnibus Doctoribus Aduersarij ipsi supponunt. Quid ad rem interest, quòd illud contradictionem implicet, aut secum ferat duo contradictoria ab intrinseco aut ab extrinseco? quando argumentum eò tendit directè, vt huiusmodi implicationem contradictionis è medio tollat, cuicunque demum impossibili ea conuenire dicatur, prout satis ex se apparet. Deinde omitto aliorum solutiones, qui perperam propositiones conditionatas de conditione impossibili interpretantur. Præterea dico, posse impossibile simpliciter secum ferre duo contradictoria in statu quiditatiuo, tum absoluto, tum conditionato ante statum conditionatum existentialem, qui casus in argumento facto sunt prætermissi; sed hic non hæro. De quo posteà.

Respondeo igitur ad argumentum ipsum pro om- 71
nibus concedendo: quoduis simpliciter impossibile conditionatè ferre secum duo contradictoria; quatenus verum cõditionatè est, ambo ea extitura simul, si illud existeret. Itaque verum conditionatè est, si existeret secundus Deus; extiturum ipsum simul, & non extiturum, hinc tamen non sequitur, dari de facto duas propositiones contradictorias simul veras: quæ enim in argumento exhibentur non sunt contradictoriè oppositæ. Nam, vt *supra disput. 3. quæst. 4. & disput. 9. q. 5. propos. 1.* explicauimus, ad oppositionem contradictoriam, tum propositionum

cum

cum obiectorum earum,necessarium est, vt per positionem vnius ex extremis contradictionis simpliciter , & vndequaque impediatur positio alterius. Quod in nostro casu non euenit : quia licèt positio secundi Dei impediat quatenus est ex se eius non positionem:in casu tamen nostro simpliciter,& vndequaque non impedit : quia aliunde fert illam secum conditio posita in hypothesi. Ex hypothesi enim,quòd secundus Deus existeret,vtrumque esset verum , & quòd secundus Deus in rerum naturâ esset positus , & quòd non esset positus. Vnde istæ propositiones ambæ sunt veræ. *Si existeret secundus Deus , existeret: Si existeret secundus Deus, non existeret*;proindeque non sunt contradictoriæ,nisi addatur alteri earum particula *tantùm* , aut alia æquialens,quâ denotetur eius tantùm obiectum sub data hypothesi verum esse ; non item obiectum alterius : quo pacto erit falsa. De quo vide plura dicta *loco citato.*

72 Verùm contra hanc solutionem ex mente eorumdem Aduersariorum potest sic obiici.Existētia, & non existentia secundi Dei ex proprio conceptu, & essentiâ sunt termini mutuò se se excludentes formaliter:Ergo,& contradictoriè oppositi;sed sub quacunque hypothesi enuncientur , retinent suam essentiam. Ergo sub quacunque hypothesi enuncientur,contradictoriè opponuntur.Ergo prædictæ propositiones contradictoriè oppositæ sunt ; & tamen ambæ sunt veræ.Quod est absurdum. Concesso primo antecedente : distinguo primum consequens. Ergo & contradictoriè oppositi absolutè, concedo: sub hypothesi inferente vtrumque,nego,& concessâ subsumptâ,nego cæteras consequentias. Etenim oppositio contradictoria,vt dicebam,secum fert exclusionem omnimodam alterius ex extremis contradictionis : hanc autem habent dicti termini in statu absoluto;secùs in conditionato prædicto ; tametsi in vtroque æquè retineant suam essentiam ; quandò enim hypothesis infert vtrumqum,ita ex vi essentiæ vniuscuiusque excluditur alter, vt simul ponatur ex vi hypothesis. Quo fit , vt ex hypothesi non detur omnimoda exclusio eius , prout ad oppositionem
73 contradictoriam requirebatur.Sicuti datur absolutè.

Inferet aliquis. Ergo impossibile simpliciter non fert secum duo contradictoria contradictoriè opposita. Quod contra omnes est, & absurdum ; inde enim fieret , vt impossibile non esset impossibile. Distinguo consequens illatum:impossibile simpliciter non fert secum duo contradictoria contradictoriè opposita, relatè ad eum statum, in quo illa verè fert secum impossibile, concedo;contradictoriè opposita relatè ad statum existentiæ absolutæ , nego. Et hoc est quod omnes sentiunt ; quodque vitat absurdum. Itaque èxistentia,& non existentia secundi Dei absolutè sunt extrema contradictoriè opposita; absolutèque proinde nequeunt simul existere ; & consequenter neque secundus Deus inferens illa absolutè potest existere ; quòd ipsum est esse eum omnino impossibilem. Hoc tamen non tollit, fore vt ambo illa simul existerent ex hypothesi impossibili , quòd secundus Deus existeret. Quod est illa sub tali hypothesi contradictoriè non opponi. Dico autem illa sub tali hypothesi contradictoriè non opponi, quatenus sub tali hypothesi non exercetur in illis munus contradictoriæ oppositionis , in eo stans , vt per alterum ex extremis contradictionis omnimodis impediatur,seu excludatur alterū , quod sub tali hypothesi non euenit:vt explicatum est;cæteroquin prædicta extrema etiam sub tali hypothesi dici poterunt contradictoriè opposita , quatenus alterutrum de suo formaliter est exclusio alterius.

Vrgebis. Sine vllo inconueniente , atque adeò 74
simpliciter,& absolutè potest existere id, cuius existentia supposita,nullum manet incōueniens,quod tali existentiæ posset obstare.Sed supposita existentia secundi Dei , nulla manet iuxta doctrinam datam contradictio exercita extremorum , quæ sola posset esse inconueniens obstans tali existentiæ:ergo secundus Deus sine vllo inconueniente , atque adeò simpliciter,& absolutè potest existere. Quod est absurdum.

Solerter est hic cauenda fallacia.Respondeo:hoc 75
ipsum,quod est,non manere contradictionem exercitam inter extrema de suo contradictoria ex suppositione,quòd existeret secundus Deus,esse inconueniens obstans existentiæ non conditionatæ , sed absolutæ secundi Dei , & consequenter potentiæ eius ad existendum absolutè.Nam,quod nequit existere absque eo quòd duo contradictoria non exerceant contradictionem, seu,quod est idem , absque eo, quod duo contradictoria simul existant,eo ipso absolutè nequit existere;siquidem duo contradictoria non possunt absolutè simul existere ; quod ipsum est,non posse absolutè non exercere contradictionem. Ex quo patet,ipsum non exercere contradictionem contradictoria extrema ex suppositione existentiæ secundi Dei esse inconueniens obstans existentiæ absolutæ eius , quamuis,non sit obstans existentiæ eius conditionatæ ; siquidem non tollit, extiturum secundum Deum ex hypothesi , quòd existeret, quòd ex eâdem hypothesi extitura itidem forent duo contradictoria. Vnde ad argumentum in formâ , concessâ maiore,& priore parte minoris; nego posteriorem ; nempe , solam contradictionem exercitam extremorum manentem ex suppositione existentiæ secundi Dei posse tali existentiæ obstare; potiùs enim nihil ea obstaret,si maneret. Nam cùm contradictio exercita in eo stet , quòd alterum extremorum contradictoriorum tantùm existat,altero penitus impedito ; si ex suppositione existentiæ secundi Dei maneret contradictio exercita,hoc est, alterum tantùm existeret ex extremis contradictoriis,vtique secundus Deus quid possibile esset.Quoniam omne id possibile est,quod si existat cum altero tantùm contradictoriorum,existet ; Quod ipsum alio sensu est,sine contradictione existet:hoc est sine coniuncto extremorum de suo contradictoriorum.

Rursus opponunt Aduersarij sequi ex doctrinâ 76
nostrâ dari de facto duo contradictoria simul , & absolutè existentia , quod manifestè est impossibile.Sumamus,enim , ex iis extremis contradictoriis, quæ simul existerent , si existeret secundus Deus, illud,quod absolutè existit. Tum sic.De tali extremo verificatur absolutè,esse illud idem secum,vt patet; deinde etiam verificatur absolutè , non esse illud idem secum. Ergo. Probatur hæc minor:quia absolutè habet tale extremum prædicatum extituri sub hypothesi , quòd secundus Deus existeret. Ergo prædicatum distincti à non extituro sub tali hypothesi ; aliundeque nos dicimus , illud ipsum sub tali hypothesi non extiturum. Ergo absolutè habet prædicatum distincti à se ipso , & consequenter secum ipso idem non est. Concessis , aut admissis reliquis ; nego prædicatum extituri sub dicta hypothesi conueniens dicto extremo , esse prædicatum distincti à non extituro sub eadem. Quo cessat tota obiectio. Quo enim titulo concedam esse distincti, si dico,idem extremum verè extiturum,& simul non extiturum sub tali hypothesi?

77 Adhuc tamen contra dicta potest sic obiici. In statu conditionato possunt duo contradictoria verè simul existere, quamuis alterum sit formalis exclusio alterius: quia, quod alterum excludit ponit hypothesis. Ergo etiam poterunt verè simul existere in statu absoluto, aliunde pariter posito per potentiam Dei; quod per alterum formaliter excluſum est. Nego consequentiam. Ratio discriminis est: quia dari absolutè à parte rei duo extrema simul, quorum alterum est formaliter destructio, siue non esse alterius euidenter est impossibile, atque adeò sub nullam potentiam physicam cadens. At apprehendi simul ab intellectu talia extrema non est vnde repugnet, quidquid autem ab intellectu apprehendi potest; eo ipso potest poni in hypothesi, siue supponi per hypothesim re ipsâ esse, vt apprehenditur; semel autem facta hypothesi de existentiâ cuiuscunque apprehensi, nequit non esse proximè verum, & iudicabile ipsum existere ex tali hypothesi, quæ omnia vel ipsâ experientiâ, & ex ipsis terminis constant. Vnde perspicuè patet, quomodò possit esse verum, & iudicabile, extitura simul duo contradictoria ex hypothesi, quod existerent simul; quamuis ea absolutè simul existere, verum esse non possit. Quod si ex hypothesi coniuncti duorum contradictoriorum potest esse verum, ea simul existere, etiam poterit ex hypothesi cuiusuis alterius obiecti ab intellectu conceptibilis, quod sine ambobus nequit existere.

78 Venio ad secundum argumentum, quo suam sententiam contra nostram propositionem Recentiores stabilire conantur in hunc modum. Re obiecto distincto ab omni ente possibili nullomodò potest verificari esse intelligibile: Ergo tale non est. Consequentia est bona. Antecedens probant: quia talis verificatio fundari debet in identitate talis obiecti cum intelligibili, vt constat. Sed tale obiectum non identificatur cum intelligibili actualiter; non possibiliter, vt etiam constat: quia tale obiectum, aut esset absolutè existens, aut esset possibile contra suppositionem. Supponitur enim, tale obiectum ab omni possibili distingui. Sed neque identificatur cum intelligibili conditionatè: quia darentur duo contradictoria conditionata simul vera, vt per argumentum præcedens in simili probatum est. Ergo nullomodò obiectum distinctum ab omni ente possibili identificatur cum intelligibili. Quod ipsum est nullomodò intelligibile esse. Hoc argumentum fermè in præcedens recidit quoad substantiam, tametsi sub diuersis terminis. Respondeo facilè, obiectum distinctum ab omni ente possibili intelligibile esse, tum in statu suo quiditatiuo absoluto, & conditionato, qui verus eius status est, vt constat ex superius *dictis disp.* 10. *q.* 1. & 4. tùm in statu suo conditionato existentiali, qui etiam est verus; vt etiam constat ex dictis ibidem, & circa argumẽtum præcedens: atque ita in talibus statibus esse idem cum intelligibili eo ipso, quòd in illis idem est secummet. Quomodo autem, hinc non sequatur dari de facto duas propositiones contradictorias simul veras, aut conditionatas, aut absolutas satis superque etiam est notum per dicta circa præcedens argumentum. Aliaque quædam, quæ pro huius confirmatione adiungunt Aduersarij ex dictis manent satis diluta. Ex quibus omnibus vnicuique licebit colligere, leuioribus sanè momentis permotos esse, quam par esset, in tam singularem sententiam.

## *Propositio 2.*

Omnis chymera impossibilis ex eo talis est, quòd ex proprio conceptu obiectiuo sine aliquo alio conceptu possibili, & sibi oppositò existere nequit.

Demonstratur facilè. Quoniam omnis chymera 79
impossibilis titulo talis sine duobus extremis contradictoriis nequit existere, vt constat ex principiis statutis suprà *n.* 45. & 46. Alterum autem ex extremis contradictoriis non potest non de facto existere, atque adeò esse possibile, alias ambo simul deficerent contra illud principium euidentissimum; *Quodlibet est, vel non est.* De quo suprà *disp.* 9. *q.* 5. *proposit.* 1. Tum extremũ contradictorium existens, atque adeò possibile, alteri opponitur immediatè, mediatèque subinde chymeræ non potenti existere sine illo; quandoquidem quidquid alicui opponitur, & ei quod sine hoc nequit esse opponatur necesse est; vt satis ex se est notum, & demonstrabimus *infrà disp.* 14. *q.* 4. Igitur omnis chymera impossibilis hoc ipso, quod nequit existere sine duobus extremis contradictoriis, necesse est, vt nequeat existere sine aliquo conceptu possibili, quale est alterum ex dictis extremis, oppositò sibi medio altero; quod erat demonstrandum. Ex quo patet, nullam omnino chymeram impossibilem esse, quæ prorsus extra ditionem conceptuum possibilium eat, neque relatè ad aliquem conceptum possibilem, seu positiuum, seu negatiuum suam impossibilitatem sortiatur.

Obseruandum tamen est primò, conceptum il- 80
lum seu positiuum, seu negatiuum sine quo chymera nequit existere sæpè esse talem, qui sine alio, vel aliis conceptibus etiam possibilibus nequit existere, sine quibus subinde, etiam chymera ipsa nequibit existere, vt patet. Satis autem est ad impossibilitatem chymeræ, quòd aliquis ex conceptibus possibilibus, sine quibus ea existere nequit, quicumque ille sit, sit illi oppositus: eo enim ipso inseret ille contradictorium chymeræ, ac proindè chymera non potens existere sine illo, sine suo contradictorio, & consequenter sine duobus contradictoriis nequibit existere: cùm alias nequeat existere sine se. Potrò conceptus possibilis chymeræ oppositus, aut potest esse oppositus ei immediatè, aut medio alio quopiam, sine quò illa nequit existere; quilibet autem ex his modis oppositionis ad impossibilitatem eius etiam sufficiet, dummodò oppositio sit metaphysica, seu essentialis. De hâc enim solùm impræsentiarùm sermo est.

Secundò obseruandum est: bifariàm euenire pos- 81
se, vt chymera nequeat existere sine alio conceptu possibili sibi oppositò. Primò: quia talis conceptus aliundè necessariò existit; proindeque nihil aliud nisi coëxistendo illi potest existere. Huiusmodi autem solus Deus est, vt qui necessariò existit, & negationes chymerarum impossibilium, quæ necessariò etiam censentur existere (quâ ratione *supra disp.* 9. *quæst.* 3. explicatum est, cuius doctrinam semper supponimus, quoties de existentiâ negationum loquendum occurrit.) Secundò: quiâ cùm existentia talis conceptus suapte natura, & essentia est connexa chymera, eoque titulo ea nequit existere, nisi ille etiam existat. Priori modo secundus Deus chymericus, sine vero Deo sibi essentialiter oppositò, atque etiam sine sui negatione existere nequit. Posteriori autem modo, calefactio chymerica oriunda

à

à frigore, sine ipso frigore sibi essentialiter oppositio nequit existere. Tum coniunctum chymericum ex duobus contradictoriis sine alterutro eorum, quando ambo sunt possibilia, aut sine possibili, quando alterum est impossibile; & cætera huiusmodi sexcenta.

82 Tertiò obseruandum est: oppositionem metaphysicam repertam inter chymeram, & eum conceptum possibilem sine quo ea nequit existere; aut posse esse contradictoriam; qualis est inter quamlibet rem, & negationem eius; aut posse esse contrariam contradictionem inferentem; qualis est inter quamlibet connexionem metaphysicam, & negationem termini eius; inter extrema non vnibilia, & eorum vnionem; & multorum sententia inter assensum, & dissensum eiusdem subiecti, & obiecti: inter peccatum mortale, & gratiam; inter aliaque huiusmodi. Quæuis autem oppositio contraria reperta inter chymeram, & prædictum conceptum sufficit ad impossibilitatem illam, dummodò ea sit metaphysica, iuxtà diuisionem eius faciendam *infrà disputatione* 14.

83 Quartò obseruandum est: chymerarum impossibilium alias esse simplices physicè, hoc est, ex nullis partibus physicè distinctis compositas: alias complexas, siue compositas ex partibus distinctis physicè. Prioris generis sunt secundus Deus, volitio peccaminosa Dei veri, calefactio indiuisibilis extremorum non vnibilium, & aliæ huiusmodi. Posterioris autem generis sunt, coniunctum ex duobus extremis contradictoriis, coniunctum ex duobus extremis contrariis metaphysicè, compositum per vnionem chymericam ex extremis non vnibilibus, compositum per identitatem ex extremis distinctis, calefactio diuisibilis oriunda à frigore, cognitio diuisibilis reddens lapidem cognoscentem; & similes.

84 Quintò obseruandum est; chymerarum impossibilium alias esse purè impossibiles, hoc est, nihil in suo conceptu includentes, quod sit possibile: alias non purè impossibiles, id est, aliquid in conceptu suo includentes, quod sumptum seorsim possibile est. Prioris generis sunt, omnes chymeræ physicè simplices; & ex complexis eæ, quarum omnes partes seorsim sumptæ sunt impossibiles, comprehendendo nomine partium etiam vniones. Posterioris autem generis sunt reliquæ omnes complexæ, siue compositæ. Harum autem quædam sunt, quarum omnes partes, nullâ demptâ, seorsim acceptæ sunt possibiles; totaque subindè earum impossibilitas stat in coniuncto talium partium, cuiusmodi sunt complexum ex duobus extremis contradictoriis contingentibus, vt ex Petro, & eius negatione; & complexum ex duobus extremis contrariis seorsim possibilibus, vt ex actione, & negatione termini eius, ex assensu, & dissensu, &c. Aliæ sunt, quarum aliqua, aut aliquæ partes sunt impossibiles, reliquæ autem possibiles. Nimirum complexum ex frigore, & calefactione chymericâ oriunda ab ipso: Complexum ex extremis possibilibus non vnibilibus, & vnione eorum chymericâ: complexum ex Petro, & equo, & identitate eorum chymericâ; complexum ex animali, & rationali, & distinctione eorum chymericâ; ac demum omne complexum ex partibus, quarum aliæ purè impossibiles, & aliæ possibiles sint. His statutis, quæ omnia sunt certa, & conspicua, sit.

## *Propositio* 3.

Pleræque chymerarum impossibilium, tam à cognoscentibus per proprias species, atque adeò à Deo, quàm à cognoscentibus per species alienas conceptibiles sunt. Nonnullæ tamen à solis cognoscentibus per species alienas, atque adeò per aliena substituta, vti nos pro præsenti statu cognoscimus, sunt conceptibiles.

Vt, enim constat ex dictis *disp.* 10. *q.* 4. sub initium: chymeræ, quæ in suo conceptu obiectiuo inuoluunt identitatem confictam extremorum re ipsâ distinctorum; aut distinctionem confictam extremorum re ipsâ identificatorum à cognoscentibus per proprias species non sunt conceptibiles; benè tamen à cognoscentibus per alienas ob rationem allatam *ibi*. Cæteræ verò, ferè omnes chymeræ ab vtrisque conceptibiles sunt; nempe secundus Deus confictus, actio peccaminosa Dei; calefactio oriunda à frigore; vnio extremorum non vnibilium; aggregatum extremorum metaphysicè oppositorum, & cæteræ huiusmodi, quæ neque identitatem confictam extremorum re ipsâ distinctorum, neque distinctionem confictam extremorum identificatorum re ipsa, neque aliud quidpiam, quod in se non sit conceptibile inuoluunt in conceptu suo. Vniuersaliter enim quæcunque in se ipsis conceptibilia sunt, etiam à cognoscentibus per species proprias concipi possunt; secùs verò, quæ non in se, sed tantùm in substitutis alienis sunt conceptibilia, prout dictū est *loco citato*. 85

Vnde constat: chymeras in se, atque adeò per species proprias conceptibiles, in se, & de suo habere veras essentias obiectiuas, veraſque passiones intra statum quiditatiuum, aut etiam intra existentialem conditionatum verè iudicabiles, & scibiles à quolibet intellectu, etiam diuino; necnon veras earum negationes à parte rei dari, quatenus verè, quoad existentiam à quouis etiam intellectu negabiles sunt. Quod vtrumque alienum est ab aliis chymeris, quæ non in se, sed in alienis substitutis; atque adeò per species alienas conceptibiles sunt. Quare: quoties circa has, aliquas nos propositiones veras proferimus, aut aliqua iudicia vera formamus, ea quidem, non à veritate obiectiuâ, quam in se habeant tales chymeræ, euadunt vera, sed à veritate obiectiuâ aliorum obiectorum, quam illæ supponunt, prout pluribus *loco citato* explicatum est. Cæterum, quia vtræque eiusmodi chymeræ, in iis veritatibus fermè conspirant, quæ titulo impossibilitatis illis conueniunt; tametsi chymeris prioris generis per se, & formaliter; posterioris verò per æquiualentiam tantùm conueniant; de vtrisque quod attinet ad tales veritates, eodem modo in sequentibus philosophandum erit, dum opus non fuerit speciatim aliquid adnotare. 86

Itaque, de secundo Deo chymerico cum veritate dicitur, cum veritateque iudicatur à quouis intellectu, esse secundum Deum: esse impotentem ad existendum; atque adeò chymericum; esse connexum quoad existentiam cum duobus contradictoriis; atque adeò impossibilem: esse distinctum à vero, & vnico nostro Deo; coëxturum duobus contradictoriis, si existeret; & cætera huiusmodi, quæ illi ex suo conceptu obiectiuo; atque adeò quiditatiuè vere conueniunt. Tantumdemque pariter venit dicendum de cæteris chymeris, quæ in se ipsis; atque adeò per proprias species conceptibiles sunt iuxta dicta. 87

Ex his sequitur primò. Eiusmodi chymeras, quo pacto veritatem habent quiditatiuam; & consequenter existentialem conditionatam quiditatiuæ annexam, obiecta quædam vera quiditatiuè, atque etiam existentialiter conditionatè dici posse: chymerica tamen, & impossibilia, quia illud *esse* quiditatiuum, quod ex conceptu suo habere dicuntur, conditionatumque quod haberent ex hypothesi, quòd existerent, ad statum existentialem absolutum nullomodò reduci potest. Quo solùm titulo communiter dici solent, loquendo absolutè, obiecta, ficta, aut etiam necessariò falsa: cùm tamen quoad *esse* suum quiditatiuum, existentialeque conditionatum quiditatiuo annexum talia non sint; sed tantùm quoad *esse* existentiale absolutum, cùm concipiuntur absolute existentia.

89 Secundò sequitur: contradictionem, quam sibi habere annexam dicuntur eiusmodi chymeræ, non esse contradictionem spectantem ad statum quiditatiuum, aut existentialem conditionatum quiditatiuo annexum; alioquin intra tales status non essent vera obiecta; sed tantùm spectantem ad statum existentialem absolutum, intra quem dumtaxat, quando intra illum concipiuntur, obiecta sunt falsa. Quemadmodùm impossibilitas; quam habent oriunda ab impossibilitate talis contradictionis, non est impotentia ad habendum *esse* quiditatiuum, aut conditionatum existentiale, quod verè habent, & ad quod habendum subinde potentes sunt; sed tantùm ad habendum *esse* existentiale absolutum, quod nullatenus habere possunt. Supponimus enim impræsentiarùm, contradictoriarum oppositionum, alias ad statum quiditatiuum, eumque aut absolutum, aut conditionatum; alias ad statum existentialem, eumque similiter aut absolutum, aut conditionatum pertinere: Vnicuique autem earum vtrumque extremùm intra vnum, & eumdem statum ad quem illa pertinet, esse debere, iuxta dicta *disp.* 10. *q.* 5. *propositt.* 14.

90 Sunt tamen præterea, alia obiecta chymerica ex genere præsertim conceptibilium dumtaxat per species alienas, quæ non solùm intra statum existentialem absolutum; sed etiam intra statum quiditatiuum absolutum, & existentialem conditionatum ipsi quiditatiuo annexum necessariò sunt falsa; atque adeò connexa, non solùm cum contradictione pertinente ad statum existentialem absolutum; sed etiam cum pertinentibus ad statum quiditatiuum absolutum, & ad statum existentialem conditionatum ipsi annexum. Huiusmodi sunt hæc: *Petrus est lapis: Si Petrus existeret, esset lapis*, & similia. Quæ proinde bifariam dici possunt; aut etiam solent impossibilia, & chymerica. Primò, quia carent potentia ad existendum absolutè. Secundò, quia carent potentia ad essendum id, quod falsò dicuntur esse, tùm in statu quiditatiuo absoluto, tum in statu existentiali conditionato ipsi quiditatiuo annexo. Habent tamen nihilominus istæ etiam chymeræ suas obiectiuas veritates ad alios earum status spectantes: nempè quiditatiuam conditionatam, & existentialem etiam conditionatam annexam tali quiditatiuæ. Nam quamuis obiecta ista necessariò sint falsa: *Petrus quiditatiuè est lapis: Si Petrus existeret, existentialiter esset lapis*: hæc tamen necessariò sunt vera: *Si Petrus quiditatiuè esset lapis, quiditatiuè esset lapis*: *Si Petrus existentialiter esset lapis existentialiter esset lapis*; ita tamen est verum, Petrum fore lapidem ex hypothesi, quòd esset lapis; vt etiam sit verum non fore: quia cùm Petrus essentialiter non sit lapis, ex hypothesi, quòd lapis esset, vtrumque contradictorium sequitur; sicut quià secundus Deus essentialiter est non existens, ex hypothesi, quòd existeret, vtrumque contradictorium sequitur; nempe existere eum, & non existere. Ob id dixi, prædicta obiecta chymerica, etiam cum contradictione spectante ad statum quiditatiuum absolutum, & ad existentialem conditionatum annexum ipsi connexa esse.

Hinc sequitur tertiò, obiectorum impossibilium 91
quædam esse impossibilia, atque adeò chymerica vno titulo; quædam duobus. Vno quidem, quæ tantùm habent sibi annexam contradictionem spectantem ad statum existentialem absolutum, eoque iure impotentiam habent ad existendum absolutè, conceptaque, vt absolutè existentia necessariò sunt falsa. Duobus autem, quæ insuper habent annexam sibi contradictionem spectantem ad statum quiditatiuum, eoque iure insuper habent impotentiam ad essendum quiditatiuè id, quod esse dicuntur; proindeque vt habentia tale *esse* absolutè necessariò sunt falsa. Hæc autem consequenter habent sibi annexam contradictionem spectantem ad statum existentialem conditionatum tali quiditatiuo annexum; atque adeò, & impotentiam ad habendum sub conditione propria huius status existentialiter illud *esse*, quod falsò, vt sic dicuntur habere. Quare chymerarum impossibilium aliæ distinctionis gratia, dici possunt impossibiles existentialiter; siue impossibilitate existentiali tantùm; aliæ etiam quiditatiuè; siue impossibilitate insuper quiditatiuâ. Etenim impossibilitas quiditatiua absque impossibilitate existentiali nullatenùs stare potest, cum tamen existentialis bene possit stare absque quiditatiuâ, vt ex *propos.* 1. *statuta disp.* 10. *q.* 5. planè colligitur. Quia nimirum, quod non habet, atque adeò neque habere potest aliquod *esse* in statu quiditatiuo absoluto, neque in statu existentiali absoluto potest illud habere; cum tamen bene possit aliquid esse impotens ad habendum aliquod *esse* in statu existentiali absoluto; quod tamen necessariò habet in statu absoluto quiditatiuo. Sic quia. Petrus in statu quiditatiuo absoluto non potest esse lapis, neque potest esse lapis in statu absoluto existentiali; secundus verò Deus in statu absoluto existentiali secundus Deus chymericus esse non potest; qualis necessariò est in statu absoluto quiditatiuo.

Vnde sequitur quartò; extrema contradictoriè 92
opposita relatè ad statum quiditatiuum absolutum necessariò esse etiam contradictoriè opposita relatè ad statum existentialem absolutum; non tamen vice versâ: quia esse extrema contradictoriè opposita relatè ad aliquem statum, & non posse coniunctum eorum habere *esse* in tali statu in idem recidit, vt est notum. Constat autem ex dictis, coniunctum duorum contradictoriorum, quod est quædam chymera, neutiquam posse carere potentia ad habendum *esse* in statu quiditatiuo absoluto; quin etiam careat ad habendum *esse* in statu existentiali absoluto; cum tamen benè possit vice versâ; esse impotens ad absolutè existendum, quin sit impotens ad absolutè essendum id, quod quiditatiuè est.

Quintò sequitur: quasuis chymeras impossibiles 93
eatenus tantùm esse entia rationis ficta, quatenus falsæ sunt; siue quatenus concipiuntur habentes *esse* in aliquo statu, in quo re verâ illud non habent; non verò itidem quatenùs sunt obiecta vera, siue quatenus concipiuntur habentes *esse* in eo statu, in quo verè habent, iuxta dicta; sed de hoc plura sunt dicenda *disp.* 12.

Sextò

94 Sextò sequitur ; impossibilitatem, aliaque prædicata, quæ verè de chymeris dicuntur, necessaria omninò illis esse ; non quidem necessitate existentiali absoluta, ( in quo decepti sunt Recentiores, qui impossibilitatem chymerarum cum Deo identificant ) sed necessitate quiditatiua, eaque vel absoluta, vel conditionata, aut necessitate existentiali conditionata, penes diuersos modos, quibus eiusmodi prædicata verè enuntiantur de chymeris, iuxta etiam dicta. Et quoniam omne necessarium, qua tale, possibile sit necesse est, id est, potens esse ea ratione, qua necessariò est. Conficitur, impossibilitatem, aliaque prædicata verè conuenientia chymeris, verè esse illis possibilia, id est, potentia conuenire, conuenientia scilicet quiditatiua, aut existentiali conditionata illi annexa. Quocirca possibilitas ( sicut de impossibilitate diximus ) in existentialem, & quiditatiuam distinctionis gratia diuisa esto pro dicendis deinceps.

95 Septimò sequitur : bifariam posse esse aliquid absolutè impossibile; atque adeò absolutè connexum cum contradictione. Primò : ab intrinseco, & per essentiam suam. Secundò : partim à conditione sibi extrinseca, & accessoria; purificata tamen, atque ita constituente absolutè talem impossibilitatem, connexionemque cum contradictione. Huiusmodi autem conditio, aut necessaria potest esse, aut contingens in sua purificatione. Impossibile ab intrinseco simpliciter, & absolutè est impossibile, chymeraque appellatur ; & idem est de impossibili à consortio conditionis necessariò purificatæ : impossibile verò à consortio conditionis contingenter purificatæ, solùm dicitur impossibile ex suppositione conditionis ; absolutè autem possibile, quia antecedenter ad talem suppositionem possibile est. Ob idque ne ex dicta quidem suppositione dici solet chymera, tametsi congruè dici possit. Sit pro exemplo primi impossibilis vnio extremorum non vnibilium, quæ ab intrinseco, & suopte conceptu connexa est cum ipsis extremis sibi essentialiter oppositis ; atque ita mediatè cum suo contradictorio, quod illa inferunt ; & consequenter cum duobus. Pro exemplo autem secundi sit secundus Deus, qui ex suppositione necessaria vnici veri Dei sibi oppositi cum suo etiam contradictorio, & consequenter cum duobus connexus est. Pro exemplo denique tertij sit fides diuina de existentia peccati absolutè non existentis, quæ ex suppositione absolutâ non existentiæ peccati, cum duobus etiam contradictoriis connexa est.

## QVÆSTIO III.

### *Quid sit contingens in vniuersum ; quid contingentia ; & quotuplex ?*

96 COntingens dicitur vniuersè id, quod ita potest existere, vt etiam possit non existere. Vnde contingentia potentia quædam est ad vtrumuis ; nimirùm ad existendum, aut non existendum ; seu potiùs indifferentia quædam ad vtrumuis coalescens ex duplici potentia, altera ad existendum, & altera ad non existendum; Vnde contingens sumptum formaliter, concretum quoddam est nostro modo concipiendi ex subiecto, quod contingens dicitur, & ex duplici potentia, altera ad existendum, & altera ad non existendum ; quæ vtraque potentia simul accepta, contingentia formalis est.

Diuiditur autem contingens ita vniuersè sumptum ; primò in contingens metaphysicè, physicè, & moraliter. Contingens metaphysicè dicimus, quod simpliciter tale est. Contingens autem physicè, quod tale est etiam naturaliter ; Contingens denique moraliter, quod etiam moraliter. Quos terminos alibi in simili sæpè explicuimus. Vnde patet ; omne contingens moraliter etiam physicè, & metaphysicè contingens esse ; & omne contingens physicè, etiam metaphysicè ; sed non vice versa. Secundò contingens in existens, & non existens diuidi potest. Tertiò : in proximè, & remotè contingens. Quartò : in contingens absolutè, & quod nullâ expectatâ conditione tale est ; & contingens ex suppositione, quod tantùm est tale ex hypothesi conditionis. Quæ si fuerit impossibilis, contingens ex suppositione absolutè erit, vel impossibile, vel necessarium. Si verò fuerit contingens, aut necessaria, contingens ex suppositione absolutè etiam erit contingens. Quintò : contingens in liberum, & non liberum diuidi potest, seu potiùs in liberum in se, & liberum tantùm in causâ. Nullum enim contingens est, quod ab aliquâ libertate non ducat originem ; atque adeo, quod non possit aliquo modo, saltem in causa dici liberum, prout ex dicendis in *sequentibus* apparebit. 97

## QVÆSTIO IV.

### *Quid sit necessarium in vniuersum quid necessitas ; & quotuplex ?*

98 QVamuis possibile, & impossibile contingens, iuxta communè, & magis propriam loquutionè respectiuè tantùm ad existentiam, siue ad actum existendi talia dicatur, vt in quæstionibus præcedentibus visum est. Necessarium tamen latiùs communiter solet accipi, pro eo, quod ad quemuis actum necessitatum ; atque adeò ad actum contradictorium impotens est. Quocirca aliud est necessarium in existendo ; aliud in essendo quidpiam ; aliud in causando ; aliud in cognoscendo, &c. Nihilominùs, quod frequentius, loquendo absolutè, necessarium vocari solet, necessarium est in existendo, aut etiam in essendo, quod est. Cætera enim potiùs necessitata ad actum, cum quo connectuntur, quàm necessaria absolutè veniunt dicenda. Etenim necessitas in vniuersum, quâ quoduis subiectum ad quemuis actum necessitatum dicitur, aliud non est à connexione, qua tale subiectum cum tali actu connexum est. Quo fit, vt necessarium, siue necessitatum formaliter concretum quoddam sit nostro modo concipiendi coalescens ex subiecto, & actu connexionis, qua subiectum ipsum cum alio quopiam actu connexum est : necessitas autem formaliter in connexione ipsa consistit. Ex huiusmodi autem positiua necessitate, seu connexione nascitur tanquàm proprietas quædam in se subiecto necessitato ad actum impotentia ad contradictorium. Quo iure necessarium in existendo eo ipso ad non existendum impotens est.

99 Aliter, & quidem æquiuocè accipi solet necessarium, pro requisito ad aliud quidpiam. Et quoniam requisitum ad aliud, id solùm dicitur, quod terminus est connexionis eius, efficitur, vt necessarium huius acceptionis veluti correlatiuum sit necessarij alterius. Posito enim, quod subiectum quoduis ad quemuis actum necessitatum est ; atque

adeò impotens esse sine illo; nequit non esse talis actus ad tale subiectum requisitus, seu necessarius, vt illud sit. Quare licet in hac quæstione potissimè agamus de necessario prioris acceptionis; nonnulla tamen ex dicendis in ea necessario etiam posterioris sua propositione seruata, venient aptanda.

100 Porrò necessarium prioris acceptionis, seu potius necessitatum ad actum, aliud imprimis metaphysicè, aliud physicè, & aliud moraliter tale est, penes connexionem scilicet, aut metaphysicam, aut physicam, aut moralem, quâ illud cum actu connexum est. Quid sit autem connexio metaphysica, quid physica, & quid moralis, tùm *disput. 2. quæst. 5.* tum *alibi* iam est explicatum; tum *infrà disput. 14.* magis ex professo explicabitur. Vnde necessitatum ad actum, aut immediatè, siue proximè; aut mediatè, siue remotè potest tale esse penes connexionem immediatam, aut mediatam, quam habet cum actu. Deinde necessitatum ad actum, aut absolutè, aut ex suppositione tale esse potest. Absolutè quidem, si tale sit, nulla conditione expectata. Ex suppositione verò, si tale sit tantùm ex hypothesi conditionis. Ex quibus patet, quomodò necessarium specialius sumptum pro necessitato ad existendum, aut metaphysicè, aut physicè, aut moraliter tale esse possit, necnon aut absolutè, aut ex hypothesi conditionis. Quæ conditio si sit contingens, necessarium ex eius hypothesi absolutè contingens erit, si autem sit conditio impossibilis, necessarium ex eius hypothesi absolutè necessarium non erit; sed veli impossibile, vel contingens; si denique conditio sit necessaria, necessarium ex eius hypothesi absolutè etiam necessarium erit.

101 Aduerto hîc; Recentiores quosdam opinari, necessitatem metaphysicam ex genere eorum prædicatorum esse, quæ non suscipiunt magis, & minùs, nullamque subinde necessitatem metaphysicam maiorem aliâ esse posse; & consequenter neque vllum ens posse esse magis necessarium, aut magis, necessitatum metaphysicè, quàm aliud. Quo iure censent, Deum non esse magis necessarium in sua existentia, quàm sunt creaturæ possibiles in sua possibilitate. Mouentur autem: quia quæuis necessitas metaphysica excludit omnem contingentiam, omnemque potentiam ad oppositum: nullumque propterea metaphysicè necessitatum ad aliquem actum magis impotens, quàm aliud potest esse ad contradictorium. Ex quo inferunt, nullum metaphysicè necessitatum ad aliquem actum magis necessitatum ad illum posse esse, quàm aliud.

102 Ego verò censeo, necessitatem in vniuersum ex genere eorum prædicatorum esse, quæ magis, & minus suscipiunt; atque adeo intra quoduis necessitatis genus, vnam maiorem alia esse posse; vnumque proinde ens magis necessarium, aut magis necessitatum, quàm aliud. Et quidem intra genus necessitatis moralis, atque etiam physicæ id prorsus est indubitabile: cùm certum sit, inter necessaria, siue necessitata moraliter, atque etiam physicè quædam necessaria, siue magis necessitata, quàm alia esse. E. g. necessariũ moraliter est, vt in integrâ ciuitate sit aliquis homo peccator; sed magis necessarium moraliter est, vt sit aliquis homo peccator in integro regno. Necessarium moraliter, est vt quatuor, aut plures mathematici probi, & docti testantes de existentia cometæ à se ipsis visi in Germaniâ non mentiantur; sed multò magis necessarium moraliter est, vt non sint mentiti quotquot testati sunt hactenus Romam existere. Quarè quilibet intellectus magis est necessitatus ad credendum, Romam existere ob testimonium omnium, qui de eius existentia testati sunt, quàm ad credendum extitisse in Germaniâ cometam ob testimonium eorum mathematicorum. Similiter. Naturaliter est necessarium, ignem exiguum calefacere; sed magis necessarium est naturaliter, solem illuminare: maiori siquidem, & strictiori iure naturali est citrà omne dubium debita illuminatio soli, quàm calefacio igni exiguo; maiusque proindè esset miraculum negare Deum soli concursum debitum ad illuminandum, quàm fuit negare igni Babylonico concursum debitum ad tres pueros calefaciendos, & comburendos. Naturaliter etiam est necessarium, cæcum non recuperare visum amissum; sed multò magis est necessarium naturaliter mortuum non recuperare vitam amissam: maiusque proindè miraculum Christi Domini fuit suscitare Lazarum mortuum, quàm restituere cæco visum amissum. Itaque inter necessitates morales, atque etiam naturales, seu physicas alias aliis maiores esse prorsus est certum.

Vndè ego argumentum desumo ad idem ipsum 103
asserendum de necessitatibus metaphysicis: quia nullus est titulus, cur inter illas & non inter has possint aliæ aliis esse maiores. Necessitas quippe moralis, aut naturalis idcirco potest esse maior aliâ sui generis, quia connexio extremorum, in qua consistit, iuxta dicta, strictior, & firmior alia esse potest: sed connexio extremorum, in qua etiam consistit necessitas metaphysica, strictior, & firmior: alia esse potest; cùm id sit proprium cuiusuis colligationis, seu vinculi, seu nexus extremorum, qualis est omnis connexio, vt constat: Igitur necessitas itidem metaphysica maior alia sui generis esse potest. Nec refert, quamuis necessitatem metaphysicam excludere omnem potentiam ad oppositum, quominùs vna maior alia esse possit. Ex quo orta est Recentiorum deceptio: quia etiam quæuis necessitas moralis excludit omnem potentiam moralem ad oppositum, & quæuis necessitas naturalis omnem potentiam naturalem: & nihilominus quæuis earum maior alia sui generis esse potest, vt vidimus. Ex eo enim, quòd aliquod vinculum nullâ potentia infringi possit, non sequitur esse impossibile aliud illo strictius, & firmius, quod nulla itidem potentia possit infringi.

Cuius ratio vniuersalis à priori est: quia bene 104
fieri potest, sepèque fit, vt formæ, formalitatesve eiusdem generis valde inter se inæquales sint, & nihilominus in excludendis formis, formalitatibusve contrariis prorsus conspirent. Sic enim, quæuis bonitas reddens subiectum bonum simpliciter omnem malitiam oppositam excludit ab illo: quia bonum ex integra causa; & nihilominus nulla est eiusmodi bonitas, quæ maior, aut maior alia esse non possit, sæpeque sit. Sic quæuis gratia habitualis omne peccatum mortale excludit à subiecto, cui inest; & tamen inter gratias habituales aliæ maiores, aliæ minores aliis sunt. Sic ergò pariter etsi quæuis connexio, quæuisque subinde necessitas metaphysica excludat à subiecto, cui conuenit, omnem potentiam ad oppositum; stare cum eo bene poterit, quòd inter connexiones metaphysicas aliæ aliis strictiores, atque, adeo inter necessitates metaphysicas aliæ aliis maiores sint. Stet igitur ita esse.

Ex his inferemus suo loco necessitatem, quam 105
Deus habet in essendo, & in existendo infinitè maiorem esse necessitate, quam habent cætera cuncta in essendo id, quod quiditatiuè sunt; aut etiam in existendo ex hypothesi, quòd existant; tametsi necessitates istæ, omnes sint metaphysicæ. Quoniam

necessitas

necessitas in essendo, tam quiditatiuè, quàm existentialiter, siue absolutè siue,conditionatè perfectio quædam est rerum possibilium, quibus hoc ipso, quòd est bonum habere *esse* quoquomodò, nequit non esse etiam bonum habere illud necessario. Vndè penes maiorem, aut minorem perfectionem earum maior, aut minor earumdem necessitas in habendo *esse* taxanda est. Consequens enim est, vt,quo perfectius *esse* vnaquæque habet,perfectiori modo,atque adeò magis necessariò illud habeat. Cúmque Deus ens sit infinitè perfectius, atque adeò infinitè perfectius *esse* habens, quàm cætera cuncta : conficitur, necessitatem,quam Deus habet in essendo tum quiditatiuè, tum existentialiter,tum conditionatè, tum absolutè infinitè maiorem esse necessitate,quam habent in essendo cætera cuncta, quâ ratione,illa necessariò habent *esse* : nimirum quiditatiuè, tum conditionatè, tum absolutè : existentialiter verò tantùm conditionatè, iuxta dicta *disput.* 10.*quæst.* 1.In existendo enim absolutè nihil præter vnum Deum habet necessitatem metaphysicam, vt est notissimum.

## QVÆSTIO V.

*Quænam propositiones euidentes, aut aliàs certæ, seu per se notæ, seu demonstratæ ex terminis huius disputationis in superioribus expositis eliciantur, tum inter se, tum cum terminis præcedentium collatis?*

106 Dico elici, quæ sequuntur.

### *Propositio 1.*

107 Omne coniunctum ex duobus extremis contradictoriè oppositis impossibile metaphysicè est.

Hæc propositio in principium euidentissimum statutum *disput.9.quæst.5.propositio* 1.recidit; proindeque æquè atque illud cunctis est euidens.Videantur dicta *ibi*.

### *Propositio 2.*

108 Quidquid cum duobus extremis contradictoriè oppositis metaphysicè connexum est chymera impossibilis est.

Hæc propositio ex primâ venit facilè demonstranda, iamque *suprà quæst.2.num.*45.demonstrata est. Ex eâ autem sequitur manifestè : quidquid cum aliquo impossibili necessariò connexum est, id necessariò esse impossibile ; siquidem connexum cum duobus contradictoriis idcircò impossibile est : quia coniunctum duorum contradictoriorum impossibile est.

### *Propositio 3.*

109 Omnis chymera impossibilis cum duobus extremis contradictoriè oppositis est metaphysicè connexa.

Hæc propositio *quæst.* 2. *num.*47. est demonstrata. Videatur *ibi* eius demonstratio.

### *Propositio 4.*

110 Omnis chymera impossibilis cum aliquo conceptu possibili sibi metaphycè opposito est metaphysicè connexa.

Quia est connexa cum duobus contradictoriis iuxta *propositi.* 3. Ex quibus alterum debet necessariò esse possibile, cùm debeat necessariò esse existens, ne vtrumque simul deficiat contra *propos.* 1.*statutam disputatione 9. quæst.* 5. Extremum autem contradictionis existens hoc ipso, quod alteri opponitur ipsi chymeræ cum eo connexæ opponatur necesse est ; siquidem oppositum termino connexionis, & connexioni oppositum est, cùm nequeat simul esse cum A id, quod nequit simul esse cum B,sine quo A esse non potest, vt ex se patet, insuperque demonstrabitur *infrà disput* 14.*quæst.*4. Concluditur ergo, omnem chymeram cum aliquo possibili sibi opposito connecti, prout erat demonstrandum. Recognosce dicta ad rem *suprà quæst.* 2. *propos.* 2.

### *Propositio 5.*

Omnis chymera impossibilis cum suo contradictorio est metaphysicè connexa. 111

Quia est connexa cum extremo sibi metaphysicè opposito, iuxta *propositi.*4. Ergo vel sibi opposito contradictoriè ; & habetur intentum : Vel sibi opposito contrariè(ad hæc namque duo genera oppositionis reuocatur omnis oppositio metaphysica, vt ostendemus *disput.* 14.) & sic mediatè erit connexa cum suo contradictorio, vtpotè cum quo suum contrarium metaphysicè connexum esse necesse est. Alterum quippè contrariorum cum alterius contradictorio necessariò est connexum, cùm nequeat esse sine illo, hoc ipso, quòd cum suo contrario esse non potest,vt ex se patet, & *dicta disputatione* 14. *quæst.*4. demonstrabitur. Omnis igitur chymera impossibilis cum suo contradictorio est metaphysicè connexa : quod erat demonstrandum ; idque aut immediata connexione, qualis nonnumquam erit; aut mediata, qualis frequentius.

Porrò cum suo contradictorio existentiali esse connexam omnem chymeram impossibilem, inde aliter demonstratur : quia cùm sit suopte conceptu impotens ad existendum, nequit non esse necessitata ad non existendum ; atque adeo connexa cum sua non existentia ; siquidem omne subiectum impotens ad vnum ex actibus contradictoriis, ad alterum necessitatum est, vt ex se patet;& *suprà disp.* 8. *quæst.*4. est demonstratum. 112

In hac propositione fundatur ille modus arguendi,quem aliqui vocant admirabilem, & in humanis scientiis nonnunquam occurrit ; quando videlicet ex vno extremo contradictionis assumpto, & supposito ostensiuè demonstratur alterum ; vt si quis contra asserentes, hominem non esse risibilem ex eo ipso, quòd non sit risibilis, positiuè inferret, ostensiuéque demonstraret, esse risibilem. Quo arguendi modo vtitur Euclid. *lib. 9. Elem. propos.* 12. & Theodos. Tripoli. *lib.1.Sphæricor.propos.*12.necnon Cardanus *lib.5.Proport. prop.*201.Propterea enim iis in casibus ex vno extremo cõtradictionis alterum rectè infertur, & demonstratur : quia illud chymera est impossibilis, eoque iure cum hoc connexum suapte naturâ. Cæterùm per dictum arguendi modum,vt concludatur,quod intenditur, in argumentationem deducentem ad impossibile tandem,est recidendum. Quando enim ex suppositione vnius contradictorij sequitur alterum, ex suppositione vnius contradictorij sequitur vtrumque esse verum: quod est impossibile. Vnde reuertendo infertur 113

esse

esse necessariò falsum id, quod supponitur, & consequenter verum contradictorium eius; quod assumptum fuerat probandum.

114 Ex hac etiam, & præcedentibus propositionibus inferet aliquis fortasse id, quod nonnulli sibi suadent, & verum putant; nempè ex quauis chymerâ impossibili quodlibet sequi, quatenus ex quauis sequitur quodlibet ex extremis contradictionis; atque ita inutilem esse modum arguendi ex hypothesi impossibili in scientiis humanis satis frequentem; necnon quæstiones, vbi ex hypothesi impossibili aliquid quæritur, vti quæritur à Theologis in materia de Trinitate: an si Spiritus sanctus non procederet à Filio, ab illo nihilominus distingueretur, aut secùs. Cæterùm de hoc *inferiùs quæst. 6.* agendum nobis est.

## *Propositio 6.*

115 Quod est necessarium, aut impossibile metaphysice, etiam physicè tale est; & quod est physicè, etiam moraliter; sed non vice versa. Quod verò contingens est moraliter, etiam physice tale est; & quod physicè, etiam metaphysice; sed non è conuerso.

Hæc propositio tum ex se, tum ex *propos. 10. statuta disput. 8. quæst. 4.* comperta est. Aduerto autem, particulam *intra quoduis genus*, in plerisque sequentium propositionum additam denotare propositionem, vbi additur vniuersaliter esse veram intra quoduis genus possibilitatis, impossibilitatis, contingentiæ, aut necessitatis, metaphysicæ videlicet, physicæ, vel moralis, proximæ, vel remotæ, absolutæ, vel ex hypothesi, &c.

## *Propositio 7.*

116 Omne obiectum conceptibile, aut impossibile, aut contingens, aut necessarium esse debet intra quoduis genus.

Quia nequit non esse, aut impotens, aut potens cum indifferentia, aut necessitatum ad actum, relatè ad quem aut impossibile, aut contingens, aut necessarium intra quoduis genus venit dicendum, prout *loco citato* est demonstratum *propos. 11.*

## *Propositio 8.*

117 Quâ ratione aliquid neeessarium est, eâdem debet esse possibile intra quoduis genus.

Quia omne necessitatum ad actum, nequit non esse potens ad illum intra idem genus, vt constat ex *propositi. 14.* & *21. loco cit.* demonstratis.

## *Propositio 9.*

118 Quâ ratione aliquid est contingens, eadem possibile est intra quoduis genus.

Quia quæuis contingentia possibilitas est in suo genere ad vtrumuis contradictionis extremum, iuxta definitionem eius statutam *suprà quæst. 3.*

## *Propositio 10.*

119 Quâ ratione aliquid est possibile, eadem nequit simul esse impossibile, aut vice vesa, intra quoduis genus.

Quia simul posset, & non posset habere *esse*; contra *propositi. 1. statutam disp. 9. q. 5.*

## *Propositio 11.*

Qua ratione aliquid est necessarium, eâdem nequit esse simul impossibile, aut vice versa intra quoduis genus. 120

Quia cùm necessarium nequeat non esse possibile, iuxta *propos. 8.* si necessarium posset simul esse impossibile, aut vice versa: idem posset esse possibile simul, & impossibile; contra *propos. 10.*

## *Propositio 12.*

Quâ ratione aliquid est necessarium, eadem nequit esse simul contingens, aut vice versa intra quoduis genus. 120

Quia cum necessarium, qua tale non possit non habere *esse*: contingens autem possit, iuxta eorum definitiones traditas *quæst. 3. & 4.* si necessarium, qua tale posset esse contingens, aut vice versa, idem posset, & simul non posset non habere esse contra *propositi. 1. statutam disputatione 9. quæst. 5.*

## *Propositio 13.*

Quâ ratione aliquid est impossibile', eadem nequit esse simul contingens, aut vice versa, intra quoduis genus. 121

Quia cùm impossibile, qua tale non possit habere esse; contingens autem possit, iuxta eorum definitiones traditas *quæst. 2. & 3.* Si impossibile, qua tale posset esse contingens, aut vice versa, idem posset, & simul non posset habere esse; contra eamdem *propositi. 1. statutam ibidem.*

## *Propositio 14.*

Quâ ratione aliquid est impossibile, eadem contradictorium eius necessarium esse debet; & è conuerso intra quoduis genus. 122

Hæc propositio ex *propos. 12. demonstrata disp. 8. quæst. 4.* constat; ex eaque sequitur, quando alterum ex extremis contradictionis est necessarium, aut impossibile, non posse alterum esse contingens intra idem genus.

## *Propositio 15.*

Quâ ratione aliquid est contingens, eadem contradictorium eius contingens esse debet intra quoduis genus. 123

Hæc ex *propositi. 13. ibidem demonstrata* constat. Ex eaque sequitur, quando alterum ex extremis contradictoriis est contingens, non posse alterum esse necessarium, aut impossibile intra idem genus.

## *Propositio 16.*

Ex duobus extremis contradictoriè oppositis alterutrum sub disiunctione necessarium est metaphysicè. 124

Nam alioquin ambo possent simul deficere contra *propositi. 1. statutam disp. 9. quæst. 5.*

## *Propositio 17.*

Ambo extrema contradictionis nec simul necessaria, nec simul impossibilia esse possunt intra quoduis genus. 125

Tum quia anbo simul haberent, aut simul non haberent esse; proindéque ambo essent simul vera, aut simul falsa contra *propositt.1. statutam disput. 9. quæst. 5.* Tum quia, quâ ratione alterum est necessarium, alterum debet esse impossibile; & è conuerso, iuxta *propositt.14.* Quod autem est necessarium, nequit esse simul impossibile, nec vice versâ, iuxta *propos. 11.*

## *Propositio 18.*

127 Ambo extrema contradictionis contingentia esse possunt intra quoduis genus.

Quia, quâ ratione alterum est contingens, alterum quoque debet esse contingens, iuxta *propositio 15.*

## *Propositio 19.*

128 Quâ ratione quælibet essentia necessaria est, eadem omnes, & singulæ partes eius necessariæ esse debent intra quoduis genus.

Alioquin aliqua pars essentiæ posset deficere, contra *propositt. 13. statutam disput. 9. quæst. 5.* vt est notissimum.

## *Propositio 20.*

129 Quâ ratione omnes, & singulæ partes essentiæ compositæ necessariæ sunt, eadem debet essentia ipsa necessaria esse intra quoduis genus.

Alioquin essentia composita posset deficere, quin posset deficere vlla pars eius contra *propositt. 12 statutam ibidem,* vt etiam est notum.

## *Propositio 21.*

130 Quâ ratione pars quælibet essentiæ compositæ contingens, aut impossibilis est, eadem essentia ipsa contingens, aut impossibilis est intra quoduis genus.

Quia, quâ ratione est potens deficere quælibet pars essentiæ compositæ, eâdem potest deficere essentia ipsa, iuxta eamdem *propositt. 13. nuper citatam.* Ergo Si pars essentiæ compositæ est potens deficere contingenter, vti euenit quando est contingens; ipsa quoquè essentia erit potens deficere contingenter, atque adeò contingens. Et si pars essentiæ compositæ est potens deficere necessariò; vti euenit, quando est impossibilis, ipsa quoque essentia erit potens deficere necessariò, atque adeò impossibilis.

## *Propositio 22.*

131 Omne obiectum impossibile necessariò est impossibile, & omne contingens necessariò est contingens, & omne necessarium necessariò est necessarium.

Hæc propositio imprimis constat. Quia hæc prædicata essentialia sunt obiectis, quibus conueniunt, cum sint pertinentia ad statum eorum quiditatiuum: constat autem, omne prædicatum subiecto essentiale, aut quiditatiuum necessarium esse ipsi subiecto: sed demonstremus insuper illam ex præcedentibus: quia si obiectum impossibile non esset necessariò impossibile, posset vtique tale non esse: ergo posset esse aut contingens, aut necessarium, quandoquidem omne obiectum aut impossibile, aut contingens, aut necessarium indispensabiliter debet, esse, iuxta *propos. 7.* proindéque, quod non est impossibile nequit non esse aut contingens aut necessarium. At obiectum impossibile nec potest esse necessarium, iuxta *propositt. 11.* nec potest esse contingens, iuxta *propositt. 13.* ergo non potest non esse impossibile, seu necessariò est impossibile. Quod erat demonstrandum. Pariterque demonstrandum venit, omne obiectum contingens necessariò esse contingens, & omne necessarium necesariò esse necessarium.

## *Propositio 23.*

Possibile, necessarium, & impossibile, tum respectiuè ad *esse* existentiale, tum respectiuè ad *esse* quiditatiuum possunt talia esse. Contingens verò dumtaxat potest esse tale respectiuè ad *esse* existentiale. 132

Prior pars propositionis inde constat, quòd non solùm fieri potest, vt obiectum conceptibile sit potens, aut necessitatum, aut impotens ad existendum; sed etiam, vt sit potens, aut necessitatum, aut impotens ad essendum quiditatiuè id, quod esse concipitur. Quocirca licet obiectum conceptibile proprius, frequentiúsque dicatur possibile, aut impossibile, quatenus est potens, aut impotens ad existendum: potest tamen, atque etiam interdum solet tale dici, quatenus est potens, aut impotens ad essendum quiditatiuè, id, quod esse concipitur: necessarium verò æquè fermè frequenter dici videtur, quod est necessitatum ad essendum id, quod quiditatiuè est, atque quod est necessitatum ad existendum. Quo tandem fit, vt possibile, necessarium, & impossibile aliud quiditatiuum, & aliud existentiale veniat dicendum, prout iam in *superioribus* tactum, atque notatum est.

Posterior autem pars inde constat, quòd fieri 133
nullo pacto potest, vt aliquod obiectum conceptibile re vera sit potens ad essendum, vel non essendum quiditatiuè id, quod esse concipitur; benè tamen, vt re vera sit potens ad existendum, vel non existendum, vt est notissimum; eo quòd existentia ex prædicatis est defectibilibus: quiditas verò minimè. Ex quo patet, nullum contingens posse quiditatiuum esse; sed necessariò omne contingens existentiale esse debere.

## *Propositio 24.*

Quod semel est impossibile, aut contingens, aut 134
necessarium, in nullo euentu potest non esse tale.

Quia posset essentiam mutare, atque adeò alicubi esse sine sua essentia contra *propos. 8. statutam disput. 9. quæst. 5.* quandoquidem esse obiectum aliquod impossibile, aut contingens, aut necessarium, prædicatum eius est essentiale, quiditatiuum, & necessarium, iuxta *propositt. 22.*

## *Propositio 25.*

Possibili posito in esse, nullum sequitur impos- 135
sibile.

Hoc est axioma satis vulgatum, & certissimum, demonstrarique ex dictis potest. Quia si possibili posito in esse sequeretur aliquod impossibile, possibile non esset possibile contra suppositionem; siquidem id, ex cuius positione sequitur aliquod impossibile, eo ipso cum tali impossibili connexum est, atque adeò etiam impossibile, iuxta *propos. 2.*

Pro

## *Propositio 26.*

136 Impossibile est, vt omnia omnino entia sint contingentia.

Demonstro facilè: quia ex eo quod omnia omnino entia sint contingentia, necessario sequuntur duo contradictoria simul vera. Ergo impossibile est, vt omnia omnino entia sint contingentia. Consequentia est optima ex *propositione* 2. Probo antecedens: quia si omnia omnino entia essent contingentia, omnia, nullo dempto, possent deficere; eo quòd de conceptu omnis contingentis est posse deficere, iuxta definitionem eius; casu autem, quòd omnia, nullo dempto, deficerent, nullum sequeretur impossibile: nam possibili posito in esse, nullum sequitur impossibile, iuxta *propositionem* 25. Deinde non possent omnia, nullo dempto, citra impossibile sequutum deficere: quia casu, quòd omnia, nullo dempto, deficerent, omnia redderentur impossibilia, desinerentque proinde contingentia esse; quod est impossibile, iuxta *propositionem* 24. Ergo, &c. Cætera constant, solúmque restat demonstrandum, casu, quod nullum ens existeret omnia entia fore impossibilia. Id autem inde demonstratur: quia in eo casu nullum ens esset potens existere à se ipso, iuxta *propositionem* 22. & 26. *statutas disput. quæst.* 5. nec posset existere ab alio ente non existente, iuxta *propositionem* 3. *ibidem statutam.*

137 Ex hac propositione sequitur, aliquod ens eorum, quæ existunt, necessarium esse in existendo. An autem hinc demonstretur, dari aliquam causam primam habentem existentiam à se, non ab alia causa, *suo loco* videbimus.

## *Propositio 27.*

138 Ens existens à se nullatenus potest esse contingens; neque è conuerso ens contingens potest esse existens à se.

Quia ens existens à se necessariò, atque adeo per suam essentiam est potens existere à se, cùm actus sine potentia dari non possit ex *propositione* 3. *statuta disput.* 8. *quæst.* 4. si autem esset contingens, esset etiam potens non existere: cúmque dato casu, quòd non existeret, iam non esset potens existere à se, iuxta *propositionem* 22. & 26. *statutas disput.* 9. *quæst.* 5. si esset contingens, esset potens mutare essentiam; quod esse impossibile constat ex *propositione* 24. Est igitur impossibile, aliquod ens existens à se esse contingens, & consequenter aliquod ens contingens esse existens à se: quod erat demonstrandum.

139 Ex hac propositione constat, omne ens contingenter existens ab alio quopiam tanquam à causa habere suam existentiam.

## *Propositio 28.*

140 Omne ens contingenter existens, ab aliqua causa indifferente in operando, atque adeò libera suam existentiam habere proximè, vel remote necesse est.

Vt hanc propositionem demonstrem suppono primò ex *propos.* 21. *statuta disp.* 9. *q.* 5. Quidquid accipit existentiam ab alio per sui effectionem accipere illam ab illo, tanquàm à causa efficiente. Suppono secundò, causam efficientem effectum, sicque dantem illi existentiam necessario debere esse, aut primam à nulla alia efficiente habentem suam existentiam, sed à se ipsa per essentiam (per effectionem namque à se ipsa nequit habere, iuxta *propositionem* 22. *statutam ibidem*) aut non primam habentem suam existentiam ab alia causa efficiente, quæ similiter necessario debet esse aut prima, aut non prima: idemque dicendum venit de reliquis, donec vel sistatur in prima, vel admittatur progressio infinita causarum (siue ea finita in aliqua prima, siue infinita esse dicatur) à quibus suam accipit existentiam effectus proximè quidem ab immediata sibi; remotè verò à reliquis nulla detur potentia vel proxima, vel remota ad non producendum effectum necessario sequi, neque in effectu dari vllam potentiam ad non existendum: quia sublata omni potentia ad non producendum effectum, impossibilis est non productio effectus, iuxta *propositionem* 3. *statutam disput.* 8. *quæst.* 4. & consequenter necessaria effectus productio, iuxta *propositionem* 14. *huius quæstionis*; atque adeo & existentia eius, quam eius productio fert secum, vt est notissimum.

Ex his demonstro propositionem. Quoniam si 141
in tota serie causarum, vnde suam habet existentiam effectus, nulla causa libera esset producens cum indifferentia proximè, vel remotè effectum; nulla esset in illa potentia ad non producendum effectum; siquidem causa liberè cum indifferentia producens ea est, quæ potentiam habet ad non producendum; effectusque ipse subinde nullam potentiam haberet ad non existendum, iuxta *tertiam suppositionem*; atque ita contingens non esset. Cùm tamen ponatur esse contingens. Quod est contradictio. Omne ergò contingens ab aliqua causa libera proximè, vel remotè habere suam existentiam necesse est.

## *Propositio 29.*

Omnis effectus causæ liberæ quatenus liberæ ne- 142
cessario debet esse contingens.

Nam omnis effectus causæ liberæ quatenus liberæ necessario debet esse impedibilis quoad existentiam per causam liberam; atque adeo absolutè potens non existere; sicque contingens. Quod enim est impotens non existere, nullatenus quoad existentiam est impedibile, vt est notissimum.

## *Propositio 30.*

Quoties aliquod obiectum conceptibile possibile 143
est, aut impossibile, aut contingens, aut necessarium sub hypothesi alicuius conditionis in absolutè tale transit purificata conditione.

Quia omnis veritas conditionata purificata conditione transit in absolutam, iuxta *propositionem* 4. *statutam disput.* 10. *quæst.* 5. Possibilitas autem, tut impossibilitas, aut contingentia, aut necessitas conditionata, quædam veritas obiectiua conditionata est, vt constat. Et hæc sint modò satis pro præsente quæstione.

---

## QVÆSTIO VI.

### *Qua ratione possibile, impossibile, contingens, & necessarium sub nostrum intellectum cadant.*

HAnc quæstionem adiungo propter quasdam 144
difficultates, quas circa obiecta ista speciatim prout à nobis cognoscibilia pro statu præsenti exa-

minare

minare oportet, præter examinatas iam generatim in præcedentibus disputationibus, & examinandas in sequentibus.

145 Sit prima: vtrum de aliquibus obiectis propositis ex ipsis terminis, aut per discursum, independentem tamen ab omni fide, & experientia sit iudicabile à nobis cum euidentiâ, an possibilia sint, vel impossibilia; an contingentia, vel necessaria. Affirmatiuam partem tuentur indiscriminatim Recentiores quidam, dum agentes de demonstranda existentia Dei, multis se arbitrantur ostendere cum euidentiâ independenter omninò à fide, ab existentiaque creaturarum, vnum Deum esse possibilem, atque adeò etiam existentem; propositum scilicet, aut apprehensum sub conceptibus aut entis necessarij, aut entis independentis, aut summi boni, aut immunis ab omni imperfectione, aut aliter. Cæterùm, quàm sint Recentiores isti decepti putantes, sua argumenta euidentia esse, cùm planè sophistica sint, vbi de existentiâ Dei agam latè ostendendum mihi est.

146 Nunc circa præsentem difficultatem assero primò: independenter ab omni fide, & experientiâ, de nullo obiecto proposito posse nos scire cum euidentiâ, quod simpliciter, & absolutè possibile est: quia de nullo possumus scire cum euidentiâ, quòd ab omni contradictione vndequaque est immune, prout requiritur, vt absolutè, & simpliciter possibile sit. Etenim, cùm nullum omnino obiectum à nobis conceptibile sit, quod non habeat infinitas passiones metaphysicas tum proprias, tum communes, tum positiuas, tum negatiuas per discursum, & successiue, atque adeo sine fine à nobis scibiles, vt demonstrabitur *inferius disputatione 17. quæst. 18.* Compertum planè est nullum esse, cuius omnes passiones metaphysicas distinctè pro statu præsenti scire possimus. Igitur scire cum euidentiâ non possumus, num aliqua earum, quas ignoramus cuiusuis obiecti propositi, sit aut non sit connexio eius cum alio quopiam ipsi essentialiter opposito, & consequenter cum duobus contradictoriis, iuxta superiùs dicta. Quod ipsum est scire nos cum euidentiâ non posse, an illud sit, aut non sit possibile simpliciter. Ex quo etiam patet, de nullo obiecto proposito posse nos scire citra omnem experientiam, & fidem, an sit contingens, aut necessarium; quandoquidem omne contingens, & nececessarium euidenter debet esse possibile, vt ex dictis in *superioribus*, atque etiam ex se satis est notum.

147 Dices vnusquisque potest concipere obiectum habens sibi identificatam potentiam ad existendum, & consequetur potens existere, siue possibile. Ergo saltem de obiecto ita concepto poterit iudicare vnusquisque cum euidentiâ esse possibile: quia nihil potest esse euidentius, quàm obiectum possibile esse possibile. Concesso antecedente, distinguo consequens. Poterit vnusquisque iudicare cum euidentiâ de tali obiecto esse possibile ex præciso conceptu obiectiuo sub quo apparet possibile, concedo: esse possibile simpliciter, & vndequaque, nego: Ob id namquè in præcedente assertione tantùm loquutus sum de possibilitate reddente obiectum possibile simpliciter, & absolutè, qualem illud solùm obiectum habet, quod vndequaquè immune est à contradictione; adeo, vt si existeret absque vlla prorsus contradictione existeret; possibilitas autem illa, à quâ obiectum habet esse possibile ex eo præcisè, quod concipitur cum potentiâ existendi, non reddit obiectum immune vndequaquè à contradictione, atque adeo neque simpliciter, & absolutè possibile; vt patet in secundo Deo, qui cum potentiâ ad existendum concipitur, quandoquidem concipitur existens, & tamen aliunde impossibilis, & penitus chymericus est.

Secundò circa propositam difficultatem assero; 148
de multis obiectis posse nos independenter ab omni experientiâ, & fide cum euidentiâ iudicare esse simpliciter, & absolutè impossibilia; atque adeo talia, vt si existerent, simul cum contradictione existerent. Imprimis enim id possumus iudicare euidenter de quouis coniuncto duorum contradictoriorum, vt patet. Deinde de quouis obiecto connexo ex conceptu suo cum duobus contradictoriis, vt etiam patet. Præterea de quouis obiecto connexo ex conceptu suo cum alio quopiam sibi essentialiter opposito, vtpote de quo etiam est euidens sine duobus contradictoriis non posse existere, vt ex dictis in *superioribus* constat. Ex quibus apparet discrimen inter possibilitatem, impossibilitatemque simpliciter dictas: illa enim, vtpote quoddam bonum ex integrâ causâ constare debet; hæc verò, vtpote quoddam malum ex quocumque defectu constat. Atque ita, vt sciatur esse aliquid simpliciter possibile, non sufficit scire illud ex aliquo conceptu suo habere potentiam ad existendum, nisi insuper sciatur ex nullo alio capite habere illud sibi annexam contradictionem. Quod nos pro statu præsente aliter, quàm ab experientiâ, vel fide cum euidentiâ scire non possumus. Vt verò sciatur esse aliquid simpliciter impossibile, sat est scire illud ex quouis suo conceptu contradictionem sibi annexam habere, quod passim cum euidentiâ scimus, vt constat ex dictis.

Secunda difficultas est: an citra omnem experi- 149
entiam, & fidem probabiliter saltem iudicare possimus, esse possibile quoduis obiectum nobis propositum, quoties post attentam considerationem nullam in eo connexionem cum contradictione inuenimus. Respondeo posse; quia in tali casu connexio cum contradictione præsumenda non est, etsi fieri possit, vt sit re verâ, & nos lateat. Regulariter enim viros doctos attentè obiecta considerantes latere non solet, quod satis est, vt prudenter, atque adeò probabiliter iudicare possimus, dum nō se prodit, & apparet, re verâ non esse; præsertim, quando obiecta, de quibus agitur cum aliis, de quorum possibilitate iam constat, similitudinem aliquam, aut analogiam habent. Et hæc est communis praxis Philosophorum, & Theologorum passim possibile reputantes, quoduis obiectum ex eo præcisè, quod in illo nullam inueniunt implicationem contradictionis

Tertia difficultas est: quarumnam rerum possibili- 150
tatem cum euidentiâ possimus assequi, suppositâ, experientiâ, vel fide. Dico, earum imprimis, quarum absoluta existentia euidens nobis facta est, seu per experientiam, seu per fidem humanam, aut diuinam; cùm euidens sit, esse simpliciter possibile quidquid absolutè est existens. Deinde earum etiam cum quarum possibilitate euidenter sunt connexæ, quæ euidenter existunt, cùm sit etiam euidens, dari terminum connexionis, quandò dari connexionem euidens. Quod potest hic in dubium vocari est: an ex eo, quòd aliquod ens indiuiduum possibile sit, necessariò sequatur, quodlibet aliud excogitabile solo numero distinctum ab illo, atque adeò omninò ei simile, & æquale possibile esse; videtur enim sequi: quia si non esset possibile, esset omninò simile, & æquale illi, vt supponitur, & simul non esset, quod est chymericum: quia possibile & impossibile non videntur posse esse inter se omnino similia, & æqualia,

vel ex eo saltem, quod alterum potens ad existendum, & alterum impotens est.

151 Censeo dicendum nihilominus, obiectum impossibile ex suo intrinseco conceptu benè posse esse omninò simile, & æquale enti possibili, vt patet in secundo Deo impossibili solo numero distincto ab vnico vero Deo; eique proindè ex suo conceptu chymerico omnino simili, & æquali: atque ita ex hoc capite necessarium non esse, quòd sit possibile id, quod cuiuis enti possibili omninò est simile, & æquale ex suo intrinseco conceptu. Cuius doctrinæ ratio est: quia ex vnâ parte chymera impossibilis benè concipi potest, sæpéque de facto concipitur omninò similis, & æqualis enti possibili, non solùm in cæteris omnibus prædicatis vtrique intrinsecis, de quibus non est dubium; sed etiam in prædicato potentis existere vtrique pariter intrinseco: ex aliâ verò parte impossibilitas, quâ chymera ab ente possibili differt, prædicatum eius est semiextrinsecum, nihilque derogat proindè similitudini, & æqualitati prædictæ. Etenim omnis chymera ex eo impossibilis est, quòd alteri conceptui opponitur, sine quo aliàs nequit existere; vel quia ille est necessariò existens, vel quia chymera cum illo non solùm oppositionem, sed etiam connexionem habet, vt satis constat ex dictis in *præcedentibus quæstionibus*. Oppositio autem prædicatum est semiextrinsecum extremis oppositis, vt videbimus *disputat.* 14. vndè fit, vt impossibilitas chymeræ prædicatum etiam semiextrinsecum eius sit, atque adeo non obstans omnimodæ similitudini, æqualitatique, quam chymera quoad suum intrinsecum conceptum cum ente possibili habere potest etiam in prædicato potentis existere, ipsi enti possibili prorsus intrinseco. Vnde id in secundo Deo omninò simili, & æquali ex suo conceptu chymerico vnico vero Deo, & nihilominus inde impossibile: quia verus Deus indefectibilis illi oppositus est, atque adeò necessariò ferens secum contradictorium eius.

152 Quarta difficultas est: an, & quomodò sit vtilis in scientiis humanis ad veritates aliquas indaganda forma disputandi, & arguendi ex hypothesi impossibili satis frequens in illis. Nonnulli Recentiores existimant, nullo modo esse vtilem: quia ex hypothesi impossibili quodlibet sequitur ex extremis contradictionis, vt suprà iam notarum est *quæst. 5. propos. 5.* Ego verò cum communi censeo, vtilem esse, si debitus eius modus seruetur. Nam licet ex omni chymera impossibili quodlibet ex extremis contradictionis sequatur absolutè loquendo; eo quòd nulla est, quæ non sit connexa cum duobus extremis contradictionis, *vt quæst. 2.* & *5.* statutum est; verum quia connexio ista, vt plurimùm, aut non est adæquatè intrinseca conceptui chymerico; sed partim extrinsecè orlunda ab alio conceptu oppositi illi, à quo suam impossibilitatem participat, iuxta dicta *nuper*; aut non est immediata respectiuè ad vtrumque contradictorium, sed mediata respectu alterius, & consequenter semiextrinsecè etiam fundata in medio distincto à conceptu chymerico, efficitur, vt ex præciso conceptu chymerico posito in hypothesi non vtrumque contradictorium, sed alterum tantùm sequatur, tametsi ex illo, & ex alio quopiam adiuncto, sine quo nequit ille esse sequatur vtrumque. Quo fit, vt ex conceptu chymerico præcisè sumpto per locum intrinsecum, vt aiunt, non sequantur duo contradictoria, sed alterum tantùm, superstitque subindè locus ad disputandum, & arguendum ex hypothesi impossibili sine contradictione, atque adeo vtiliter, vt sæpè fit, ad perscrutandas metaphysicè naturas, & proprietates rerum.

Quæ doctrina ab omnibus hactenus praxi ipsa re- 153
cepta, & ab vno, aut altero Recentiore recens vocata in dubium, vt clariùs appareat, opponamus aliqua exempla. Vt probent Theologi distinctionem personalem Filij, & Spiritus S. nasci ex oppositione, quam habent producentis, & productis benè, & vtiliter sic arguunt ex hypothesi impossibili. Si Spiritus S. non procederet à Filio, non esset relatiue oppositus illi: Ergo nec distinctus ab illo; siquidem in diuinis non est distinctio, vbi non est relationis oppositio, vt fert vulgare axioma. Etenim licet defectus chymericus processionis Spiritus S. à Filio loquendo absolutè ferat secum vtrumque extremum contradictionis, nempè defectum distinctionis Spiritus S. à Filio, & distinctionem ipsam: quia defectus processionis absolutè nequit stare sine aliis prædicatis Spiritus S. cum processione connexis, vtpotè necessariò existentibus; & hæc sine processione stare non possunt; atque ita defectus processionis absolutè sine ipsâ processione stare non potest; & consequenter nec sine distinctione, quam fert secum processio. Ast defectus processionis præcisè solùm infert per locum intrinsecum defectum distinctionis, non item distinctionem ipsam. Quo etiam iure, loquendo vniuersè ex hypothesi impossibili defectus cuiusuis proprietatis essentiæ verè, & sine contradictione, atque adeo benè, & vtiliter adstruitur defectus alterius proprietatis necessariò supponentis illam: sicut ex hypothesi impossibili essentiæ quæuis proprietas eius. Sic si homo non esset admiratiuus, non esset risibilis; si cælum non esset corporeum, non esset impenetrabile; si Angelus esset homo, esset risibilis; si circulus esset triangulus, haberet tres angulos æquales duobus rectis, &c.

Similiter ad probandum, possibilitatem creaturarum sine existentia Dei constare non posse, sic benè, & vtiliter arguitur ex hypothesi impossibili: Si Deus non existeret, Deus non esset possibilis: quia neque ab alio, neque à se posset accipere existentiam; si autem Deus esset impossibilis, cætera cuncta essent impossibilia; ob eamdem rationem. Eodem pacto probatur benè, impossibilitatem chymerarum adæquatè distingui à Deo: quia ex hypothesi impossibili, quòd Deus deficeret, per locum intrinsecum sequitur, adhuc eas fore impossibiles. Et alia huiusmodi sexcenta per hypothesin impossibilem benè, & vtiliter comprobantur. 154

Ex quibus omnibus tandem colliges, tunc so- 155
lum argumentum ex hypothesi impossibili inutile esse ad aliquid sine contradictione inferendum, quando ex parte hypothesis implicatur contradictio in adiecto, vt aiunt, id est, quando conceptui, chymerico, ex quo præcisè sumpto vnum tantùm ex extremis contradictionis inferendum erat, adiicitur alius conceptus, ex quo venit inferendum extremum alterum, sicque fit, vt ex integrâ hypothesi per locum intrinsecum ex æquo inferatur vtrumque.

Recentiores quidam, in quos post hæc scri- 156
pta incidi, duo ad rem dicunt. Primum. Ex quâuis hypothesi impossibili non solùm duo aliqua contradictoria; sed quidlibet omninò sequi, quantumuis disparatum, aut impertinens videatur. Secundum: ex hypothesi impossibili, quâ tali nunquam propterea argui vtiliter; sed tantùm ex conceptu aliquo possibili incluso in chymerâ impossibili. Vnde dicunt in eâ celebri quæstione: An, si Spiritus Sanctus non procederet à Filio distingueretur ab illo, sumendum esse ex parte hypothesis hunc conceptum possibilem: *Persona diuina*

157 *uina non procedens à Filio, & procedens à Patre,* ad hoc, vt arguatur vtiliter.

Non placent quoad primum, sed vehementer potius displicent. Quia sicut ex entibus possibilibus non quodlibet est connexum cum quolibet, proindeque non ex quolibet infertur quodlibet, vt est certissimum (alioquin non posset Deus producere aliquam creaturam, quin produceret omnes, aut hunc mundum, quin omnes possibiles: imo Deus non posset existere sine creaturis, neque voluntas creata sine suis actibus: nullaque subinde esset libertas: aliaque innumera huiusmodi absurda sequerentur) ita ex entibus impossibilibus non quodlibet connectitur cum quolibet aut impossibili, aut possibili, aut existente. Quod sanè ex ipsis terminis est euidens. Quia sicut ex eo, quòd Petrus modò curreret, non sequitur necessariò, me loqui, aut me tacere, Papam dormire, aut Turcam conuerti; & cætera huiusmodi, vt est notissimum. Ita ex eo, quòd ignis modò actione chymericâ frigefacerer, aut alia quæuis huiuscemodi chymera existeret, non sequitur necessariò, aliquod ex prædictis, & multò minùs quodlibet aliud fore, vt non minùs est notum. Malè ergo
158 citati Recentiores asserunt, ex quâuis hypothesi impossibili quodlibet necessario sequi.

Sed arguunt pro se primò. Si existeret quæuis chymera impossibilis, existerent simul duo contradictoria, vt omnes fatentur; aliàs non esset impossibilis contra suppositionem. Ponatur ergo e. g. in tali hypothesi existere, & simul non existere lucem. Inde sic probant, Papam dormire. Vel lux existit, vel Papa dormit: At lux non existit: ergo Papa dormit. Argumentatio est legitima, vt constat ex logicâ. Maior, & minor in data hypothesi sunt veræ. Ergo ex datâ hypothesi necessariò sequitur consequens. Pariterque venit probandum, quodlibet aliud sequi; fallaciter tamen, vt aliàs in simili tetigi contra eosdem Recentiores. Respondeo, à negatione vnius ex extremis disiuncti veri ad positionem alterius solùm argui legitimè, quando per eam negationem simpliciter, & vndequaque excluditur tale extremum: negatio autem lucis in datâ hypothesi non excludit simpliciter, & vndequaque lucem, vtpote per ipsam hypothesin positam, compositamque cum sui negatione. Quare in data hypothesi argumentatio facta non est legitima. Nihilque subinde per illam probatur contra doctrinam statutam; Nec aliud docemur in logicâ, iuxta quam solùm est legitima dicta forma arguendi, quando minor syllogismi disiunctiui simpliciter, & vndequaque excludit alteram partem maioris: vti semper euenit,
159 quando, aut absolutè proceditur, aut ex hypothesi non impossibili.

Secundò arguunt ex hypothesi existentiæ secundi Dei impossibilis, atque adeo impotentis existere, in hunc mdum. Data existentia alicuius non potentis coëxistere carentiæ dormitionis Papæ, dormit Papa: At existit alius Deus, qui, cùm sit impotens existere, non potest coëxistere carentiæ dormitionis Papæ: Ergo Papa dormit. Pariterque probandum venit, Papam non dormire; & quidlibet aliud. Sed miror, homines ingeniosos huiusmodi argumenta facere seriò, & ex animo. Respondeò, ex hypothesi existentiæ secundi Dei nihil omninò sequi excluiuum carentiæ dormitionis Papæ, & consequenter cum ipsâ dormitione connexum, vt satis, superque, ni fallor, per se euidens est, atque adeo esto sequeretur aliquid simpliciter excludens coëxistentiam secundi Dei cum tali carentiâ, id certè eam sic non excluderet remouendo carentiam ipsam, sed remouendo dumtaxat ipsum secundum Deum, quo solo remoto, talis coëxistentia cessaret. Vnde remotio carentiæ dormitionis Papæ per positionem dormitionis neutiquam sequitur ex dicta hypothesi. Addo, ne Deum quidem ipsum secundum, aut quoad existentiam, aut quoad potentiam existendi excludi alicunde simpliciter in datâ hypothesi: quia licet, eâ datâ, secundus Deus non existeret, quia verus Deus illum excluderet, & non posset existere, quia id habet ex suo conceptu, aliundè, vt supponit hypothesis, existeret, & consequenter posset existere; atque ita in data hypothesi tum existentia secundi Dei, tum eius potentia ad existendum, tum ambarum negatio carentiæ dormitionis Papæ coëxisterent simul, si Papa non dormiret, dormitioni autem, si dormiret; impertinenterque proinde se habent ad hoc vt Papa dormiret, vel secus, coniuncta contradictoriorum, quæ in ea hypothesi darentur, 160

Iam verò secundum, quod ex citatis Recentioribus proposuimus, non magis placet. Tum quia, dum aiunt, solùm argui vtiliter ex hypothesi conceptus possibilis incluſi in inpossibili, ipsa sua explicatione reiiciunt vt inutilem modum arguendi ex hypothesi impossibili hactenus receptum ab omnibus. Tum quia non solùm ex hypothesi conceptus possibilis; sed etiam ex hypothesi conceptus impossibilis passim arguimus vtiliter, vt constat ex dictis. Tum quia ex conceptu possibili, quem assignat ad arguendum vtiliter in illa quæstione de distinctione Spiritus Sancti à Filio in casu non processionis ab ipso, inutiliter potius, & nugatoriè argueretur. Inutiliter quidem, quia ex hypothesi, quòd Persona diuina procedens à Patre, & non à Filio, non procedat à Filio, nihil infertur pro Spiritu sancto, de quo quæstio est, quia tantùm infertur, Personam diuinam procedentem à Patre, & non à Filio, quæ re ipsa, & absolutè est Filius ipse, non distingui à Filio. Nugatoriè autem, quia assumptio hac nugatoria est, vt satis ex se apparet, si Persona diuina procedens à Patre, & non à Filio, non procederet à Filio. Nostræ igitur explicationi datæ pro modo vtiliter arguendi ex impossibili hypothesi standum est.

## DISPVTATIO XII.

### *De entibus rationis.*

INTER obiecta intellectus humani entia 1
etiam rationis suum locum habent. Quocirca in præsenti disputatione de illis, quantum sat fuerit, agendum nobis est.

## QVÆSTIO I.

### *Quid sit ens rationis?*

OMissis variis conceptionibus entis rationis, 2
quas congerit Paulus Vallius in sua logica. a. c. *proleg. q. 2. c. 1.* de eo nobis ente rationis agendum in præsenti est, quod prout condistinctũ ab ente reali habenti esse in se, & ei qodammodò contrapositum; Sic definiuit Commentator *lib. 6. Metaph. comm. 3. Ens, quod solum habet esse obiectiuè in intellectu*; id

est, quod cum ab intellectu cognoscatur, re ipsâ non est, vti cognoscitur. Quam definitionem communi plausu receperunt Conimb. *in Præfat. Porph. q. 6. art. 1.* Soar. *disp. 54. Metaph. sec. 1.* Fonsec. *lib. 5. Metaph. cap. 7. q. 6.* Petrus Hurt. *disp. 9. Metaph. sec. 3.* Vall. *suprà q. 3. c. 1.* Smiglet. *disp. 1. log. q. 1.* Murcia *disp. 2. de vniuers. q. 1.* Ioan. a S. Th. *q. 2. log. art. 1.* & alij communiter tam antiquiores, quam recentiores. Estque de mente S. Th. *opusc. 41. cap. 1.* & *q. 21. de verit. art. 1.* & *1. p. q. 16. art. 3. ad 2.* & *1. 2. q. 8. art. 1. ad 3.* & sæpe *alibi*. Et colligitur ex Arist. *lib. 4. Metaph. cap. 2.* & *lib. 5. cap. 7.* & *lib. 6. cap. 6.* Vt illam declarem.

3 Suppono primò, quoduis obiectū hoc ipso, quod per cognitionē repræsentatur quodammodo trahi, & præsens reddi in mente cognoscentis. Quo fit, vt ibi dicatur esse obiectiuè, seu existere, non physicâ, reali, & propriè dictâ existētia; sed obiectiua, intentionali, & metaphoricâ. Quoties ergo id, quod obiectiuè est, existit ve in mente cognoscentis, re ipsâ, & physicè in se non est, vti cognoscitur, ab ea existentiâ mētali, & metaphoricâ vocatur ens rationis: neque aliundè per cognitionem trahi, sed per cognitionem ipsam ibi fieri dicitur. Itaque ens rationis, & ens reale in eo conueniunt, quod vtrumque per cognitionem repræsentatur; subindèque intentionaliter, siue obiectiuè in mente cognoscentis dicitur esse, seu existere: differunt tamen, quod ens reale præterquàm quod ita habet esse in mente cognoscentis, insuper habet esse re ipsâ in se, ens verò rationis non item. Et ideò ens reale etsi in ratione sit, nō dicitur ens rationis: quia cū in se re ipsâ habeat verum, & ratū *esse* neq; illius esse, quod in mente habet, habetur ratio, neq; per cognitionem dicitur fieri; sed quasi trahi aliūde. Vnde in mēte cognoscentis non tam existentiam, quàm præsentiam intentionalem censetur acquirere, à qua potius, quàm à nouâ existentiâ ibi acquisita dicitur ibi intentionaliter, siue obiectiuè existere, cùm tamen ens rationis non solam præsentiam; sed existentiam etiam intentionalem ibi censeatur comparare, ob idque ibidem per sui cognitionem dicatur fieri.

4 Suppono Secundò. Quæcumque res à nobis cognoscitur per species alienas non in se; sed in phantasmate substituto cognosci, talemque proinde apparere eam nobis, & tale *esse* in mente nostra obiectiuè habere, quale phantasma ipsum, prout latè explicatum est, & ostensum *suprà disp. 2. q. 4. Esse* autem rei, quod medio phantasmate, vt substituto intenditur ab intellectu cognosci per species alienas, per proprias autem immediatè in se ipso, aut existentiale potest esse, aut quiditatiuum, iuxta dicta *disp. 10.*

5 Hinc duplex distingui debet genus entis rationis habentis *esse* obiectiuè tantùm in intellectu, vt *disp. 2. q. 3. cit. conclus. 7.* statuimus. Aliud enim est ens rationis fictum; aliud supposititicium. Fictum est, quod cum in se non habeat *esse* aut existentiale, aut quiditatiuum, in mente obiectiuè illud habet, quatenus concipitur existere, cùm non existat; aut esse quidpiam, cùm id non sit. Suppositicium autem est, quod in mente obiectiuè aliud *esse* habet ab eo, quod habet in se, quatenus *esse* aut existentiale, aut quiditatium, quod res cognoscenda verè in se habet, non in se, sed in alieno substituto concipitur, atque ita aliter, quàm in se est, siue aliud ab eo, quod est in se cognoscenti apparet. Pro exemplo prioris sint existentia apprehensa rei non existentis, & possibilitas apprehensa rei non possibilis, & quoduis aliud apprehensum, quod re vera nō est. Pro exemplo verò posterioris sint cōceptus obiectiuus Angeli apprehensi instar iuuenis; cōceptus obiectiuus veræ identitatis, aut veræ distinctionis apprehensæ, vt quidā actus respectiuus inter extrema, aut identificata, aut distincta, & vniuersim cōceptus obiectiuus cuiuslibet rei nō in se, sed in alieno substituto conceptæ, qualiter cuncta concipiuntur, quæ non per proprias, sed per alienas species concipiuntur, iuxta dicta *loco citato*.

Igitur licet definitio præfata de solo ente rationis 6
ficto videatur à suis Auctoribus hactenus intellecta, aptiusque, vt sonat, de illo veniat intelligenda: quia illud propriissimè est, quod tantùm habet *esse* obiectiuè in intellectu. Cæterùm nō ineptè etiā aptari potest enti rationis suppositicio; hoc enim etiam suo modo tantùm habet *esse* obiectiuè in intellectu, quatenùs conceptus obiectiuus, sub quo in alieno substituto res cognoscēda nobis apparet, solùm est in mente nostra obiectiuè, nō verò à parte rei: quia solùm in mēte nostra obiectiuè exercet res cognoscēda per substitutū, & nō per se munus obiecti, similiterq; munus substituti obiectiui phantasma subrogatum pro illa. Ex quibus apparet, quo pacto definitio data entis rationis veniat intelligēda; & quid ens rationis fictū, quidque supposititicium sit; & quomodò vtrumque iure optimo per intellectum ab intellectuve fieri dicatur, quatenus *esse* obiectiuum, quod dicitur in intellectu habere, beneficio solius intellectionis illud concipientis habet, non verò alterius causæ.

Quæ cùm ita sint, colligitur primò, ex vi præcisè 7
cognoscendi per species alienas nullatenus nos facere entia rationis ficta; facere tamen semper suppositicia. Quod contra quosdam Recentiores iam est probatum à nobis *suprà disp. 2. q. 3. conclus. 7.* Videatur.

Secundò colligitur, semper facere intellectum 8
nostrum ens rationis suppositicium, quoties per species alienas, atque adeò in substituto alieno cognoscit. Facit autem simul per eamdem cognitionem ens rationis fictum, quando obiectum in substituto alieno cognitum fictitium, siue falsum est; secùs quandò illud est quid verum, vt constat ex dictis.

Tertiò colligitur, re verâ dari entia rationis tum 9
suppositicia, tum ficta, quidquid refragētur Durandus, Vallerius, & alij apud Soar *suprà*: quia re verâ datur in mente nostrâ obiectiuè tum ille conceptus, in quo ens rationis suppositicium consistere diximus; tùm aliquod aliud *esse* cognitum, quod non datur à parte rei; in quo ens rationis fictum consistit. Nihil enim aliud volūt Doctores, cùm asserunt, dari re verâ entia rationis; quàm re verâ cognosci huiusmodi obiecta, subindèque in mente cognoscentis aliquod *esse* habere obiectiuum, quod re ipsâ non habent in se. Neque inutile est, eiusmodi entia rationis abstrahere, & de eis disputare, quidquid nō nemo contrà dixerit. Tum quia inutile non est disputare de quibusuis obiectis scibilibus; qualia sunt ista entia. Tum quia cùm illa aut semper, aut sæpe misceantur in conceptione nostra cum veris, & realibus entibus, dum hæc concipere, atque cognoscere satagimus; quia id fert noster intelligendi modus pro statu præsenti; perutile est habere illa probe perspecta, vt verum à falso, & ratum ab apparente discernere valeamus. Quæ autem contra hæc obiici possunt, leuiora sunt, quam, vt in eis proponendis, & diluendis debeamus immorari.

Quartò colligitur, ens rationis aliam causam ef- 10
fectiuā sui non habere præter cognitionē quā cognoscitur: quia *esse*, quod habet, cū purè obiectiuū sit,

inten

intentionale, seu metaphoricum, aliâ causâ effectiuâ non eget. Per cognitionem autem eatenùs dicitur fieri, quatenùs dum per illam repræsentatur, ab illâ censetur accipere *esse* obiectiuum, seu intentionale, quod habet. Vtrum autẽ per omnes cognitiones, quibus cognoscitur, vel per solam primam, quâ concipitur censendum sit fieri, ex dicendis constabit. 12

Quintò colligitur contra Smigle. *suprà citatum*, & alios pleroque Recentiores: vt aliquid dicatur, & verè sit ens rationis fictitium, opus non esse, quòd illud sit à parte rei impossibile; sed sufficere, quòd non detur à parte rei illud *esse*, quòd obiectiuè in mente est, quòdcumque demum illud sit, aut existentiale, aut quiditatiuum. Sic enim fiet, vt tale *esse* obiectiuè tantùm sit in mente cognoscentis, atque adeò ens rationis fictum, iuxta definitionem traditam; quæ hoc sensu omninò accipienda est. Sic cùm cõcipimus existẽs, quod purè possibile, atque adeò non existens est, existentiam quamdam fictitiam appingimus illi, quæ proinde existentia rationis, seu ens rationis dicenda est. Quin imò chymeræ impossibiles quoad existentiam tantùm, aut etiam quoad possibilitatẽ sunt entia rationis, quandò cum eâ existentiâ, aut possibilitate concipiuntur, quam verè non habent; non item quoad alia prædicata quiditatiua, quæ verè habent, iuxta dicta *disp.* 11. *q.* 2. quoad hæc enim non ficta obiecta; sed vera sunt. Vniuersaliter enim ens rationis fictum, siue fictitium idem est atque obiectum falsum, id est, iudicabile falsò ab intellectu, qui falli potest. Falsum enim obiectum est, quod cùm re ipsâ non habeat *esse*, cognoscitur tamen, siue concipitur ab intellectu, atque ita tantùm habet *esse* obiectiuè in intellectu, prout fert definitio entis rationis. Vnde nullum obiectum verum quatenus verum potest esse ens rationis fictum: quia omne obiectum verum, qua tale, non tantùm in intellectu obiectiuè, 13 sed etiam in se re ipsa habet *esse*.

Hinc sequitur primò; tunc solùm fieri à nobis ens rationis fictum, quando concipimus vt conuenientem subiecto actum, qui verè illi nõ conuenit, aut vt non conuenientem, qui cõuenit; siue sit actus existentiæ, siue potentiæ ad existendum, seu possibilitatis, siue potentiæ ad aliud quidpiam, siue identitatis, siue connexionis; siue oppositionis, siue vnionis, siue similitudinis, siue æqualitatis cum alio quopiam &c. Tales enim actus ab intellectu concepti fictitij sunt respectiuè ad talia subiecta, quorum sunt prædicata; atque adeò entia rationis ficta, cùm verè illis non conueniunt; cùm verò conueniunt, fictitiæ sunt negationes eorum. Secundò sequitur; bene posse concipi à nobis chymeram impossibilem, quin faciamus ens rationis fictum. Si enim præscindendo ab omnibus actibus, seu prædicatis, quæ verè illi non conueniunt, vt sunt existentia, potentia ad existendum, & alia huiusmodi, concipiamus illam cum solis actibus, aut prædicatis, quæ verè illi cõueniunt ex suo conceptu obiectiuo, vt esse conceptibilem, esse impossibilem, esse identificatam secum, esse distinctam ab alio quopiam, esse connexam cum contradictione &c. nihil in eâ concipiemus, quod non sit verum, nullumque subindè ens rationis fictum faciemus, vt constat ex dictis. Quomodò autem primò concipientes chymeram per propriam speciem existentiam saltem rationis, à quâ præscindere non possunt, facere debeant, ex posteà dicendis constabit. 14

Sextò colligitur ex dictis, in ente rationis fictitio duplicem existentiam, duplicemque possibilitatem spectari posse: aliam physicam, & propriam, non tamen veram, sed fictam: aliam veram, non tamen physicam, & propriam, sed intentionalem, & metaphoricam, Physica & ficta existentia, aut possibilitas entis rationis est, quæ per intellectum concipitur; quando apprehenditur existens, quod verè non existit; aut possibile, quod verè nõ est possibile. Vera tamen, intentionalisque existentia eiusdem entis rationis est, quam ipsum figmentũ per cognitionem, quâ cõcipitur, acquirit in mente cognoscentis, dùm in eâ metaphoricè existere dicitur, iuxta doctrinam datam. Possibilitas autem etiam intentionalis, & metaphorica tali existentiæ correspondens vera non repugnantia est, siue potentia, vt tale figmentum cognoscatur, sicque per cognitionem fiat, accipiatve existentiam ipsam in mente cognoscentis. 14

Hinc sequitur primò; consentaneè ad acceptiones entis realis traditas *disp.* 9. *q.* 1. ens rationis bifariam accipi posse. Primò pro existente, vel pro potente existere, aut etiam pro essente quidpiam, vel pro potente esse quidpiam à parte rei, fictitiè tamen, quia tale concipitur, cùm re ipsa tale non sit. Secundò: pro existente, vel pro potente existere intentionaliter, seu obiectiuè; verè tamen, quia verè est existens, aut potens existere intentionaliter in mente illud concipientis. Et ens quidem rationis primo modo sumptum vniuocè conuenire potest cum ente reali, tum in conceptu entis, tum in aliis: quia benè possunt obiecta fictitia ex propriis conceptibus exactè similia esse obiectis realibus, iuxta dicta *disp.* 11. *q.* 6. Qua nihil desideratur, vt in eumdem conceptum vtrisque communem coire possint, iuxta dicenda *disp.* 17. At ens rationis sumptum secundo modo, neutiquàm conuenire potest vniuocè cum ente reali in conceptu entis: quia existens, aut potens existere intentionaliter, quale illud est, & existens, aut potens existere realiter, quale est hoc, nequaquam habent inter se similitudinem exactam, qualis ad vniuocationem requiritur; sed quamdam tantùm analogiam, quæ ad illam non sufficit, iuxta dicenda etiam *disp.* 17. 15

Secnndò sequitur: falsam esse singularem cogitationem cuiusdam ingeniosi Recentioris, asserentis, tunc solum ab intellectu fieri ens rationis, quando concipitur chymera impossibilis, vt actu existens: quia tunc solùm tribuitur illi existentia; non item quando concipitur præcisè, vt possibilis: facere autem quidpiam in vniuersum aliud non est, quàm tribuere illi existentiam. Falsa, inquam est hæc cogitatio: quia existentia, quam ens rationis censetur accipere, dum fit, non est existentia ficta, quam habere concipitur, quando, vt existens apprehenditur, cùm tale non sit; sed intentionalis, quàm verè habet in mente illud concipientis, eò ipso, quòd per cognitionem fingentem illud apprehenditur, iuxta superiùs dicta. Hanc autem intentionalem existentiam semper habet chymera, siue, vt existens, siue, vt purè possibilis concipiatur, vt est notissimum. Et sanè si prædicta cogitatio esset vera, imprimis contra ipsum Auctorem, & penè omnes, sequeretur, non dari, seu non existere entia rationis; atque adeò nec fieri: quia, quod ficta, atque adeò falsa existentia existit, verè non existit, nec datur; atque adeò nec fit, vt constat. Deindè sequeretur, concipientem chymeram esse possibilem, aut hominem esse equum, aut alia huiusmodi figmenta cũ præcisione ab existentia nec facere, nec concipere entia rationis. Quod inauditum hactenus fuit, & contra definitionem entis rationis receptã ab omnibus; siquidẽ eiusmodi figmẽta

tantùm habent *esse* obiectiuè in intellectu ea concipientis: alioquin non essent figmenta falsa; sed obiecta vera. Falsa igitur aperte est cogitatio prædicta.

16 Vnde sequitur tertiò. Etsi possibilitas entis realis à nulla causa fiat, possibilitatem tamen fictam entis rationis ab intellectu fieri; fit autem, dum existentia donatur non ficta; sed intentionali. Vnde possibilitas entis rationis, quæ à nulla etiam causa fit, & possibilitati entis realis proportione respondet, non est possibilitas ficta, qua concipitur possibile, quod est impossibile; sed possibilitas intentionalis, qua verè est possibile, existere illud intentionaliter media sui conceptione in mente illud concipientis.

17 Septimò colligitur ex dictis: non solùm dari entia rationis ficta positiua; sed etiam non entia, siue negationes rationis: quia non solùm solemus fingere esse, quod verè non est; sed etiam non esse, quod verè est. Non entia autem, siue negationes rationis fictæ bifariam possunt à nobis concipi, perinde ac veræ, nempe aut negatiue per actum remouentem ens, quod negant; aut positiuè per actum ipsas adstruentem, iuxta doctrinam vniuersalem negationum traditam *disp. 2. quæst. 3.*

18 Octauò colligitur: entia rationis suppositicia à solo intellectu cognoscente per species alienas, atque adeo in alieno substituto effici posse, vt constat ex eorum structurâ suprà explicatâ; imò sumpta formaliter à solo etiam intellectu cognoscente per species alienas possunt cognosci, vt explicabimus *inferius q. 5.* Entia verò rationis fictitia etiam ab intellectu cognoscente per proprias species effici possunt, non tamen omnia: quia quædam eorum per species alienas dumtaxat concipi possunt, atque adeo fingi, vt constat ex doctrina statuta *disp. 11. quæst. 2. prop. 3.* Talia autem sunt identitas ficta extremorum re ipsa distinctorum, & distinctio ficta extremorum, quæ re ipsa sunt vnum, & idem, & cætera, quæ hæc quoquo modo inuoluunt in conceptu suo. Recognoscantur dicta ibi. Porrò quæcumque de suo veram essentiam, seu quiditatem habent, in seque ipsis proinde citra omne alienum substitutum conceptibilia sunt, siue ea sint possibilia, siue impossibilia quoad existentiam saltem, atque etiam quoad non existentiam confingi possunt, sæpissimèque confinguntur de facto à cognoscentibus per species proprias: quia apprehenduntur existentia, cùm verè non existant; aut non existentia, cùm existant, atque ita entia rationis existentialia, aut non entia rationis existentialia fiunt, idque etiam à Deo, prout ex dicendis *quæst. 5. citata* constabit amplius.

19 Nonò colligitur: ens rationis fictum tunc primùm fieri, cùm primùm concipitur esse, quod verè non est. Vndè, quandò idem figmentum pluribus cognitionibus tangitur quoad *esse* fictitium præcisè, per eam solùm cognitionem censendum est fieri ens rationis, quæ cæteris prior est aut tempore, aut natura, reliquæ enim, quæ superueniunt, iam factum reperiunt, neque illi nouam existentiam, sed nouam solùm præsentiam intentionalem præbent, perindè, ac si esset ens reale, quod non existentiam, sed præsentiam intentionalem accipit per sui cognitionem in mente cognoscentis, vt ex dictis constat. Dixi: *quoad esse fictitium præcisè.* Quia quandò cognoscitur ens rationis quoad *esse* intentionale, & metaphoricum siue actuale, siue possibile ab alia cognitione actuali, vel possibili oriundum: tunc multò certius est per cognitionem quasi reflexam, qua, vt sic cognoscitur, ipsum ens rationis non fieri: tum quia illud per talem cognitionem secundariò cognoscitur: tum maximè, quia cognoscitur, vt habens iam verum *esse* aut actuale, aut possibile, non physicum; sed intentionale, & metaphoricum, quale, aut actu, aut possibiliter accipit à prima cognitione. Id autem, quod alias verè habet illud *esse*, quod menti per cognitionem obiicitur, præsentiam dumtaxat nouam intentionalem; non verò existentiam accipit in ipsa mente, atque adeo per rationem nullatenus fit. Quod autem dicimus de ente rationis fictitio, sua proportione seruata, dici etiam potest de ente rationis suppositicio, vt consideranti patebit.

Decimo colligitur: ens rationis fictitium per simplicem intellectus apprehensionem effici posse. Est contra Petr. Hurt. *disp. 19. Metaph. §. 82.* opinantem per solum iudicium posse effici. Sed male: quia per simplicem apprehensionem potest concipi esse id, quod non est re ipsa, vt est notissimum: ergo per simplicem apprehensionem potest illud habere *esse* tantùm obiectiuè in intellectu, quo nihil desideratur, vt sit ens rationis per simplicem apprehensionem factum, iuxta receptam entis rationis, & effectionis eius definitionem. Dices cum Hurt: solum iudicium ex capax falsitatis, atque adeo fictionis. Ergo per solum iudicium potest fingi, atque adeo fieri ens rationis. Respondeo, concedendo, solum iudicium esse capax falsitatis, atque adeo fictionis strictè sumptæ, vt idem sonet, atque falsitas: fictionis verò latius acceptæ pro formatione, seu effectione figmenti obiectiui, nego esse solum iudicium capax: quia etiam est capax apprehensio simplex, hoc ipso, quòd repræsentare valet, atque adeo suo modo fingere, quod re ipsa non est. Adde, entis etiam rationis suppositicii esse factiuam apprehensionem simplicem habitam per speciem alienam, vtpotè, quæ conceptiua eo ipso est in substituto alieno obiecti cuius est apprehensio, iuxta doctrinam stabilitam *disp. 2. quæst. 3.* 20

Vndecimò coll. gitur: per solam apprehensionem simplicem effici ab intellectu nostro entia rationis, tum ficta, tum suppositicia; per iudicium verò, aut per discursum non item. Ita docti Recètiores contra contra pleroscque apud Rub. *Tract. de ente rationis*, censentes, per quamlibet operationè nostri intellectus posse illa fieri. Probatur autem: quia quoties idé ens rationis per plures cognitiones cognoscitur, per eam solam censendum est fieri, quæ cæteris prior est, aut tempore, aut naturâ, iuxta dicta nuper *n. 19.* sed quidquid ab intellectu nostro cognoscitur per iudicium, aut per discursum prius saltem natura, est illi propositum per simplicem apprehensionem, atque adeo per illam cognitum, vt *suprà disp. 2. q. 4.* probatum est: ergo quandò illud est ens rationis per huiusmodi apprehensionem simplicè necessario præeuntem; non verò per aliquam aliarum subsequentium operationum dicendum est fieri. Aduerto tamen, solum esse hic sermonem de entibus rationis positiuè conceptis, quæ solum proprie dicuntur entia rationis. De conceptis enim negatiuè, quæ potius non entia, quàm entia rationis dicenda veniunt, qualia dantur, quoties fingimus, non esse, quod re ipsa est, aliter est censendum, nempe ea, qua ratione dici possunt fieri, sæpius per iudicium, quàm per simplicem apprehensionem fieri, dumtaxat enim fieri possunt per cognitionem negatiuam: & prima cognitio negatiua, sub quam cadunt, iudicium, vt in plurimùm est, non apprehensio præuia ad iudicium, quæ solùm videtur posse negatiua esse, quandò est constitutiua hypothesis, iudicioque conditionato de conditione negatiua subseruit. 21

Reco

Recognoscantur dicta de natura iudicij negatiui *supra disp. 2. q. 4. citata.*

22 Duodecimo colligitur: quomodo sit resoluenda ea quæstio. An aliæ potentiæ ab intellectu faciant entia rationis. Circa quam Soar. *disp. 54. Metaph. sect. 2.* docet, neque sensus, neque voluntatem entia rationis facere posse, excepta imaginatione humana, quæ, inquit, ea, quam habet, vi componendi species simplices, quas accepit à sensibus, figmenta quædam tum possibilia, tum etiam impossibilia, formare potest. Consentit Rub. *tract. de ente rationis.* At Petr. Hurt. *disput. 19. Metaph. §. 84.* Semiglet. *disp. 1. log. quæst. 6.* Ouied. *controuers. 12. Metaph. punct. 6.* & alij Recentiores opinantur absolutè, per nullam aliam potentiam, præter intellectum effici posse entia rationis. Arriag. verò ex aduerso *disp. 6. Metaph. sect. 3.* tum sensibus tam externis, quam internis tum etiam voluntati tribuit virtutem effectiuam entis rationis. Ego assero primò: ens rationis à nulla potentia appetitiua fieri posse immediatè: tum quia nulla potentia appetitiua trahit ad se, sibique præsens reddit obiectum, prout opus erat, vt in illa existentiam intentionalem acquireret sibi ens rationis, iuxta superiùs dicta; cùm potiùs ex suo modo tendendi in obiectum feratur: tum quia omnis potentia appetitiua, dum fertur in aliquod ens rationis necessariò supponit illud iam factum per actum potentiæ cognoscitiuæ prævium, quo tale ens rationis ipsi proponitur; atque ita illud facere nequit, iuxta doctrinam datam *nuper numer. 29.* Dico autem *immediatè*: quia mediatè mouendo intellectum ad cognoscendum bene potest voluntas nostra concurrere ad effectionem eius rationis, iuxta doctrinam statutam *supra disp. 7.*

23 Secundò assero, per nullum sensum fieri posse entia rationis suppositicia: quia nullus sensus, vt est certissimum, cognoscit per species alienas, & in substitutis alienis, prout ad facienda talia entia rationis necessarium erat, iuxta dicta.

24 Tertiò assero, per sensum internum passim à nobis fieri entia rationis ficta quoad existentiam: passim enim imaginamur tum in somnis, tum in vigilia varia figmenta existentia, quæ aut non existunt, aut nunquam extiterunt, vt nemo est, qui non experiatur. Bruta etiam animalia suâ imaginatione similia entia rationis facere, dubitandum non est, cùm sæpè in suis apprehensionibus fallantur, vt etiam constat experientiâ. Nec refert, sensum internum nullas aliàs habere species præterquam accidentium sensibilium, vt verè nullas alias habet: Tum quia per eas in memoria asseruatas potest concipere vt existens, quod iam non existit: Tum maximè, quia vi, qua pollet, eas quodammodo miscendi in ordine ad imaginandum, monstrosa quædam phantasmata passim confingit, quæ neque extiterunt vnquam, neque vnquam existent, vti experimur. Quomodo autem fiat huiusmodi mixtio, æque fictio, potissimum circa sensibilia communia, quæ ad vnam tandem præsentiam localem reuocantur, ex dictis à nobis *supra disp. 1. q. 2.* cuique compertum fiet. Recognoscantur.

25 Quartò assero contra Soar. & Arriag. *vbi supra*, per sensum internum nullum figmentum impossibile confingi posse: quia sensus internus nullius figmenti impossibilis habet speciem propriam; cùm solùm habeat species proprias accidentium sensibilium per sensus externos; per speciem autem alienam nihil valet concipere subrogando vnum obiectum pro alio, vti concipit intellectus. Et quamuis sensibilia propria, quorum tantum proprias species habet sub sensibilibus communibus, hoc est sub præsentiis localibus, quæ nunquam habuerunt possit concipere fingendo eiusmodi præsentias, illæ tamen non impossibiles, sed possibiles sunt dumtaxatque subinde finguntur quoad existentiam. Quæ omnia ex dictis *loc. cit.* vnicuique illa recolenti constabunt.

Quintò denique assero: per sensus etiam externos, præsertim per visum confingi quoad existentiam entia rationis; inde enim nascitur, vt fallantur; vti quando obiectum videtur in loco, vbi non est; quod est concipere præsentiam obiecti verè non existentem. Quomodo autem eueniant fallaciæ huiusmodi, & quomodo species proprij sensibilis à sensitorio, cui est impressa determinetur ad producendam sensationem sensibilis communis tum existentis, tum etiam sæpè non existentis, atque adeò ficti *loc. cit.* etiam est explicatum, vbi videndum. Ex quibus contra Arriag. constat, per sensum externum nullum figmentum impossibile confingi posse. Porrò quæcunque figmenta quoad existentiam confinguntur per sensus internum, & externos: impropriè dicuntur entia rationis; cùm non habeant suum esse fictum à ratione, seu intellectu; sed in hoc hærendum non est, cùm sit quæstio de nomine. 26

## QVÆSTIO II.

### *Vtrum ens rationis in complexo obiectiuo partium inter se pugnantium consistat, quarum singulæ, nulla dempta, veræ, & reales sint.*

AFfirmat Herice *1. part. tract. 1. disp. 8. cap. 1.* dicens: ens rationis nihil est aliud, quàm totum quoddam inexistibile, vt obiicitur menti, licèt aliàs constet ex partibus realibus. Vnde essentialiter constat tum ex re repræsentata, tum ex ipsa repræsentatione extrinseca rebus in esse rei; essentialis verò quatenus est ipsa coniunctio, seu applicatio entis realis alteri, cui repugnat coniungi, & applicari; ita ille, quem non pauci Recentiores sequuti sunt. Recidit autem sententia hæc in impugnatam à nobis *supra disp. 11. q. 2.* Recentiorum dicentium, ex parte obiectorum nihil omninò cognoscibile esse ab omni ente possibili condistinctum, atque ita impossibilitatem impossibilium in eo consistere, quòd ipsa obiecta possibilia cognoscibilia sint per cognitionem necessariò falsam, id est, intentionaliter coniungentem terminos repugnantes, aut diuidentem necessariò cohærentes. Supponere enim videtur sententia hæc, sola obiecta quoquo modo impossibilia esse entia rationis. Est autem sermo in hac quæstione de ente rationis fictitio, non de suppositio, de quo ne meminerunt quidem, qui illam tractarunt. 27

### *Propositio 1.*

Impossibile est, ens rationis inexistibile ex pluribus merè realibus confingi ab intellectu media cognitione applicante, siue coniungente illa, vt dicebat Herice. 28

Ita sentiunt omnes reliqui Doctores præter ipsum Herice, & Recentiores eum sequutos. Probatur autem primò: quia impossibile est, essentiam

compositam habere *esse* realiter, quin omnes partes eius tale *esse* habeant, & vice versa, habere omnes partes, quin habeat essentia, vt constat ex *prop.* 9. demonstratâ *suprà disp.* 9. *quæst.* 5. Ergo si omnes partes obiecti, & cognitio illas atringens (cuiuslibet demum naturæ ea esse dicatur) *esse* habent realiter, vti supponitur, impossibile est, vt essentia composita ex toto obiecto, & ex cognitione realiter non habeat *esse*, aut aliquid non habens *esse* realiter includat in se: alioquin non omnes partes eius haberent *esse* realiter, vti supponitur. Repugnat ergo ens rationis realiter non habens *esse*, nedum inexistibile ex partibus merè realibus, realitérque subinde habentibus *esse* aut existentiale, aut possibile compactum mediâ sui cognitione.

29 Dices: in *esse* rei tam cognitionem, quàm omnes partes obiecti cogniti reales esse: at partes obiecti in *esse* obiecti complexum quoddam fictitium, inexistibileque componere, hoc ipso, quod per cognitionem cognoscuntur eas intentionaliter coniungentem, cum sint inter se realiter inconiungibiles. Contrà tamen sic arguo. Aut partes obiecti in *esse* obiecti cõponere complexum fictitium, & inexistibile dicit in suo cõceptu præter omnes partes reales obiecti, & cognitionem aliquid aliud, aut nihil? Si aliquid aliud, illud erit quoddam figmentum inexistibile obiectiuum aliis obiecti partibus annumerandum, contra suppositionem, vt constat. Si nihil: Ergo ens rationis fictitium, & inexistibile ex partibus obiecti, mediâ cognitione compositum, ipsissima est essentia composita ex partibus ipsis obiecti, & ex cognitione. Quam tamen realem; atque adeò existibilem esse demonstratum est. Et quidem si *esse* reale, quod omnes partes obiecti, & earum coniunctiua cognitio habet, existentiale sit, vt in sententia Aduersariorum fatendum est esse, quoties per cognitionem fingentem coniungimus extrema existentia hoc pacto: *Angelus est homo. Deus est albus. Frigus calefacit*, &c. Quis non euidentissimè videt, ex talibus obiecti partibus, ex talique cognitione complexum inexistibile resultare non posse? Esset enim inexistibile totum, cuius omnes partes, à quarum aggregato non differt existentes sunt actu. Quod quàm euidenter repugnet, omnibus palam est.

30 Secundò probatur propositio. Quoniam vel ex parte obiecti datur aliquid habens *esse* obiectiuè in cognitione, & non habens esse in se realiter; vel nihil tale datur. Si nihil tale datur (vt Aduersarij censent, dum asserunt, omnes, & singulas obiecti partes in se realiter habere *esse*: earum autem coniunctionem non dari ex parte obiecti; sed merè esse intentionalem ex parte cognitionis à cognitione ipsa indistinctam:) Ergo non datur ens rationis per cognitionem factum; vtpote, quod iuxta definitionem habens *esse* in cognitione obiectiuè debet realiter in se non habere *esse*. Si verò aliquid tale datur ex parte obiecti. Ergo iam non omnia, quæ includit obiectum sunt entia realia habentia realiter in se idem *esse*, quod obiectiuè habent in cognitione, vt Aduersarij affirmant. Dicent, omnia distributiuè sumpta esse entia realia, coniunctum autem eorum indiuisim sumptum esse ens rationis. Sed contra est: quod redit argumentum præcedens, quo manifestè demonstratur repugnare vt omnes, & singulæ partes essentiæ compositæ, nullâ demptâ, habeant *esse* realiter, & illud non habeat essentia ipsa.

31 Tertiò probatur propositio: quia licèt oppositi sententia in entibus rationis compositis posset videa ri verosimilis, in simplicibus nullomodo potest habere locum: quandoquidem obiecta prorsus simplicia ex pluribus partibus inter se pugnantibus, quas non habent, neutiquam dici possunt esse composita: vt est notissimum. Dari autem entia rationis, quæ sint obiecta prorsus simplicia, non videtur negabile. Quoniam dum aliquis inter proferendum illud Script. 2. Reg. 7. *Non est similis tui, neque est Deus extra te*, simplici apprehensione concipit alium Deum, quem esse negat, distinctum à vero Deo nostro, simplicem quamdam chymeram effingit procul dubio ex pluribus partibus veris nullatenus obiectiuè compactam; siquidem Deus ille inexistibilis, neque ex vero Deo extra quem concipitur, neque ex aliis entibus, aut partibus veris concipitur vllo modo compositus, cùm concipiatur simplicissimus perinde, ac verus; quasi numericè dumtaxat distinctus ab illo. Ecquis neget, me talia figmenta prorsus simplicia posse mente formare?

Quartò probatur: quiâ, vt constat ex dictis 32
*quæst.* 1. ens rationis fictitium, de quo tractamus, idem est, atque obiectum, quantum est ex se falsum, seu iudicabile iudicio falso ab intellectu, qui falli potest: huiusmodi autem falsitatem solum habere potest obiectum illud, quod tantùm habet *esse*, dum intellectui obiicitur: quia in se realiter non habet esse, quale non est obiectum, in quo Aduersarij dicunt consistere ens rationis, vt constat ex dictis.

Quintò probant præsentem propositionem, quæ- 33
cumque *suprà disp.* 11. *q.* 2. pro prima eius propositione probandâ tradita sunt. Recognoscantur. Tum ex dicendis circa sequentem planiora adhuc, & euidentiora fient, quæ circa illam dicta sunt. Adde Aduersariorum sententiam ex eo etiam falsam esse, quod supponit, nullum posse dari ens rationis, quod non sit inexistibile, siue impossibile, cuius oppositum à nobis *q.* 1. statutum, atque probatum est.

Verum, præter illa, quæ iam diluimus *quæst. illa* 34
2. *citata* adhuc contra doctrinam nostram, communemque solet opponi primò. Intellectus noster non habet species obiectorum impossibilium: ergo possibilia dumtaxat potest concipere. Nego consequentiam: quia, vt per species alienas accidentium sensibilium, quas solas habet, cætera cuncta possibilia, quorum non habet species, potest concipere, ita, & impossibilia potest. Adde, obiectorum etiam impossibilium dari posse proprias species, vt ex dictis *disp.* 11. *q.* 2. *propos.* 3. colligitur, & ex dicendis in sequentibus amplius constabit, quamuis nobis non dentur pro statu præsenti, sicut nec obiectorum possibilium, quæ non intrant per sensus. De quo multa sunt dicta *suprà disp.* 1.

Secundò opponitur. Cognitio sumit suam spe- 35
ciem, & perfectionem ab obiecto: Ergo hoc quid reale esse debet; alioquin nequibit tribuere speciem & perfectionem cognitioni. Respondeo, eatenus solùm dici cognitionem sumere suam speciem, & perfectionem ab obiecto, quatenus per ordinem ad obiectum, cuius repræsentatio est, habet esse talis naturæ, & tantæ perfectionis: hoc autem modo etiam ab obiecto fictitio potest suam speciem, & perfectionem sumere: quia obiecti fictitij potest repræsentatio esse: atque ita in ordine ad illud talem naturam, & tantam perfectionem habere.

Tertiò opponitur. Qui iudicat, hominem esse 36
equum, non concipit inter hominem, & equum identitatem fictam: quia cùm identitas hominis, &

equi

equi verè sit ficta iudicium euaderet verũ; & tamen est falsum. Ergo concipit identitatem veram, repugnantem tamen homini, & equo: quo fit, vt iudicium eis illam applicans euadat necessariò falsum. Egregium sophisma. Respondeo. Qui iudicat, hominem esse equum, concipere identitatem secundum se quasi esset vera, quæ quia talis non est, ab ipsa sui conceptione tendenti in illam quasi veram euadit ficta. Quo fit, vt sit falsum dictum iudicium; tametsi sit verum aliud reflexum de eadem identitate prout ficta. Itaque dictum iudicium falsum identitatem fictam habet pro obiecto non reduplicatiuè prout fictam; sed secundum se quasi veram, cùm tamen non sit vera.

## *Propositio 2.*

37 Impossibile est, obiectum aliquod ens rationis fictitium esse; nisi vel totum, vel aliqua pars eius quid fictum, seu non reale sit.

Si enim nec totum, nec pars eius quid fictum sit, non habebit tantùm *esse* obiectiuè in intellectu, prout ad ens rationis requiritur, vt satis constat ex dictis circa propositionem primam. Itaque si obiectum est simplex, vt sit ens rationis fictitium, totum debet esse fictum quoad illud *esse* siue existentiale, siue quiditatiuum, secundum quod est ens rationis, iuxta dicta *q.* 1. Si autem obiectum est complexum, vt sit ens rationis fictitium, aliqua saltem pars eius debet esse ficta quoad *esse*, secundum quod est ens rationis intelligendo nominis partis, vt semper intelligimus, etiam vnionem, seu coniunctionem, siue colligationem partium cuiusuis generis.

38 Sed dicet aliquis. Aliqua sunt obiecta complexa impossibilia, & chymerica, quorum omnes partes distributiuè sumptæ possibiles sunt, vt patet in coalescentibus ex extremis metaphysicè oppositis siue contradictoria, siue contraria oppositione. Ergo & poterunt esse obiecta complexa fictitia, quorum nulla pars sumpta seorsim fictitia sit. Concesso antecedente, nego consequentiam. Quia, vt constat ex vniuersali doctrinâ traditâ, & demonstratâ *suprà disputat. 9. quæst. 5. proposit. 6. & seqq.* prædicatum impotentis existere, in quo consistit, aliquid esse impossibile ex genere eorum prædicatorum est, quæ possunt conuenire essentiæ compositæ sumptæ indiuisim, quin vlli eius parti conueniant sumptæ seorsim. Prædicatum verò habendi *esse* in mente tantùm obiectiuè, in quo consistit aliquid esse fictitium, siue fictum, ex genere aliorum prædicatorum est, quæ essentiæ compositæ conuenire non possunt, quin alicui saltem parti eius seorsim acceptæ conueniant, vt & ex se satis est manifestum, & ex demonstratis *loc. cit.* & circa *propositt.* 1. dictis facile quisque demonstrabit.

39 Quæ cùm ita sint, colligitur primò. Qui concipit complexum impossibile, cuius omnes partes sumptæ seorsim sunt possibiles præcisè vt impossibile nullum efficere ens rationis: quia nihil fingit, cùm tale obiectum verè sit impossibile. In chymeris enim impossibilibus dari suas obiectiuas veritates citra omnem fictionem conceptibiles vniuersaliter est statutum *q.* 1.

40 Secundò collligitur. Tunc solùm fieri ens rationis concipiendo complexum impossibile, cuius omnes partes sunt possibiles, quando aliquod prædicatum obiectiuum adiungitur illi, quod verè non habet, vt si concipiatur possibile, vel actu existens. Talis enim possibilitas, vel existentia fictitia, atque adeò ens rationis erit. Potest autem fingi possibile per potentiam fictam ad existendum attributam ipsi indiuisim, vel per potentiam fictam attributam cuilibet parti eius ad coexistendum alteri. Similiter potest fingi existens aut per existentiam fictam ipsi indiuisim attributam, aut per existentias attributas eius, quarum aliqua necessariò erit ficta, cùm omnes simul nequeant existere. Quod si ad faciendum ens rationis circa complexum ex partibus possibilibus, quod independenter omninò à sui cognitione suapte natura propter suarum partium oppositionem impossibile, atque adeò inexistibile est, requiritur, vt ex parte obiecti aliquod prædicatum fictum ei adiungatur; multo magis id requireretur ad faciendum ens rationis circa alia complexa, quæ independenter à sui coniunctiuâ cognitione iuxta Aduersariorum sententiam, neque impossibilia, neque inexistibilia sunt, per talemque sui cognitionem euadunt talia; qualia sunt pleraque vbi cæteri Auctores ens rationis ex parte obiecti fictum agnoscunt.

Vnde tertiò colligitur, quàm falsa, imo implica- 41
toria sit Aduersariorum philosophia. Nam vel partes seorsim possibiles obiecti complexi sunt inter se re ipsa oppositæ; vel non? Si sunt oppositæ, independenter prorsus ab omni sui cognitione erit tale complexum inexistibile suapte natura, cùm sit veritas necessaria, tale complexum non posse existere. Quod si concipiatur existens, aut potens existere, nequibit non esse obiectiuè ficta aliquo ex modis suprà dictis eiusmodi existentia, aut potentia. Quo corruit Aduersariorum doctrina. Si autem oppositæ non sunt, quocumque modo concipiantur, re ipsa potentes erunt simul existere, complexumque earum subinde existibile erit. Quo iterum Aduersariorum doctrina ruit: iuxta quam certè partes complexi fictitij plerumque non esse oppositas re ipsa manifestum est. Censent enim, hoc complexum fictitium e. g. *Angelus est homo* nihil aliud includere ex parte obiecti præter Angelum, & hominem; tantumdemque censent de aliis huiusmodi; quorum extrema re ipsa manifestè non sunt opposita. Addunt tamen, euadere illa nihilominus fictitia, & inexistibilia, siue impossibilia à cognitione intentionaliter coniungente, siue identificante ipsa extrema. Quod, quàm sit implicatorium in ipsis terminis, quis non clarè videt? Si enim esse fictitiũ, & inexistibile complexum ex Angelo, & homine, aliud non est ab Angelo, & homine, & dicta cognitione; & tria hæc realiter sunt existentia, consequitur planè, aggregatum ex hisce tribus tum fictitium, & inexistibile, tum verum, & existens esse, quod implicant manifestam contradictionem.

---

# QVÆSTIO III.

*An denominationes extrinsecæ, vel semiextrinsecæ sint entia rationis, aliquodve entis rationis inuoluant in conceptu suo.*

DEnominatiua dicuntur ab Arist. *in libro Prædicam. cap.* 1. Concreta adiectiua, quorum nomina suam etymologiam trahunt à nominibus suarum formarum, vt *iustum* à *iustitia*, *album* ab *albedine*, &c. Vnde iam vniuersaliter vsu introductum est, vt subiectum cuiusuis concreti adiectiui à formâ ipsius concreti denominari dicatur, atque adeò etiam à fundamentis, quæcunque illa sint, vnde nostro modo concipiendi desumitur, seu concipitur 42

talis

talis forma; siue per modum actus significabilis per verbum, siue aliter concipiatur, ipsaque seu forma, seu fundamenta formæ denominare dicuntur ipsum subiectum. Quin imò omne prædicatum accidentale adiiciens aliquid subiecto iuxta diuisionem prædicatorum tradendam *disp.17.q.7.* denominatio dicitur conueniens, aut attributa subiecto; siue illud per modum concreti adiectiui verbo, & actu substantiuo *esse* interposito de tali subiecto prædicetur, siue per modū actus adiectiui significati per quoduis aliud verbum. Et hæc quidem quantumuis sint inter se diuersa nomina subiecti prout denominati, ipsiusve denominationes, & formæ, aut fundamentorum denominantium. Vnde rursus efficitur, vt denominatio easdem subeat diuisiones, quas prædicatum accidentale, iuxta dicenda *loco citato.* Quocirca alia dicitur denominatio intrinseca, alia extrinseca, alia semiextrinseca, alia physica, alia metaphysica, &c. Sic à suâ omnipotētiâ dicitur Deus denominari *Omnipotens*, & à creatione rerum *Creator*: Sic quoduis obiectum à sui cognitione, aut amore *cognitum*, aut *amatii*: Sic albedo alteri *similis* ab eius consortio; & homo à generatione prolis eius *pater*: Sic à cōtractu matrimonij præterito denominatur vir *maritus*, & fœmina *vxor*: & ab odio proximi cōcepto liberè homo denominatur *pecans*, siue *peccator*, siue *peccare*, aut *peccauisse*: ipsisque conceptus obiectiui, siue prædicata significata per vocabula ista *Omnipotens*, *Creator*, *cognitum*, *maritus*, *peccans*, *peccare*, &c. denominationes dicuntur relatè ad subiecta, quibus attribuuntur; intrinsecæ quidem, quando omnia fundamenta vnde sumuntur intrinseca ipsi subiecto sunt aut per identitatem, aut per adhæsionem; extrinsecæ verò, quando omnia fundamenta sunt extrinseca; id est, neque adhærentia, neque identificata subiecto; semiextrinsecæ autem, quando fundamenta partim subiecto sunt intrinseca aliquo ex dictis modis, & partim extrinseca.

43 Igitur, quod in præsenti quæstione quæritur est: An eiusmodi denominationes præsertim, quæ extrinsecæ sunt, aut semiextrinsecæ aliquod ens rationis inuoluant in conceptu suo. Negant Suar. *disp.54. Metaph. sect.2.* Petr. Hurt. *disp.19. Metaph. sect.1. & 2.* Arriag. *disp.6. Metaph. sect.1.* & alij plerique Recentiores. Affirmant verò S. Thom. multis in locis; sed præsertim *1.p. q.13. art.7.* Vasq. *1.p. disp. 115. cap.2.* & *disp.195. n.19.* & *1.2. disp.95. cap.10.* sæpéque *alibi*, & ex antiquioribus multi alij passim agnoscentes, & adstruentes in eiusmodi denominationibus relationes rationis. Est tamen tertia sententia media asserentium apud Soar. & Hurtad. suprà extrinsecas denominationes prouenientes ab actibus intellectus, quales sunt denominationes *cogniti*, *subiecti*, *prædicati*, &c. esse entia rationis; reliquas verò minimè: Cui sententiæ suffragari videtur Rub. *in log. quæst.6. proœm.* & *Tract. de ente rationis.*

## *Propositio 1.*

44 Inter denominationes extrinsecas prouenientes ab actibus intellectus, & prouenientes aliunde nullum est ponendum discrimen, quod attinet ad earum conceptum realem, aut rationis.

Quia talis discriminis nullum est fundamentum, cùm nihil interfit ad rem inter esse quauis ratione cognitum, & esse amatum, aut aliter à quouis fundamento extrinseco denominatum, vt satis ex se apparet.

## *Propositio 2.*

Omnis denominatio extrinseca, vel semiextrinseca concepta per modum actus significabilis per verbum relatio quædam rationis est ex conceptu suo, non quidem ficta, sed suppositicia dumtaxat: Concepta verò per modum concreti ex subiecto, & actu eamdem relationem rationis includit in suo conceptu, & vniuersim quocunque modo concipiatur semper fert secum ens rationis suppositicium, non verò fictum. 45

Sic componendæ veniunt prima, & secunda sententia relatæ *num.43.* ambæ enim erunt veræ si prima neget dictis denominationibus ens rationis fictum, non item suppositicium: secunda autem in illis adstruat solum ens rationis suppositicium, non item fictum. Et primùm omnem actum significabilem per verbum, vtpotè exercitium quoddam alicuius subiecti ad aliquem terminum, respectum quemdam, seu relationem esse ex suo conceptu obiectiuo, qua ratione à nobis concipitur, tum ad subiectum, tum ad terminum ex dictis *disp. 2. q.4.* & *disp.8. q.2.* & *3.* satis conspicuum est. Igitur quoties denominatio extrinseca, aut semiextrinseca concipitur per modum actus significabilis per verbum, vt sæpe fit, iuxta *ibidem* dicta, non potest non illa ex conceptu suo obiectiuo respectus quidam esse, siue relatio tum ad subiectum, cui attribuitur, tum ad terminum circa quem per illam subiectum exerceri concipitur; quem eundem respectum, siue relationem subinde inuoluat ipsa in conceptu suo, si, vt sæpè etiam fit, concipiatur per modum concreti coalescentis ex subiecto, & actu, vt est notum. De quo etiam plura sunt dicta *locis citatis.*

Quod autem huiusmodi respectus, seu relatio, in qua denominatio extrinseca, aut semiextrinseca concepta per modum actus consistit, non sit realis, sed rationis, est clarum, suppositumque in præsenti ab omnibus: quia loquimur de denominationibus vbi talis actus re ipsa non datur, qualis à nobis apprehenditur, dum eas per modum actus subiecto attribuimus: alioqui si in tali actu à parte rei illæ consisterent, non extrinsecæ, aut semiextrinsecæ, sed intrinsecæ denominationes essent: quandoquidem de ratione omnis actus est intrinsece tangere subiectum, cuius & actus, vt constat ex dictis etiam *locis citatis.* 46

Iam verò dictam relationem rationis ad dictas demonstrationes spectantem fictam non esse, sed suppositiam dumtaxam inde probatur: quia, vt constat ex dictis *q.1.* ens rationis fictum eo ipso est obiectum de suo falsum, in denominationibus autem, de quibus agimus, nihil obiecti falsi inuoluitur: alioquin falsò illas attribueremus subiectis, quibus verissimè attribuimus. Secundò, quia de huiusmodi denominationibus verissimè dicitur dari à parte rei. Verissimè enim asserimus obiectum à parte rei esse cognitum, aut amatum; hominem à parte rei esse peccatorē, vel peccare, vel peccauisse, vnam albedinem realiter assimilari alteri, &c. Quæ omnia falsò affirmarentur, si in eiusmodi denominationibus aliquid fictum, atque adeò falsum inuoluerētur, vt constat. Tertiò à priori: quia à nobis cognoscentibus per species alienas tunc solùm fingitur ens rationis, quando id, quod in alieno subsituto intendit intellectus cognoscere re ipsa non datur. At nihil intendit intellectus noster cognoscere, dum concipit denominationes prædictas, quod re ipsâ 47

non

non detur. Ergo nullum ens rationis fingit, dum concipit illas.Cætera constât. Minor probatur:quia dum intellectus denominationes prædictas iudicio affirmatiuo adstruit, dumtaxat intendit adstruere, atque adeò concipere fundamenta realia,& vera,à quibus illæ desumuntur, in quibusve illæ à parte rei, ac prorsus independenter à sui cognitione consistunt: ob id namque est verum iudicium, quoties ejusmodi fundamenta re ipsâ dantur;futurum sanè falsum, iuxta dicta nuper,si quidpiam aliud, quod re ipsâ non datur,per illud adstrui,atque adeò concipi intenderetur.

48 Cæterùm,quia noster intellectus pro statu præsenti nihil iudicare valet non conceptum per modum actus aut substantiui, aut adiectiui,vt *locis paulò antè citatis* monstratum est; inde fit, vt pro iudicandâ veritate reali fundamentorum, in quibus denominatio extrinseca, aut semiextrinseca re ipsâ consistit, subsituat sibi vt implurimùm phantasma sensibile idoneum ad concipiendum actum adiectiuum,ipsique subindè proprium, siue appropriatum, sicque talem denominationem concipiendo per modum talis actus,actum quemdam, atque adeò respectum rationis suppositiuum formet: semel autem conceptâ denominatione per modum actus in promptu est, talem actum cum subiecto componere; sicque deinceps denominationem per modum concreti ex subiecto, & actu diuersum quoddam ens rationis suppositiuum formando concipere.

49 Sed quoniam aliquæ denominationes aut extrinsecæ, aut semiextrinsecæ sub expresso conceptu actus adiectiui significabilis per verbum, aut concreti ex subiecto, & actu non solent concipi de facto, tametsi possent, sed sub quibusdam aliis conceptibus medio actu essendi substantiuo attribuendis subiectis: consequitur, quando isti conceptus sunt repectiui, quales aut semper, aut ferè semper sunt,vt in conceptibus mariti, & vxoris, domini, & serui, superioris,& subditi,patris,& filij aliisque huiusmodi cernere est, tunc quidem tales denominationes etiam ferre secum in suis conceptibus relationes rationis suppositiuas; non verò fictas, vt constat ex dictis. Si quandò verò conceptus isti non fuerit respectiui,ferent nihilominùs secum entia rationis suppositiua,non respectiua;siquidem in omni conceptu obiectiuo formato à nobis per species alienas, ens rationis suppositiuum interueniat necesse est, vt constat ex dictis *q.*1.Per quæ propositio nostra probata, & Doctorum sententiæ oppositæ compositæ manent. Quo fit,vt,& amborum argumenta pro nobis sint.

## *Propositio 3.*

50 In omni etiam denominatione intrinsecâ conceptâ à nobis per species alienas,aliquod ens rationis non quidem fictum, sed suppositiuum dari necesse est.

Consentiunt huic propositioni S.Th.Vasques & plures alij ex antiquioribus, quatenus sæpè in denominationibus etiam intrinsecis prouenientibus à formis realiter à subiecto indistinctis, quales sunt identitas, perfectio,bonitas,potentia,& similes relationes rationis agnoscunt. Ratio autem vniuersalis est:quia quoties aliquid per species alienas, atque adeò in substituto alieno cognoscimus, non potest non ex parte conceptus obiectiui ens rationis suppositiuum interuenire, vt constat ex doctrinâ tradita,*q.*1.

Cæterum, licèt semper interueniat ex parte obiecti ens rationis suppositiuum, quotiescumque cognoscimus aliquid per species alienas,atque adeò in substituto alieno: quia semper res cognita aliud cognoscenti apparet in substituto ab eo, quod est in se; aliudque subindè *esse* obiectiuum in mente cognoscentis habet ab eo, quod habet in se. Ea tamen potissimũ entia rationis suppositiua speciatim notari, & in considerationem venire solent, quæ ex conditionibus vniuersalissimis substitutorum in rebus cognitis non repertis proueniunt; cuiusmodi sunt esse illa plura, vel vnum, distincta inter se,aut non distincta, relatiua, aut absoluta &c. Quandò enim in vno,eodemque substituto plura simul cognoscuntur,vnum sunt in mente obiectiuè, quæ in se re ipsâ plura sunt, atque ita vnitas quædam rationis suppositiua interuenit,sicut vice versâ pluralitas, atque adeò distinctio rationis interuenit suppositiua, quando, quæ realiter sunt vnum & idem in pluribus substitutis cognita plura, & inter se distincta nobis apparent. Quando verò in substituto relatiuo, idoneove ad obiectum relatiuum repræsentandum, quæ in se re ipsâ non sunt relata cognoscuntur, relatio rationis suppositiua datur;pariterque in similibus. De quibus plura sunt dicta *suprà disp.*2 *q.*3.dicenturque *infrà disp.*13.& 17. 51

## QVÆSTIO IV.

### *Quotuplex sit ens rationis.*

SAnctus Th.*q.*21.*de verit.*1. ita diuisit ens rationis. *Id, quod est ens rationis non potest esse nisi duplex,vel negatio, vel aliqua relatio.* Sumit autem negationem vniuersè prout complectitur priuationem,vt constat ex contextu. Quam diuisionem, vt congruam, & adæquatam amplexi sunt Conimbr. *in præfat.Porphyr.q.*2.*art.*2. Suar. *disp. vlt. Metaph. sect.*3.& 4.Vasq. 1.*p. disp.*114.& 115.Rub. *tract. de ente rationis a n.*22. & omnes Thomistæ communiter. Ex quibus plerique censent, diuisum dictæ diuisionis esse ens rationis in tota sua latitudine,prout comprehendit factum sine fundamento in rebus, & factum cum fundamento. Sunt tamen alij, qui putant, in prædictâ diuisione solùm esse sermonem de ente rationis cum fundamento in rebus facto.Quomodò autem,sub negatione, & relatione aut etiam priuatione omnia entia rationis comprehendantur, variè explicant dicti Auctores; vt mox dicemus. 52

Moderniores verò Philosophi ad solam relationem, & negationem, aut etiam priuationem omnia entia rationis censent reuocari non posse;atque ita alij in tot genera diuidunt ens rationis, in quot ens reale ab Arist. diuisum est *in lib. Prædicam.*: nimirùm in decem. Sic cum Canarienſi citato à Vasq. *suprà*,tenet Quiedo *contr.*12.*Metaph.punct.* 4. Alij aiunt, entium rationis genera entium realium numerum superare. Ita Arriag. *disp.*6. *Metaph. sub finem.* Alij denique ad certas, & statutas classes ens rationis haud redigi posse arbitrantur Sic Martinez *in log.super prolog. Porph.disp.*2.*q.*1. & Petr. Hurt.*disp.*19.*Metaph.*§.87. 53

Ego, suppositâ diuisione entis rationis in suppositiuum, & fictum, statutâ *q.* 1. assero primò, iure ab omnibus communiter diuidi ens rationis in factum cum fundamento in rebus, & factum sine fundamento: quorum primum ens rationis ratiocinatæ, siue non chymericum dici solet; se- 54

cundum

cundum verò ens rationis ratiocinantis, siue chymericum. Dicitur autem ens rationis cum fundamento in rebus fieri, quando datur aliquid ex parte rerum, aut alliciens, aut cogens intellectum ad illud faciendum. Sine fundamento autem, quando nihilo ex parte rerum alliciente, aut cogente intellectum, vel solo arbitrio facientis, vel casu fit. Et quidem ad faciendum ens rationis supposititicium semper est intellectus noster necessitatus pro statu præsente, quoties aliquid est concepturus per species alienas, vt ex dictis in superioribus constat; sed hæc necessitas non tam à rebus cognoscendis enascitur, quàm à modo cognoscendi, quem habet ipse intellectus; tametsi, vt ens rationis supposititicium huius potiùs, quàm alterius generis fiat, ipsæ res cognoscendæ soleant communiter occasionem, atque adeò fundamentum præbere: scilicet exacta plurium rerum similitudo in causâ est, vt illæ sub vnicum conceptum cadant: quo fit vnitas rationis suppositicia: sicut è contra pluralitas connotatorum eiusdem rei in causâ est, vt illa cadat sub plures conceptus, quo distinctio, siue pluralitas rationis suppositicia fit. Respectus item vnius rei ad alteram, vt cognitionis ad obiectum, & quæuis alia rerum necessitudo, seu habitudo in causâ est passim, vt res absolutæ cum respectu ad alias concipiantur: quo innumeræ passim relationes rationis suppositiciæ fiunt, & in cæteris pariter. Quinimò, cùm intellectus noster connaturaliter feratur ad substituendum pro rebus cognoscendis phantasmata illis proportionata, iuxta dicta *disp. 2. quæst. 3.* ferè semper res cognoscendæ ansam præbent naturâ suâ, vt hæc potiùs, quàm alia entia rationis suppositicia formentur, dum illæ in substitutis alienis ab intellectu cognoscuntur. Fieri tamen poterit, vt pro arbitrio cognoscentis hoc phantasma præ aliis ad aliquam rem cognoscendam assumatur ab intellectu, nullâ ad id præbente occasione ipsius cognoscendæ rei naturâ. Quo casu ens rationis suppositicium interueniens sine fundamento in rebus factum dicetur; sed hoc rarò euenit. Ex quo patet, entia rationis suppositicia ferè semper à nobis fieri cum fundamento in rebus.

55 Entia verò rationis ficta sæpiùs pro libito à nobis, sæpiùs etiam etiam casu facienda, seu concipienda veniunt, atque de facto fiunt, seu concipiuntur. Quia sæpè, aut pro libito, aut casu tum vigilantes, tum dormientes concipimus monstrosa phantasmata, quæ saltem quoad existentiam entia rationis ficta sunt. Sæpè etiam chymeras impossibiles confingimus, vel pro solo arbitratu, vel quod eis in metaphysicis disputationibus indigemus, aut exemplorum gratiâ, aut aliter. Sæpissimè etiam entia rationis ficta tum possibilia, tum impossibilia quoad existentiam, aut etiam quoad quiditatem fictitiè concipimus cum fundamento ex parte rerum, eoque non solùm alliciente; sed etiam cogente intellectum ad illa concipienda; nimirum quoties veras eorum negationes apprehendimus, vel adstruimus (nulla quippe negatio sine habitu per eam negato concipi potest, vt est notum.) Quo iure cognoscentes item per species proprias cum fundamento ex parte rerum concipiunt, aut etiam faciunt dicta figmenta. Sic, qui iudicat, Deum esse immortalem, impassibilem, impeccabilem, immutabilem, &c. Fictitiam Dei mortalitatem, passibilitatem, peccabilitatem, &c. apprehendat necesse est; & vniuersè, quicunque verè negat, quidpiam existere, aut esse possibile, nequit non fictitiè concipere ipsius existentiam, aut possibilitatem, quam negat. Cæterùm quamuis negatio cuiusuis figmenti fundamentum sit adigens intellectum ad concipiendum figmentum ipsum ex suppositione, quod ipsa negatio sub intellectum cadat: quia tamen independenter à notitiâ suæ negationis potest figmentum quoduis concipi; consequens est, vt illud sine fundamento in rebus concipi possit; id est, nullo fundamento reali mouente intellectum ad concipiendum illud. In quo Recentiores quidam decepti sunt, putantes, omne ens rationis positiuum cum fundamento in rebus fieri, eo quod cuiusuis realis negatio ad illud concipiendum inducit.

Secundò assero: plerosque ex Auctoribus *n. 52.* 56
relatis de negationibus rerum verè non existentium malè philosophari duplici titulo. Primò, quia eas enumerant inter figmenta rationis. Secundò: quia ad secundum membrum diuisionis S. Thom. reducunt, scilicet ad negationem rationis. Etenim tales negationes figmenta rationis non sunt: quia veritatem habent negatiuam à parte rei, quatenus res per illas negatæ verè, & realiter non existunt; imò ex eo, quod illæ ad instar rerum positiuarum, quales non sunt, concipiantur, vti à nobis concipi solent, nullum fit ens rationis fictum; sed suppositicium dumtaxat, vti euenit, quoties quodcunque obiectum verum concipimus per species alienas, atque adeò ad instar alterius, iuxta dicta *q. 1.* Casu autem, quòd fieret ens rationis fictum, id vtique non negatiuum, sed positiuum esset, illud videlicet ad cuius instar negatio concipitur, atque ita non ad negationem rationis; sed ad ens positiuum rationis reducendum veniret.

Tertiò assero, contra nonnullos ex eisdem Auc- 57
toribus, in quibus est Vasquez, malè etiam reduci ab ipsis ad secundum membrum diuisionis S. Thom. hoc est, ad negationem rationis omnia figmenta chymerica: quippe pleraque eorum conceptus positiui sunt, vt est notum; atque ita inter entia rationis positiua potiùs, quàm inter negationis rationis computanda veniunt. Negatio enim rationis tunc solùm datur, quando concipitur non esse, quod verè est: quia tunc solùm talis negatio est ficta; sicut tunc solùm datur ens positiuum fictum rationis, quando concipitur esse, quod verè non est. Vnde obiter collige, etsi figmenta rationis alia positiua sint, alia negatiua: quia non solum ens, sed etiam non ens, siue negatio entis ab intellectu fingi potest: at entia rationis suppositicia solùm positiua posse esse: quia sola entia positiua, quorum habemus proprias species substitui possunt ab intellectu pro aliis cognoscendis; non verò item negationes, quarum species propriæ neque in nobis dantur, neque absolutè sunt possibiles, iuxta doctrinam statutam *disp. 2. quæst. 3.* Ex quibus patet ad negationem rationis dumtaxat pertinere posse negationes rerum fictas, atque adeò ex se obiectiuè falsas, quibus non esse res, quæ verè sunt, concipiuntur. Ex quo concluditur, vt diuisio S. Thom. sufficiens, & adæquata sit, ad vnam relationem rationis reducenda esse omnia entia positiua rationis.

Vnde assero quartò: sufficientiam diuisionis tra- 58
ditæ à S. Th. receptæque à cæteris Auctoribus *n. 52.* citatis non facilè posse componi: quia multa haud dubiè dantur entia rationis positiua, tum ficta, tum suppositicia, tum cum fundamento in rebus, tum sine illo ficta, quæ ex proprio conceptu relatiua non sunt, sed prorsus absoluta: nisi dicamus, vt non abs iure posse videmur, in dictâ diuisione solùm esse sermonem de entibus rationis, quæ ex proprio

conceptu

conceptu idonea obiecta sunt humani iudicij pro statu præsenti; omnia enim talia actus quidam sunt ex conceptu suo respectui subiecti ad terminum, atque adeò relationes rationis: cùm nihil nos iudicare possimus non conceptum per modum actus, vt *disputat. 2. q. 4.* & sæpe alibi ostensum est. Sunt autem omnes actus obiectiui à nobis iudicabiles imprimis relationes rationis suppositiuæ; fictæ autem relationes insuper erunt, qui fuerunt falsò iudicabiles affirmatiuè; quando verò negatiuè iudicabiles falsò fuerint; tunc negationes eorum fictæ, atque adeò rationis erunt. Ex quo patet, ens rationis formaliter prout sub iudicium humanum pro statu præsenti cadit, aut potest cadere, sufficienter, & adæquatè diuidi in relationem, & negationem. Cum quo stat illud, etiam vt sic, per omnia prædicamenta Aristotelica, imò, & vltra vagari; vti vagatur haud dubiè conceptus obiectiuus actus, etsi sit ille respectiuus, vt ex dictis *disputat. 8.* colligere est.

59 Vnde assero quintò: ens rationis fictitium in decem prædicamentorum genera, imò in alia plura diuidi posse. Possunt enim citra dubium ab intellectu concipi substantia, quantitas, relatio, actio, passio, qualitas, &c. quæ tum quoad existentiam, tum quoad varia prædicata quiditatiua figmẽta quædam, atque adeò entia rationis fictitia sint: necnon alia præterea mixta, aut per identitatem, aut aliter ex diuersis dictorum generum, specierumque ipsorum prædicatis, omni talium prædicatorum combinatione factâ. Quo genera figmentorum rationis in infinitum crescunt propemodum. Ens verò rationis suppositiuum ad ea saltem prædicamentorum genera poterit extendi, ad quæ se extendunt sensibilia phantasmata in quibus, vt in substitutis à nobis cætera obiecta cognoscuntur; vt sunt quantitas, relatio, qualitas, vbi, situs, &c. atque adeò etiam ad genera, quæ ex mixtione eorum resultant.

60 Quintò denique assero: ens rationis fictitium, aut simplex penitus, aut compositum ex partibus esse posse, iisque aut formaliter; seu per rationem tantùm, aut realiter, seu quasi realiter distinctis. Si sit simplex, totum erit fictum quoad prædicatum, siue existentiale, siue quiditatiuum, secundum quod est fictum, vt constat. Compositum autem aut ex omnibus partibus fictis, aut ex aliquibus fictis, vel vna tantùm, ex cæterisque non fictis, atque adeò veris constare potest. Vna tamen, vt minimum necessariò ficta esse debet, vt compositum fictum sit, iuxta doctrinam statutam *quæst. 2.* Nomine autem partis semper complector etiam partium vnionem, seu coniunctionem cuiusuis generis. Quæ omnia ex dictis in superioribus satis superque nota sunt. Ens verò rationis suppositiuum semper est compositum quasi physicè saltem ex partibus integrantibus etiam suppositiuis: quia phantasmata substituta pro aliis obiectis cognoscendis ex partibus saltem integrantibus tum extensionis, tum etiam intensionis sunt semper composita, vt constat ex dictis *disp. 1. quæst. 2.* & *disp. 2. q. 3.*

## QVÆSTIO V.

### *Vtrum Deus cognoscat entia rationis, & illa faciat?*

61 PRima sententia est, Deum non solùm non facere entia rationis, sed neque cognoscere illa ad huc vt facta, aut factibilia per intellectum creatum. Ita Vasquez *1. part. disputat. 118. cap. 3.* cui subscripsere Turrian. *in select. opusc. 7. disputat. 4. dub. 4.* & 8. Alarc. *disputat. 3. de scient. cap. 6.* Secunda sententia extremè opposita, est, Deum etiam independenter ab intellectu creato cognoscere entia rationis, & illa facere. Ita Ægid. *de Præsentat. lib. 5. de beatit. quæst. 6. art. 10.* Fonsec. *lib. 4. Metaph. cap. 2. quæst. 6. sect. 14.* Ioann. Marti. Complutensis *in log. disputat. 2. quæst. 2.* Arriag. *disput. 6. Metaph. à num. 44.* Ouied. *disput. vltim. Metaph. punct. vlt.* & docti Recentiores. Apud quos alij, cui sententiæ consentiunt etiam Canarien. *1. p. q. 28. art. 2. disp. 2. dub. 3.* Molin. *ibidem disp. 3. concl. 5.* Valent. *1. part. quæst. 14. artic. 9. punct. 7.* & alij. Tertia sententia est, Deum cognoscere quidem entia rationis independenter ab intellectu creato; illa verò, vt sic non facere: quia cognoscit per dissensum. Sic sentiunt Soar. Arrub. Heriz. Ruiz, & alij mox citandi. Quarta sententia est, Deum cognoscere entia rationis prout facta, aut factibilia ab intellectu creato; illa verò vt sic non facere. Ita Soar. *in Metaph. disp. 7. sect. 1.* & *disp. 54. sect. 2.* & *lib. 1. de essent. & attrib. cap. 13.* & *lib. 3. cap. 3.* & *lib. 4. de Trinit. cap. 4.* Fasol. *1. p. q. 14. art. 9. dubit. 2.* Machin. *disp. 26. sect. 1.* Gonz. *disp. 39. sect. 1.* Heriz. *disp. 8. cap. 1.* Ruiz. *disp. 17. de scient. sect. 2.* Petr. Hurt. *disp. 19. Metaph. sect. 6.* & alij. Quinta denique sententia est, Deum cognoscere entia rationis prout facta, aut factibilia ab intellectu creato, atque etiam illa per talem cognitionem facere. Ita Lorca *1. 2. disp. 25. memb. 1.* Arrub. *1. part. disp. 34. cap. 7.* cum aliis à eo relatis.

### *Propositio 1.*

Deus entia rationis supposititia formaliter, quâ talia sunt, non solùm non facere; sed neque cognoscere potest. 62

Hæc est sententia P. Vasquez, atque adeò etiam suorum: quanquam enim ille differentiam entis rationis supposititi, & ficti distinctè, & expressè non videatur agnouisse; tamen, vt erat ingenij acuti, & profundi, in hanc incidit veritatem. Planè enim loquitur de ente rationis non conceptibili, nisi per species alienas, quale est supposititium, & illud fictum, cuius conceptio à supposititio dependet, de quo *proposit. 2.* Vnde sententia eius verissima est: &, quod ad præsentem propositionem attinet probatur facilè: quia cognoscere ens rationis suppositiuum qua tale, aliud non est, quàm habere pro obiecto ipsum conceptum obiectiuum, in quo illud consistit: habere autem pro obiecto talem conceptum obiectiuum idem omnino est, atque cognoscere rem, quæ cognosci intenditur aliter, quàm est in se; atque adeò non in ipsamet, sed in alieno substituto; siquidem talis conceptus obiectiuus hæc duo dicit vnum quodque suo modo, & substitutum terminans cognitionem non pro se, sed pro re, quæ cognosci intenditur, & rem ipsam non in se, sed in substituto ipso cognitam, prout constat ex latiùs dictis *disputat. 2. quæst. 3.* Ast Deus, rem, quæ cognosci intenditur aliter, quàm est in se, atque adeò in substituto alieno cognoscere non valet, vt est notum: quia talis modus cognoscendi valdè imperfectus est. Ergo Deus non potest habere pro obiecto conceptum obiectiuum, in quo consistit ens rationis suppositiuum, & consequenter neq; ipsum ens rationis suppositiuum, quâ tale cognoscere. Quod si cognoscere non potest, neq; poterit facere,

cùm nequeat aliter illud fieri, quàm per sui cognitionem, vt constat.

63 Dices: Deus clarissimè scit, me cognoscere, & facere ens rationis suppositititium: ergo nequit non clarissimè etiam cognoscere illud. Concesso antecedente; distinguo consequens. Nequit non cognoscere illud formaliter, qua tale, nego: fundamentaliter, siue quoad fundamenta, ex quibus relatè tantùm ad meum intellectum consurgit, concedo. Est dicere. Deus cognoscit meam cognitionem, & substitutum, & rem in substituto à me cognitam, vt sunt in se; quibus clarissimè penetratis, clarissimè scit, me talem rem in tali substituto cognoscere; ipse tamen non cognoscit illam in substituto, prout opus erat, vt cognosceret ens rationis suppositititium à me cognitum, & factum formaliter, quâ tale. Quemadmodum Deus causat meam libertatem actus primi, & actionem physicam mei peccati, & tamen non causat peccatum formaliter, quâ tale: quia illa actio dumtaxat est peccatum formaliter, prout liberè nascens à me.

64 Hinc deprehendes, quomodo Deus cognoscat, me distinguere per rationem formalitates identificatas realiter, quin ipse distinguat illas, aut distinctas concipiat: tum me adunare per rationem sub vno conceptu vniuersali plura inter se distincta realiter, quin ipse illa adunet, aut adunata concipiat. De quibus in sequentibus disputationibus plura dicenda sunt.

65 Quod autem de Deo dictum est in propositione, eodem iure venit dicendum de creaturâ, quatenus cognoscente cuncta per proprias species, atque adeò prout sunt in se, vt satis ex se est notum.

## *Propositio 2.*

66 Illa item entia rationis ficta, quæ solùm per species alienas conceptibilia sunt, iuxta doctrinam statutam *n.* 18. neque fieri, neque cognosci possunt à Deo formaliter, quâ talia sunt.

Est clarum: quia cùm Deus per species alienas nihil possit concipere ob imperfectionem, quam fert secum hic cognoscendi modus, vt constat; planè consequitur, non esse à Deo ea obiecta conceptibilia, quæ solùm per species alienas conceptibilia sunt; qualia sunt entia rationis ficta, de quibus agit propositio. Quod autem talia entia rationis dentur, vt in eâ supponitur, ex loco, quem citat, ex aliisque citatis ibi petendum est. Itaque Deus concipere nequit, & consequenter neque facere identitatem fictam extremorum, quæ re ipsâ distincta sunt, neque distinctionem fictam extremorum, quæ re ipsâ sunt identificata, neque alia figmenta, quæ hæc inuoluunt, &c. De quibus *locis citatis* monstratum est, per species proprias. & in se ipsis neutiquam conceptibilia esse, sed tantùm per species alienas, & in alienis substitutis, qualiter à nobis passim concipiuntur, atque finguntur.

67 Dices: Deus clarissimè scit, me concipere Angelum identificatum cum homine. Ergo nequit non apprehendere Angelum identificatum cum homine: repugnat enim cognoscere cognitionem de identitate Angeli, & hominis, tali identitate prorsus ignotâ, & non conceptâ, seu apprehensâ. Respondeo, scire quidam Deum clarissimè, me cognoscere Angelum identificatum cum homine; ad id tamen opus non esse, quòd ipse apprehendat formaliter talem identitatem, vtpote, quæ à me non in se, sed in alieno substituto cognoscitur; sed sat est, quòd intimè penetret naturam meæ cognitionis, & principiorum, quibus inducor ad eam eliciendam, & substituti, quod mihi est loco talis identitatis: his namque benè penetratis, clarè scit Deus, Angelum, & hominem in eiusmodi substituto mihi apparere identificatos, quin ipsi Deo appareant identificati; sed prorsus distincti, vt sunt in se. Ex quo patet ad cognoscendam cognitionem de identitate Angeli, & hominis non in se cognita, sed in alieno substituto necessarium non esse, quòd ipsa identitas in se formaliter concipiatur (vt sic enim non est conceptibilis;) sed sufficere quòd concipiatur fundamentaliter, & quasi æquiualenter: quâ ratione censenda est concipi ab eo, qui penetrat cognitionem de illâ in substituto, principiaque ipsius cognitionis, & substitutum ipsum, & cætera cuncta, quæ interueniunt, vt sunt in se.

Instabis. Cognitio humana de identitate Angeli, & hominis intrinsecè respicit talem identatem, vtpote cuius cognitio, & repræsentatio est suapte naturâ, & essentiâ. at nullus respectus, siue relatio sine suo termino cognosci potest, vt fert vulgatum axioma receptum ab omnibus vt certissimum: igitur cognitio humana de identitate Angeli, & hominis à Deo cognosci non potest sine ipsâ identitate, atque adeò Deum talem cognitionem nequit cognoscere, quin simul cognoscat talem identitatem. Distinguo maiorem syllogismi. Cognitio humana de identitate Angeli, & hominis intrinsecè respicit talem identitatem in se ipsâ, nego, in alieno substituto, quo solùm pacto est cognitio, atque repræsentatio eius concedo; & concessâ minore, nego consequentiam. Itaque cognitio humana de indentitate Angeli, & hominis non respicit intrinsecè talem identitatem respectu per se terminato ad ipsam (prout opus erat, vt sine ipsâ cognosci non posset, iuxta propositum axioma, quod fateor verissimum esse) sed respectu per se terminato dumtaxat ad substitutum subrogatum pro illâ, eoque solùm iure ad illam per substitutum, quatenus hoc in tali terminatione vicem illius gerit. Quo fit, vt nihil sit, quod prohibeat, talem cognitionem cognosci à Deo, non cognitâ tali identitate formaliter. Et quamuis talis cognitio suapte naturâ, & essentiâ sit cognitio talis identitatis, potiùs quàm alterius obiecti in substituto alieno, quatenus essentialiter connotat, siue respicit ex parte intellectus principia, quantum est ex se notificatiua ipsius identitatis præ aliis obiectis, iuxta doctrinam vniuersalem statutam *disputation. 2. quæst. 3.* hinc tamen non fit, talem cognitionem adhuc remotè, & mediis dictis principiis respicere per se identitatem, cuius in substituto alieno cognitio est: quia esse dicta principia ex se notificatiua talis identitatis præ aliis obiectis, non est habere illa re ipsâ respectum aliquem intrinsecum ad talem identitatem præ aliis obiectis, sed habere talem naturam, quæ à nobis solet explicari per talem respectum; alioquin quandò principia sunt ex se notificatiua vnius formalitatis præ aliis eiusdem rei, iuxta dicta à nobis loco citato, dicendaque *disputat. 13. quæst. 9.* respectu intrinseco per se respicerent vnam formalitatem, & non alias identificatas cum illâ, quod est impossibile, vt apparebit ex dicendis dicta *quæst. 9.* 68

Rursus instabis. Deus scit iudicium humanum de identitate Angeli, & hominis esse falsum: ergo scit, non dari à parte rei identitatem Angeli, & hominis per tale iudicium affirmatam; siquidem in eo consistit iudicium esse falsum quod 69

quod non detur à parte rei obiectum affirmatum per illud: sed nequit Deus scire, non dari à parte rei identitatem Angeli, & hominis, nisi illam concipiat: quia Deus iudicio negatiuo nihil à se non apprehenso negare potest, vt est notum: Ergo. Respondeo, scire quidem Deum iudicium humanum de identitate Angeli; & hominis esse falsum; ad id tamen opus non esse, quòd iudicio negatiuo cognoscat, non dari à parte rei talem identitatem; sed sufficere, quòd sciat iudicio affirmatiuo, Angelum, & hominem à parte rei esse extrema distincta, & tamen per tale iudicium humanum affirmari identificata. Quod scire potest, non cognitâ eorum identitate formaliter: sed fundamentaliter tantùm, & quasi æquiualenter, prout explicuimus.

70 Ex dictis circa hanc propositionem colligitur: ad nullum figmentum cognoscendum formaliter, quâ tale esse Deum necessitatum ex eo, quòd cognitionem de illo habitam per speciem alienam cognoscit, etsi illud sit ex genere eorum, quæ per species proprias, & consequenter ab ipso Deo conceptibilia sunt, iuxta dicenda: quia cognitio per speciem alienam habita non ita respicit obiectum in alieno substituto per ipsum cognitum, vt nequeat cognosci sine illo, quâ ratione explicatum est. Cùm tamen ex eo, quòd Deus cognoscit cognitionem creatam siue existentem, siue possibilem habitam per speciem propriam de quouis figmento, necessitatus maneat ad tale figmentum concipiendum: quia omnis cognitio per speciem propriam habita intrinsecè, & per se respicit suum obiectum, atque adeò sine illo cognosci non potest; in quo à cognitione habitâ per speciem alienam differt. Et quoniam nullum est figmentum per propriam speciem conceptibile, quod per aliquam cognitionem creatam per propriam speciem habitam cognosci non possit; nullum est, quod non veniat cognoscendum à Deo dependenter à cognitione aliquâ sui creatâ, siue ex vi cognoscendi illam, vt iam iam expono.

## *Propositio 3.*

71 Omnia entia rationis ficta per proprias species conceptibilia, iuxta doctrinam statutam *n.* 18. tum dependenter à cognitione creatâ sui, tum prorsus independenter ab illâ cognoscuntur à Deo.

Dependenter quidem: quia nullum est eiusmodi figmentorum, quod per cognitionem creatam habitam per speciem propriam cognosci non possit. Ergo, dum Deus cuiusuis eorum talem cognitionem siue existentem, siue possibilem cognoscit, necessariò, & illud cognoscit, iuxta dicta *num. præced.* omnia ergo illa cognoscuntur à Deo dependenter à cognitione creatâ sui. Quod autem nullum eorum sit, quod per cognitionem creatam habitam per propriam speciem cognosci non possit. Tum satis ex se videtur notum, quatenus ex nullo capite repugnare videtur, quòd cognoscatur per cognitionem creatam habitam per speciem propriam; id, quod aliàs per speciem propriam ponitur cognoscibile. Tum inde probatur: quia de facto multa sic cognoscuntur, & cæterorum omnium eadem prorsus ratio est. Nos enim per propriam speciē cognoscimus innumera sensibilia phantasmata quoad existentiam ficta, & Angeli per propriam speciem apprehendunt existentias fictitias omnium eorum obiectorum, quæ verè iudicant non existere iudiciis negatiuis: cùm nihil non apprehensum ab vllo intellectu negari possit, vt est notissimum.

Independenter autem ab omni cognitione creatâ prædicta omnia figmenta cognosci à Deo inde probatur primò: quia hoc ipso, quod illa per proprias species, atque adeò in se ipsis conceptibilia sunt, verè etiam in se ipsis sunt iudicabilia tum affirmatiue quoad veritates quiditatiuas, quas habent ex suo conceptu obiectiuo; tum negatiuè quoad veritatem existentialem, quâ carent: ergo Deus, quem nihil verè iudicabile latere potest, iudicio negatiuo negat, talia figmenta existere. At nihil non apprehensum ab vllo intellectu negari potest, vt est notissimum. Ergo Deus apprehendit existentiam, quam negat talium figmentorum, quæ existentia fictitia est, cùm vera sit eorum non existentia, vt ponimus. Et quidem negare Deum existentiam omnium rerum possibilium, quæ verè non existunt earumdemque subinde fictitiam existentiam, quam negat, concipere, indubitatum est. Quidni igitur negabit existentiam chymerarum impossibilium, quæ perinde ac res possibiles in se ipsis sunt conceptibiles, earumque subinde fictitiam existentiam concipiet? Certè, dum ipse ait *Deuter. 32. Videte, quod ego sim solus, & non sit alius Deus præter me*, existentiam alterius Dei manifestè negat; eamdemque subinde existentiam alterius Dei, quam negat, concipit, quæ tum fictitia, tum etiam impossibilis est. Eodemque proinde modo circa alia huiusce generis figmenta se habet. 72

Secundò probatur id ipsum: quia certum est, Deum cognoscere omnia obiecta conditionata in se vera: cùm nihil ab ipso ignorari possit, quod in se habet veritatem; sed nullum est figmentum in se conceptibile sub cuius hypothesi non dentur aut aliquod, aut plura obiecta conditionata in se vera (quandoquidem sub cuiusuis hypothesi ipsimmet, vt minimum, & quæcunque sunt ipsi annexa in se sunt vera conditionatè,) & nullum talium obiectum cognosci potest, non cognito figmento ipso, vt est notum. Ergo nullum est fundamentum in se conceptibile, quod non cognoscatur à Deo. Declaremus hæc per exempla. Deus cognoscit hoc obiectum conditionatum. *Si Petrus existeret, loqueretur*; & cætera omnia similia de conditione possibili, & absolutè non existente. Ergo concipit ex parte hypothesis existentiam Petri, & omnium similium conditionum; quæ tamen existentiæ re verâ non dantur; atque adeò figmenta sunt. Similiter Deus cognoscit hoc obiectum conditionatum: *Si secundus Deus existeret, duplex Deus existeret*; & cætera omnia similia de conditione impossibili in se conceptibili. Ergo concipit ex parte hypothesis existentiam secundi Dei, & omnium similium conditionum; quæ existentiæ re verâ non dantur, atque adeò figmenta sunt. 73

Omnia igitur figmenta per proprias species, atque adeò in se conceptibilia concipiuntur à Deo, tum ex vi cognoscendi aliquas cognitiones creatas ad illa terminatas; tum ex vi cognoscendi alias veritates obiectiuas; quæ sine illis nequeunt cognosci; cuiusmodi sunt, tum veritates negatiuæ, quæ eorum existentiam remouent; tum veritates conditionatæ, quæ dantur sub hypothesi existentiæ eorum. Porrò figmenta per proprias species, atque adeò in se conceptibilia dumtaxat sunt existentiæ fictæ rerum in se conceptibilium tam possibilium, quàm impossibilium. Nam cætera earum prædicta fictitia non ad statum existentialem; sed ad quiditatiuum spectantia, vt quando concipitur possibile, 74

quod est impossibile, & impossibile, quod est possibile, &c, non sunt conceptibilia in se, sed tantùm in subsituto alieno, vtpote inuoluentia in conceptu suo aut identitatem fictitiam extremorum in se distinctorum, aut distinctionem fictitiam extremorum in se identificatorum, quæ in se non sunt conceptibiles, iuxta *superius* dicta.

75 Dices. Non minùs identificatur existentia cum re existente, quàm possibilitas cum re possibili. Ergo si per propriam speciem non potest concipi possibilis res, quæ in se non est possibilis, neque poterit concipit existens res, quæ in se non est existens. Concesso antecedente; nego consequentiam. Quia concipere existentem rem verè non existentem non est identificare illi formalitatem, quam secum re ipsâ identificatam non habet, sed ponere illam cum omnibus, & solis suis formalitatibus in statu, in quo verè non est; nimirum in existentiali. Quod bene per species proprias præstari potest. At concipere possibilem rem in se non possibilem est identificare illi formalitatem, quam secum re ipsâ identificatam non habet, quod nequit per proprias species fieri, vt ponimus ex *locis citatis*. Etenim esse rem existentem non est habere ex conceptu suo quiditatem, quam non haberet, si non esset existens; sed tantum habere statum, quem non haberet, scilicet existentialem. Esse verò rem possibilem, habere quiditatem est ex conceptu suo, quam non haberet, si non esset possibilis, iuxta doctrinam suprà expositam *disput. 10. quæst. 1.* Quo fit, vt res non existens cum totâ suâ quiditate, atque adeò etiam cum existentiâ secum ex conceptu suo identificata concipi possit per speciem propriam. Quo casu existentia eius defectu status existentialis, quem non habet, conficta erit; cùm tamen res non possibilis, si concipiatur cum totâ suâ quiditate, prout per speciem propriam debet, possibilis concipi nequeat, vtpote quæ ex conceptu suo, nec per possibilitatem identificatam secum, nec aliter vllomodò possibilis est.

76 Hactenus dictum esto de figmentis positiuis per proprias specias conceptibilibus, de quibus potissimum est sermo in præsenti propositione. Iam de negatiuis dico breuiter, eatenus etiam sub diuinum intellectum cadere, quatenus Deus sub eorum hypothesi multa obiecta conditionata habentia in se veritatem citra omne dubium cognoscit, tum de possibili, tum de impossibili conditione. Cognoscit enim hæc, & similia: *Si Adamus non peccaret, Christus non veniret: Si Iudas natus non esset, melius ei fuisset: Si Deus non existeret, cuncta deficerent*, &c. In quibus ex parte hypothesis negatio existentiæ non vera, atque adeò fictitia ponitur, sub apprehensionemque subinde Dei remotiuam, seu negatiuam facientem talem hypothesim cadit. Negatio quippè à nullo intellectu cognoscente per proprias species potest cognosci positiuè, vt *dispnt. 6. quæst. 3.* statum est. Vnde patet, Deum independenter à cognitione creatâ cognoscere huiusmodi negatiua figmenta: dependenter autem non videtur item illa cognoscere; sicut cognoscit positiua: Quia ex vi cognoscendi cognitionem creatam de quouis eorum habitam per speciem alienam, non tenetur illud cognoscere (sicut nec tenetur cognoscere figmentum positiuum, iuxta *superius* dicta) siue positiua sit, siue negatiua talis cognitio. Ex vi autem cognoscendi cognitionem creatam de quouis eorum habitam per speciem propriam, quæ solum negatiua esse potest, iuxta dicta nuper, solùm tenetur Deus cognoscere positiuè rem positiuam veram, cuius illa naturâ suâ negatio intentionalis est: quia solùm ad talem rem dicit eiusmodi cognitio respectum recessiuum, quo negat illam; non verò tenetur Deus rem ipsam suâ cognitione negare, siue negatiuè cognoscere, prout opus erat, vt figmentum negatiuum sub diuinam caderet cognitionem. Quæ omnia ex dicendis *Tract. de scientia*, *de natura diuinarum cognitionum* amplius constabunt.

## *Propositio 4.*

Entia rationis ficta per proprias species conce- 77
ptibilia per nullum iudicium, quâ tale; sed tantùm per simplicem apprehensionem cognoscuntur à Deo.

Imprimis enim figmenta positiua per iudicium affirmatiuum nequeunt cognosci à Deo: quia cùm verè non sint, vt cognoscuntur, atque adeò obiecta quædam de suo falsa sint, vt constat ex hactenus dictis, si Deus iudicio suo affirmaret illa, planè falleretur: Quod ei repugnat manifestè: Quo eodem titulo figmenta negatiua iudicatiuè, seu per iudicium negatiuum à Deo cognosci non possunt: quia falleretur pariter. Deinde figmenta positiua per iudicium negatiuum prout tale nequeunt cognosci à Deo: quia sub iudicium negatiuum diuinum, quod necessario est verum, sola veritas obiectiua negatiua cadere potest, quæ non in positione, sed in remotione obiecti negati consistit, vt est notissimum. Et licèt obiectum, quod negatur non possit non intellectui repræsentari, atque adeò positiuè concipi, vt negetur; huiusmodi tamen positiua obiecti negandi conceptio, nequit non esse in Deo apprehensio simplex, ne Deus per illam fallatur, iuxta dicta nuper; siue illa sit cum iudicio negatiuo identificata, siue distincta, & præuia ad illud, quâ ratione diuini actus inter se distinguuntur. Vnde etiam patet, figmenta negatiua per iudicium positiuum diuinum cognosci non posse: quia huiusmodi iudicium prout tale solùm habet pro obiecto veritatem positiuam, quam adstruit, vt satis ex se notum est. Nullum ergo figmentum iudicatiuè potest cognosci à Deo; sed tantùm simpliciter apprehensiuè, vt propositio nostra fert.

Supponimus autem in doctrina datâ, iudicium 78
negatiuum Dei cognitionem esse recessiuam naturâ suâ ab obiecto positiuo, quod negat: quâ ratione de iudicio nostro negatiuo philosophati sumus *suprà disp. 2. q. 4.* neque aliter, quàm per recessum ab obiecto positiuo negato posse iudicari à Deo veritatem negatiuam oppositam, vt tum *ibidem*, tum maximè *disp. 9. q. 3.* ostensum est. Idemque esse de apprehensione simplici Dei facienti hypothesin negatiuam, iuxta dicta etiam de nostrâ *disp. 2. q. 2. diuis. 2.* De quibus plura sunt dicenda *in Tract. de scient.*

Confirmo, & declaro ampliùs propositionem: 79
Nam figmenta prædicta eatenus solum concipiuntur à Deo, quatenus sine illis conceptis aliquas veritates Deus nequit cognoscere; alioquin superuacaneum, & imperfectum esset ea concipere; quandoquidem non sunt vera obiecta, atque adeò neque cognoscibilia à Deo iudicatiuè, vtpotè, qui vera solùm obiecta iudicare potest. Vel ergo huiusmodi veritates sunt conditionatæ, ita, vt earum conditiones sint dicta figmenta; vel sunt absolutæ, relatæ tamen aliquo modo ad figmenta ipsa

(aliùs

(aliùs enim generis esse non possunt, vt sine conceptis figmentis cognosci nequeant) si sint veritates prioris generis, compertum est, dum eæ iudicantur, figmenta, quæ sunt conditiones non iudicari, sed tantùm poni in hypothesi per simplicem apprehensionem, iuxta dicta *disp. 2. q. 2.* & *disp. 10. q. 1.* si autem sint posterioris generis, vt eæ iudicentur, non debent iudicari figmenta, ad quæ referuntur; sed tantùm simpliciter apprehendi, iuxta doctrinam de cognitione relatiuorum datam etiam *suprà disp. 2. q. 3.* Tametsi illa aliàs essent iudicabilia à Deo, qualia non sunt, vtpotè obiecta ex se falsa, vt vidimus.

80 Stat itaque Deum non iudicatiuè, sed apprehensiuè dumtaxat cognoscere quæcunque entia rationis cognoscit, siue ea dependenter à cognitione creatâ ipsorum, siue independenter cognoscat. Ex quo patet contra aliquos ex Auctoribus suprà relatis, Deum nec per assensum, nec per dissensum cognoscere vlla entia rationis. Quòd autem huiusmodi apprehensiones simplices, quibus Deus concipit dicta entia rationis absque vllâ imperfectionis labe conueniant Deo; vtpote, quæ prorsus sunt immunes ab omni deceptione, & fallaciâ, ab omnique obscuritate, & confusione, eo quòd nulla apprehensio simplex capax est falsitatis, iuxta doctrinam statutam *disp. 3.* clarissimaque, & perfectissima potest esse in suo genere, tametsi circa obiectum fictum versetur; ex dicendis *Tract. de scient.* conspicuum fiet.

81 Verum contra doctrinam statutam obiici potest primò. Deus omnia cognoscit, vt sunt in se, nec aliter, quàm sunt in se cognoscere valet: sed figmenta entia rationis non est in se, vt cognoscitur, atque adeò, vt est obiectiuè in mente illud cognoscentis. Ergo nec per simplicem apprehensionem, potest cognosci à Deo; aliàs huiusmodi apprehensio aut esset falsa, aut principium falsi iudicij, quorum vtrumque Deo repugnat. Vt luculentiùs respondeam noto: bifariam dici posse aliquid cognosci aliter quàm est in se. Primò, quia cognoscitur per speciem alienam, & instar alterius obiecti, siue id, quod cognoscitur sit quid verum, vt Angelus; siue quid fictum, vt alter Deus. Secundò: quia cognoscitur ac si esset, cùm verè non sit; sed fictitiè, vt quando cognoscitur alter Deus existens, siue per propriam, siue per alienam speciem. Similiter bifariam dici potest aliquid cognosci, vt est in se. Primò: quia, quod cognoscitur re verâ est, vti cognoscitur, eodemque prorsus modo in se ipso, quàm obiectiuè in cognitione se habet. Secundò: quia licèt id quod cognoscitur re verâ non sit, representatur tamen per propriam, adeóque claram, & intuitiuam speciem, vt eodem prorsus modo appareat cognoscenti ac esset in se re verâ, casu, quòd esset. Hoc posito, respondeo ad argumentum, Deum non posse cognoscere aliquid aliter, quàm sit in se priori modo; bene tamen posteriori. Quia cognoscere aliquid per speciem alienam, & instar alterius obiecti, vti nos pro hoc statu cognoscimus, imperfectionem præ se fert alienam à Deo. Apprehendere verò, ac sibi repræsentare aliquid, quod verè non est, vt iudicetur, quod verè est, potiùs est perfectio Deo necessaria; ita tamen, vt quod sic apprehenditur, siue repræsentatur, vt est in se repræsentetur, iuxta secundum modum, hoc est, clarissimè, & intuitiuè, ac veluti per propriam speciem; non verò, vt est in se, iuxta primum modum, qui solùm pro iudicio est Deo necessarius, ne fallatur; non itidem pro simplici apprensione, quæ nec est capax falsitatis, nec est per se principium iudicij falsi adhuc in nobis, qui semel apprehenso figmento indifferentes manemus ad ei dissentiendum per iudicium verum, aut assentiendum per falsum. In Deo tamen neque hæc indifferentia habet locum, cùm Deus non sit capax iudicij falsi. Ex quibus liquidò apparet, quo sensu sit verum, Deum omnia cognoscere, vt sunt in se, & quo sensu concedi possit cognoscere eum, seu apprehendere figmenta aliter, quàm sunt in se.

Deinde obiici potest. Veritas realis, & extra 82
intellectum cognoscentis subsistens non potest in suo esse pendere à figmento non subsistente. Ergo nec potest ab illo pendere in cognosci: Ergo nullas est veritas, quam Deus non possit cognoscere independenter à figmentis. Ergo Deus non cognoscit figmenta; quandoquidem eo dumtaxat titulo asserebatur illa cognoscere: quia non potest, illis ignotis, aliquas cognoscere veritates. Confirmatur: quia obiecta ista: *Secundus Deus non existit: si Petrus existeret, loqueretur: si Deus non existeret, cuncta deficerent*, & cætera similia, verissima in se sunt independenter ab omni cognitione fingente, & consequenter ab omni figmento, quod, seclusâ cognitione fingente, prorsus est nihil. Ergo Deus independenter etiam à figmentis cognoscit illa, subindéque non habet titulum cognoscendi figmenta.

Respondeo: veritates absolutas per se respecti- 83
uas aliquo modo ad figmenta, iuxta *superiùs* dicta, eo ipso non posse non ab illis pendere quoad cognosci, quamuis non dependeant quoad esse: quia nulla relatio potest cognosci sine termino, quem per se respicit; & aliquæ sunt relationes, siue conceptus respectiui, qui quoad esse non dependent a termino: quia possunt esse sine illo; imò sæpè petunt, illum non dari, vt in negationibus tum obiectiuis, tum intentionalibus, in aliisque huiusmodi cernere est Et hac ratione respiciunt veritates prædictæ figmenta. Veritates autem conditionatæ sub conditione figmentorum interdum dependent quoad esse ab illis conditionatè, quatenus si existerent illa, ab illis penderent: interdum non dependent propter oppositam rationem, iuxta dicta de veritate conditionatorum *disputat. 10.* Semper tamen dependent, quoad cognosci: quia aliter, quàm sub eorumdem figmentorum hypothesi nullatenus sunt cognoscibiles, seu iudicabiles, hoc ipso, quod sunt veritates conditionatæ sub conditione ipsorum. Veritas enim conditionata vt talis ex connotato dicit conditionem ex parte hypothesis suppositam; siue illam insuper respectu intrinseco respiciat; siue secus, quod ad rationem veritatis conditionatæ impertinens est, vt etiam constat ex dictis *disputat. 10.* ampliúsque constabit ex dicendis *in Tractat. de scient.* Cum quo stat huiusmodi veritates, quâ ratione sunt à parte rei habere esse independenter ab omni cognitione fingente: quia sublatâ omni cognitione, re ipsâ loqueretur Petrus, si existeret, verumque subinde est veritate obiectiuâ, fore vt ille loqueretur, sub conditione, quod existeret. Nam esse aliquid re ipsâ sub conditione nihil est aliud, quàm esse stante conditione, quæ aliàs non stat; quod sine connotatione existentiæ conditionis aliàs non existentis constare non potest; proindeque; neque cognosci, non apprehensâ, & suppositâ, vt existente conditione, quæ aliàs non existit,

aut absolutè, aut pro aliquo signo, in quo, vt existens connotatur, & apprehenditur, iuxta doctrinam tum tum datam dictà *disp.* 10. tum dandam *in Tract. de scient.* Ex quo ad confirmationem patet, obiecta illa, quæ proponuntur, vera quidem esse independenter ab omni cognitione fingente, non tamen sine aliquo genere respectus, siue connotationis ad id, quod est obiectum cognitionis fingentis, quodque figmentum appellamus.

84 Instabis. Etsi existentia Petri absolutè sit figmentum, quatenus Petrus absolutè non existit, vt ponitur, conditionatè tamen verum quid est terminans verum iudicium Dei, quatenus verum est, Petrum extiturum, si existeret. Ergo etsi existentia Petri absolutè sit figmentum, prout in hypothesi, erit etiam quid verum. Ergo Deus titulo iudicandi veritates conditionatas de conditionibus absolutè fictitiis nullum apprehendit figmentum. Concesso antecedente, nego vtramque consequentiam: quia, quod absolutè est fictitium, prout positum in hypothesi non est quid verum, tametsi conditionatè, prout subest alicui hypothesi, quid verum sit. Obiectum enim apprehensionis constituentis hypothesim, vt tale non est quid verum, sed quid suppositum, & fictum, cùm per talem apprehensionem potiùs supponitur esse, quod verè non est, quàm apprehendatur, quod est; cùm tamen per iudicium hypotheticum, quod verum est conditionatè ex factâ hypothesi iudicetur. Et quidem nihil esse verum, nisi vel absolutè, vel conditionatè manifestum est: quia nihil est verè iudicabile nisi aliquo ex his modis. sed obiectum apprehensionis constituentis hypothesim, vt tale non est conditionatè verum, cùm, vt sic non supponat aliam hypothesim: ergo si absolutè non est verum, vt ponimus, prout conceptum per talem apprehensionem fictitium remanet, atque adeò per talem apprehensionem non quid verum, sed quid fictitium apprehenditur. Ex quo patet, eam in suum obiectum absoluto quodam modo, atque suppositiuo tendere: cùm tamen iudicium hypotheticum merè conditionatè tendat in suum. Cum quo benè componitur, idem obiectum posse vtrumque actum terminare ita, vt idemmet sit conditio, & conditionatum, quod subinde vt est obiectum apprehensionis facientis hypothesim, quid fictum; vt autem est obiectum iudicij conditionati, quid conditionatè verum poterit esse, vt patet in illo exemplo posito.

85 Denique obiicitur, Deus neque simplici affectu versatur circa figmenta: Ergo neque simplici cognitione cognoscit illa. Imprimis antecedens est falsum; nam Deus aliquo affectu siue amoris, siue odij potest circa figmenta versari, vt dicendum *suo loco*; sed, admisso antecedenti, negari potest consequentia, dicendo, obiectum diuinæ voluntatis dumtaxat esse bonum, aut malum verum; non itidem fictum. Diuini verò intellectus etiam ens fictum esse obiectum, eo quòd diuina voluntas non eget amore, aut odio figmenti, vt aliquam veram bonitatem possit amare; sicut diuinus intellectus eget apprehensione figmenti, vt aliquam veritatem possit cognoscere, ob diuersam, quam habent naturam istæ potentiæ, & earum actus. De quo discrimine latè agam *in Tract. de volunt.*

86 Ex quibus omnibus apparet, quænam entia rationis ficta cognoscat Deus, & quâ ratione. Superest tamen modò determinandum, an, & quâ ratione illa facere, seu fabricari dicendus sit. Quæ quidem controuersia parui momenti, & ferè de modo loquendi est, supposito, quòd Deus cognoscit eiusmodi entia rationis, prout statuimus, in quo de re ipsâ, & grauior difficultas erat.

## *Propositio 5.*

Deus omnia entia rationis ficta, quæ cognoscit 87
dicendus est facere: imò, si cum rigore, & proprietate loquendum sit, seruata exactè analogiâ ad entia realia, iuxta quam de entibus rationis philosophamur, solus Deus dicendus est facere talia entia rationis, creaturas verò dum ea cognoscunt iam supponere facta.

Quoniam per eam dumtaxat cognitionem censendum est fieri ens rationis, per quam primò cognoscitur quoad esse fictitium; aliæ enim cognitiones eius, quæ subsequuntur, non faciunt, sed supponunt factum, vt *suprà quæst.* 1. *num.* 19. statutum est: sed cognitio diuina de quouis dictorum entium rationis quoad esse fictitium prior est tempore, imò æternitate, quam omnis de eodem cognitio creata, vt constat: igitur talia entia rationis per solam cognitionem diuinam, non item per creatam, & consequenter a Deo solo dicenda sunt fieri. Loquor autem de cognitione diuinâ habente pro obiecto ens rationis quoad esse fictitium; nam, quæ habet pro obiecto ens rationis quoad esse intentionale, seu potius quoad præsentiam intentionalem, quam illud habet, aut potest habere in intellectu creato prout terminata ad talem præsentiam intentionalem præcisè non est factiua entis rationis: quia, vt sic non habet pro obiecto aliquid fictum; sed aliquid verum, nimirum cognitionem creatam aut existentem, aut possibilem de ipso ente fictitio.

Adde, si quoduis ex dictis entibus rationis tangit 88
Deus pluribus cognitionibus quoad esse fictitium, iuxta doctrinam vniuersalem de multiplicatione actuum scientiæ diuinæ circa idem obiectum tradendam *in Tract. de scient.* Videndum esse, iuxta ibi dicenda, an istæ cognitiones aliquem ordinem habeant prioris, & posterioris, an secus. Nam si habent ordinem, sola cognitio, quæ fuerit prior aliis, efficiet ens rationis; posteriores verò non item; sed supponent factum, iuxta dicta. Si verò non habent ordinem; sed comitanter se habent, per omnes eas simul dici poterit fieri ens rationis: quia se habebunt sicut plures causæ concurrentes ad dandum esse eidem effectui. Et hæc, siue omnes istæ cognitiones de ente rationis ab intellectu diuino conceptæ sint independenter à cognitione creatâ de eo, siue aliquæ conceptæ sint dependenter. Per vtrumque namque cognitionum genus potest ens rationis quoad esse fictitium concipi à Deo; atque adeò etiam fieri, si non supponatur factum per præuiam aliquam cognitionem eiusdem Dei.

Obiici tamen solet primò contra propositionem. 89
Effectio entis rationis est cognitio confusa habita per species alienas, & abstractiua, qualis in nobis reperitur, qui ob id plura entia rationis facere cogimur; quia cognitio nostra adeò imperfecta est, non facturi profectò, si res prout sunt in se clarè, & perfectè aspiceremus: Ergo Deus, cuius cognitio summè perfecta est, non potest ens rationis efficere. Respondeo titulo cognitionis imperfectæ habitæ per species alienas, qualis est nostra, à nobis quidem solis, non item à Deo fieri omnia entia rationis supposititia; atque ea etiam ficta, quæ à cognoscentibus per proprias species concipi nequeunt. Esse tamen alia entia rationis ficta, quorum effectio cognitioni abstractiuæ, & obscuræ propria non est; sed cognitioni intuitiuæ, & claræ, qualis est diuina

potest

potest competere. Deus enim non solùm potest, sed etiam tenetur eiusmodi figmenta concipere, siue apprehendere ad plures veritates capiendas, & iudicandas, quæ sine illis apprehensis iudicare non posset. Hoc autem ipso, quod illa concipit, longè antequàm concipiantur ab omni creatura, illa vtique se solo facere dicendus est. Quæ omnia ex dictis in superioribus satis sunt nota.

90 Secundò obiicitur. Effectio entis rationis est fictio quædam: sed Deo tribuere fictionem absonum est. Ergo non est dicendus Deus entia rationis facere. Respondeo, nullum esse inconueniens, si asseramus, Deum fingere entia rationis, quatenus verbum *fingo* significat idem, quod *formo*: quatenus verò significat idem, quod *mentior*, aut *fallor*, neutiquam est Deo tribuendum. Impossibile quippe est, Deum esse mendacem, aut falli. Quanquam enim nos ob nostram imperfectionem multa figmenta attingamus per iudicium falsum, multa etiam falsò proferamus, atque ita fallamur, & mentiamur, fingamusque in hoc sensu; Deus tamen nullum figmentum tangere potest iudicatiuè; sed tantùm per simplicem apprehensionem incapacem veritatis, & falsitatis, ab omnique proinde fictione huius generis prorsus immunem.

## DISPVTATIO XIII.

### *De identitate, & distinctione entium, seu rerum, atque adeò obiectorum intellectus humani.*

1 IN hac disputatione primùm de identate, & distinctione rerum in vniuersum agam; deinde de identitate, & distinctione obiectorum humanæ intellectionis, quâ talium. Et quoniam non solùm entia realiter inter se distincta; sed etiam formalitates cuiusuis entis siue creati siue increati obiecta sunt intellectionis humanæ, de vtrorumque identitate, & distinctione agendum præsentiarum est. Dicuntur autem formalitates eiusdem entis, quæ veluti partes sunt eius ratione, seu conceptione nostrâ: Cuiusmodi sunt in homine prædicata substantiæ, viuentis, sensibilis, rationalis, admiratiui, risibilis, &c. Et in Deo prædicata increati, æterni, immensi, boni; sapientis, omnipotentis, iusti, &c. attributa Dei dici solent.

## QVÆSTIO I.

### *Quid sit identitas, & quotuplex?*

2 DVplex imprimis identitas est distinguenda, formalis vna; fundamentalis alia. Identitas formalis nihilo differt ab actu essendi substantiuo significato per verbum *esse* substantiuè vsurpatum, vti vsurpatur cùm dicimus: *Petrus est rationalis*, aut *Petrus est Petrus*. iuxta dicta *disput. 9. quæst. 1.* perinde quippe est asserere: *Petrus est rationalis*, aut *Petrus est Petrus*, atque asserere: *Petrus est idem cum rationali*, aut *Petrus est idem cum Petro* seu *cum se ipso*. Fundamentalis autem identitas ipsa est essentia cuiusque rei, cuiusque ve obiectiui conceptus, accepto hoc nomine *essentia*, vt iam communiter accipitur, pro eo quod vnumquodque est in se; non verò pro dicto actu essendi substantiuo à formali identitate indistincto, quem ex suâ primâ etymologiâ significabat; vt pluribus explicatum est *supra dicta disput. 9. quæst. 1. & 2.* Appello autem essentiam identitatem fundamentalem: quia quodlibet hoc ipso, quod habet essentiam, est id, quod est; atque ita fundamentum præbet, vt intellectus noster illud aut sub eodem, aut diuersis conceptibus apprehensum, ad ipsummet comparet, siue de ipsomet prædicet per actum essendi substantiuum, in quo consistit formalis identitas.

3 Solet autem identitas frequenter per negationem distinctionis significari, eo quod non possunt non esse identificata ea, quæ sunt non distincta, seu indistincta: quia tamen distinctio duplex excogitari potest, iuxta postea dicenda; alia positiua consistens in actu positiuo, quo dicitur vnumquodque distingui ab alio: alia negatiua consistens in negatione identitatis, quâ dicitur vnumquodque non esse aliud. Idcircò indistinctio, per quam significatur identitas, bifariam venit vsurpanda. Primò: pro negatione distinctionis positiuæ; secundò: pro negatione distinctionis negatiuæ. Ex quibus duabus indistinctionibus, secunda ipsissima est formalis identitas, quam *num. 2.* exposuimus. Explicata tamen, conceptaque à nobis per modum negationis sui contradictorij, vti lux per negationem tenebrarum, & visus per negationem cæcitatis, & quouis extremum contradictionis positiuum per negationem negatiui explicari, & concipi potest, sæpeque solet; eo quòd quodlibet eorum apud nos formalis exclusio, & siue remotio, siue negatio alterius est, iuxta dicta *disput. 4. num. 69. & 80*, Prima verò dictarum duarum indistinctionum non formalier, sed illatiue duntaxat, atque adeò impropriè appellanda venit identitas, quatenùs, quæ non sunt distincta positiuè consequenter nequeunt esse identificata; sicut, quæ non sunt dissimilia positiuè, consequenter nequeunt non esse similia; & quæ non sunt positiuè inæqualia, consequenter nequeunt non esse æqualia, iuxta dicenda latiùs, *quæst. 2.* Vnde patet solam indistinctionem oppositam distinctioni negatiuæ venire identitatem dicendam, propriè loquendo; si tamen distinctio aliqua negatiua, quæ propriè sit talis sit astruenda. De quo *quæst. 2.*

4 Ex quibus colligitur primò: identitatem formalem bifariam posse, solereque concipi à nobis; positiuè videlicet; vt actus essendi substantiuus, qui identitas dicitur; & negatiuè, vt negatio sui contradictorij, quæ indistinctio appellatur. Vtroque autem modo concepta eadem obiectiua formalitas censenda est, iuxta doctrinam vniuersalem tradendam *infrà quæst. 9.* Vndè constabit, quomodò eadem obiectiua formalitas diuersis modis etiam obiectiuis concipi possit.

5 Secundò colligitur: identitatem formalem vtrouis dicto modo sumptam relationem quamdam esse ex conceptu suo: quia vtrouis dicto modo sumpta actus quidam est ex conceptu suo aut positiuus, aut negatiuus; omnis autem actus, ex suo concepta relatio quædam est, siue respectus subiecti ad terminum iuxta doctrinam suprà statutam *disput. 8. quæst. 2.* Vnde infero, non bene Soar. *disputat. 7. Metaph. sect. 3.* diuisisse identiatem in relatiuam, & negatiuam, quasi indistinctio, quam ipse appellat identitatem negatiuam, conceptus relatiuus non sit. Meliùs profectò diuisisset in positiuam, & nega-

tiuam ; ita tamen, vt per hæc membra diuisionis non tam diuersæ identitates, quàm diuersi modi significandi,& concipiendi eamdem intelligerentur, iuxta dicta.

9 Tertiò colligitur : identitatem formalem non solùm esse respectiuam, quando versatur inter extrema diuersa, quo casu actus quidam est rectus ; sed etiam quando est identitas,quâ vnicus simplex conceptus idem est sibi, quo casu actus quidam est circularis ; iuxta *diuis.* 2. actuum traditam *disput.* 8. *quæst.* 2. Quia cùm in vtroque casu sit actus, non potest non esse respectiua ad subiectum, & terminum. Ex quo patet, Scot. non benè illam appellasse relatiuam in primo casu, in secundo verò absolutam, vti referunt Heruæus *quodl.* 4. *quæst.* 2. Sonc. 10. *Met. quæst.* 5. & Iauel. *quæst.* 7. Minùs tamen benè docuit, vt iidem testantur,eiusmodi duas identitates re ipsâ esse distinctas, fundates haud dubiè in illâ suâ doctrinâ de distinctione formali ex naturâ rei quam putat inter formalitates realiter identificatas à parte rei rei interuenire. De quo tractandum latè *infrà quæst.* 5.

7 Vtrum autem relatio, quam secum fert formalis identitas, sit realis, vel rationis, suam quæstionem habet. S. Th. *part.* 1. *quæst.* 28. *artic.* 2. *ad* 2. ait *Quòd relatio, quæ importatur per hoc nomen idem est relatio rationis tantum.* Consentit Soar. *sec. illa* 3. *citata num.* 2. docens, identitatem formalem tantùm dicere relationem rationis. *Quæ sententia,* inquit, *certa est, & communis* ; eamque probat : quia eiusdem ad se ipsum non potest esse relatio realis. Sed non benè ; nam,vt notauimus *disput.* 8. *quæst.* 3. *diuis.* 2. *cit.* nihil vetat esse relationem realem eiusdem ad se ipsum. Ego ex vniuersali ddctrinâ datâ *disput.* 2. *quæst.* 3. *consect.* 7. & rursus *disput.* 12. dico,relationem,quam ex proprio actus conceptu importat identitas formalis, rationis quidem esse vniuersè,non tamen fictam ; sed suppositiam, conuenientem scilicet identitati à phantasmate substituto proprio respectuum, seu relationum, per quod illa concipitur. Identitas verò ipsa formalitas realis erit, quando identitas fundamentalis, cui nititur, fuerit eiusmodi ; quando verò hæc rationis dumtaxat, aut etiam ficta fuerit,iuxta diuisionem tradendam postmodum, eamdem fortunam identitas formalis subibit,vt satis ex se notum est.

8 Iam verò identitas sumpta vniuersè duplex imprimis est : alia realis, & alia rationis. Realis, quæ in rebus ipsis reperitur independenter à conceptione nostri intellectus. Rationis, quæ per rationem nostram, siue per actum nostri intellectus rebus tribuitur. Hæc autem rursus est duplex : alia suppositiua ; quam habent res in mente nostrâ, quando cùm in se sint plures, sub vno phantasmate sensibili adunatæ vnum nobis apparent, prout fusiùs explicatum est *suprà disput.* 2. *quæst.* 3 & rursus *disp.* 12. In idem quippe recidit apparere nobis res plures vnum, & apparere idem, identitate videlicet fundamentali,a quâ rursus prouenit, vt etiam identitate formali identificatæ prout sunt in mente nostrâ obiectiuè concipi possint. Identitas autem rationis ficta ea est, quam noster intellectus appingit rebus realiter distinctis, dum illas concipit identificatas realiter, quales non sunt re verâ, idque siue fundamentali, siue formali identitate. Vide dicta *locis citatis* de discrimine entis rationis suppositiui, & ficti.

9 Eorum autem,quæ sunt idem realiter Arist. *lib.* 5. *Met. cap.* 9. quædam dixit esse idem secundum accidens, vt quando vnum de altero prædicatur sub concreto adiectiuo. Quocirca illa per se erunt idem, quæ substantiuè sumpta inuicem prædicantur medio actu essendi substantiuo, iuxta diuisionem entis, essentiæque per se, & per accidens, quam explicuimus *disp.* 9. *quæst.* 2.

Mitto aliam identitatem, quam Scotus inter absolutè realem, & rationis mediam excogitauit,oppositam distinctioni formali ex natura rei, quam ipse etiam inuexit. Vtramque enim esse impossibilem *infra quæst.* 5. ostendendum est. Cæterùm,quia *quæst.* 6. distinctio quædam realis æquiualens tantum, seu virtualis inter aliquas Dei formalitates est adstruenda, identitas talis distinctioni opposita venit itidem adstruenda in præsenti, qua scilicet extrema realiter formaliter identificata insuper sunt identificata realiter virtualiter, quatenus realiter virtualiter distincta non sunt. 10

## QVÆSTIO II.

### *Quid sit distinctio, & Quotuplex?*

COnueniunt omnes, ea esse inter se distincta, 11
quorum vnum non est aliud, neque è conuerso. Ita Soar. *disputatione* 7. *Metaph. sect.* 1. Petr. Hurt. *disputatione* 6. *Meta. sect.* 1. Arriag. *disputatione.* 1. *Metaph.* Ouied. *controu.* 4. *Metaph. punct.* 1. & reliqui ; sed difficultas est in quo consistat formaliter distinctio. Certum est apud omnes, eam non esse aliquid reale positiuum rebus distinctis superadditum. Si namque Petrus per aliquid positiuum superadditum sibi distingueretur : à Paulo, eodem iure, vt distingueretur ab eo positiuo alio positiuo opus esset ; dareturque infinita progressio entitatum positiuarum,quod est absurdum à quarum tandem integrâ collectione non posset non Petrus distingui sine alio superaddito positiuo. Quo tota illa superflueret. Hoc posito Petr. Hurt. supra putat distinctionem nihil esse aliud adhuc formaliter ab extremis, quæ distingui dicuntur : tametsi non possit illa explicari à nobis nisi per negationem identitatis, qua hoc dicitur non esse illud. Consentit Arriag. *suprà* & idem ex professo docet Ouied. *supra num.* 3. atque etiam *controu.* 3. *Metaph. punct.* 1. S.Th. verò 1. *part. quæst.* 11. *artic.* 2. & *quæst.* 9. *de Potent. art.* 7. & *in* 1. *dist.* 5. *quæst.* 1. *art.* 1. & *dist.* 24. *q.* 1. *art.* 1. *sæpeque alibi.* Soar. *suprà* & alij docent distinctionem sumptam formaliter in negatione identitatis extremorum distinctorum consistere.

Ego duplicem imprimis distinctionẽ distinguendam censeo ( vti dixi de identitate ) fundamentalem scilicet, & formalem. Fundamentalis nihil est aliud ab ipsis extremis distinctis ab ipsisve eorum essentiis, quemadmodum similitudo, dissimilitudo, æqualitas, aut inæqualitas fundamentalis nihil est aliud ab ipsis extremis similibus, dissimilibus,æqualibus, aut inæqualibus, iuxta doctrinam vniuersalem tradendam *disput.* 14. Distinctio autem formalis,quæ in eo conceptu obiectiuo ponenda est,quem nos de distinctione formamus,iuxta dicenda ibidem, rursus est duplex alia positiua, alia negatiua. Positiua est actus ille obiectiuus, quo vnumquodque extremorum dicitur ab altero distingui, denominaturve distinctum ab altero, sicuti similitudo, dissimilitudo, æqualitas, aut ænequalitas formalis, & positiua, actus ille obiectiuus est, quo vnumquodque extremorum alteri dicitur assimilari, dissimilari, adæquari, aut inadæquari, denominaturve alteri simile, dissimile,æquale,aut inæquale. Distinctio 12

autem

autem formalis negatiua in negatione identitatis consistit, qua vnumquodque extremorum dicitur non esse alterum, siue non esse idem cum altero. Quemadmodum similitudo, dissimilitudo, æqualitas, aut inequalitas formalis negatiua, in negatione consistit dissimilitudinis, similitudinis, æqualitatis, aut æqualitatis, qua vnumquodque extremorum dicitur non esse alteri dissimile, simile, inæquale, aut æquale.

13 Hæc dixi solùm, vt morem gererem iis Doctoribus, qui negationem identitatis formalem distinctionem appellant. Censeo namque illam non formaliter, sed illatiuè dumtaxat, atque adeo impropriè venire dicendam distinctionem, quatenùs, quæ non sunt identificata consequenter non possunt non esse distincta. Quo pacto etiam negatio distinctionis non formaliter, sed illatiuè, atque adeo impropriè appellanda venit identitas vt *num.* 3. dicebam. Itaque cum dictinctio, & identitas citra medium ita sint inuicem opposita, vt extrema identificata necessario sint non distincta; & extrema non distincta necessario sint identificata, atque etiam vice versa. Factum est vtique, vt nomen distinctionis ad negationem identitatis, & nomen identitatis ad negationem distinctionis per translationem quamdam extensum sit. Quocirca de illis non vniuocè, sed analogicè dumtaxat venit dicendum. Et idem est ob eamdem rationem de nominibus similitudinis, & dissimilitudinis quorumuis extremorum, æqualitatisque & inæqualitatis extremorum quantorum. Vt pluribus exponemus *loco citato.*

14 Notandum est hic obiter pro vsu vocum; distingui, esse diuersum, & differre tanquam superius & inferius se habere, vt sumitur ex Arist. *lib.* 4. *Metaph. capite* 2. & *lib.* 5. *capite.* 9. & *lib.* 10. *cap.* 5. Nam ea dicuntur distingui, quorum vnum non est aliud. Ea verò esse diuersa, quæ, præterquam quod sunt distincta, adæquatè sunt dissimilia, aut etiam inæqualia. At differre, quæ in aliquo conueniunt, & per aliquid discriminantur. Verum quamquam hæc sit harum trium vocum proprietas. Si communem vsum spectes promiscuè sæpe vnam pro alia reperies vsurpatam.

15 Deinde notandum est varia ab aliquibus in præsenti signa distinctionis recenseri, quod præstat latè Soar. *supra sect.* 2. sed hoc aliud non est quàm proprietates distinctionis enumerare, quod nos præstabimus *infra quæst.* 3. dum propositiones ad distinctionem spectantes tam per se, quàm per aliud notas recenseamus.

16 Iam vero distinctio siue fundamentalis, siue formalis multifariam diuidi solet. Primò enim diuiditur in distinctionem realem, & distinctionem rationis. Distinctio realis est illa, qua vnum extremum ab alio distinguitur, siue qua vnum non est aliud à parte rei. Distinctio verò rationis est, qua vnum extremum ab alio distinguitur, siue qua vnum non est aliud per nostram conceptionem, siue prout menti nostræ apparent: cum tamen à parte rei idem sint. Exemplum prioris sit distinctio, qua à parte rei Petrus distinguitur à Paulo. Posterioris autem distinctio, quæ à nobis concipitur in eodem Petro inter animal, & rationale, ex quibus per rationem nostram, siue prout apparet nobis Petrus ipse coalescit.

17 Deindè distinctio realis in distinctionem rei à re, & distinctionem rei à suo modo diuidi solet. Res dicitur in præsenti illa entitas, quæ non est connexa essentialiter cum alia entitate, qualis est Petrus comparatione Pauli. Modus verò dicitur vniuersim entitas illa, quæ alteri entitati essentialiter, atque adeo indispensabiliter affixa est: qualis est vnio comparatione partium, quas vnit: actio comparatione agentis & termini per illam facti, & similia. Distinctio autem inter rem, & rem absolutè, & sine addito dici solet distinctio realis. Cum tamen distinctio inter rem, & modum distinctio realis modalis vocari soleat. Tametsi hoc additamentum non tollat eam absolutè & simpliciter, & cum omni proprietate realem esse. Cæterùm diuisio hæc distinctionis à varietate extremorum distinctorum desampta aliter magis vniuersaliter, atque adeo magis scientificè effici debet in hunc modum. Distinctio realis alia est inter extrema inuicem inconnexa, qualia sunt Petrus, & Paulus alia inter extrema connexa eaque siue non mutuo, qualiter se habent res, & modus; siue mutuò, vt se habent diuinæ personæ, & plura alia eiusmodi extrema citra omne dubium possibilia. Distinctio autem extremorum connexorum tot rursus modis diuidi potest, quot est connexio diuisibilis, iuxta dicenda *disput.* 14. Tum etiam distinctio realis alia est extremorum, quorum alterum dependet ab altero dependentia originis, siue causalitatis; alia extremorum, quorum neutrum ab altero tali dependet dependentia. Tum denique distinctio realis alia est extremorum inter se oppositorum; alia extremorum non oppositorum inter se. Quarum prima tot rursus modis diuidi potest, quot potest diuidi oppositio, iuxta dicenda etiam *loco citato.*

18 Sed est dissidium hic inter aliquos, an sit dicenda dinstinctio realis, & actualis illa, cuius alterum extremum aut non est actu, aut etiam est impossibile; quo pacto ego distingui dicor à leone purè possibili, & à chymera impossibili. Qua in controuersia mihi est certissimum quo iure quibusuis essentiis non existentibus, aut etiam impossibilibus alia prædicata necessaria absolutè, & per verbum de præsenti possunt, atque solent attribui in sensu videlicet reali quiditatiuo, iuxta doctrinam generalem traditam *supra d.* 10. Vt cum Petrus purè possibilis dicitur esse rationalis, esse risibilis, &c. & quæuis chymera impossibilis dicitur esse impotens ad existendum, esse connexa cum duobus contradictoriis, &c. Eodem modo quibusuis omnino extremis, quorum vel alterum, vel vtrumque sit non existens, aut etiam impossibile prædicatum distinctionis in sensu pariter reali quiditatiuo absolutè posse, & debere attribui; atque etiam solere. Quo pacto de quibusuis omnino extremis diuersas essentias habentibus verissimè dicimus absolutè, illa esse distincta ex conceptu suo obiectiuo, siue quiditatiuo. quicquid sit de eorum existentia, aut etiam possibilitate. Cæterum non dicentur verè aliqua extrema esse actualiter distincta in sensu existentiali, nisi ambo sint actualiter existentia. Quia esse extrema aliqua verè distincta actualiter in sensu existentiali, est esse actualiter existentem eorum distinctionem; hanc autem vtpote ab ipsis extremis reipsa indistinctam non posse actualiter existere, quin existant ipsa extrema actualiter, compertum satis ex dictis est.

19 Dices: extrema actualiter non existentia actualiter non sunt idem. Ergo saltem distinctio formalis negatiua in negatione identitatis consistens erit existens actualiter, tametsi extrema per eam distincta actualiter non existant. Respondeo primò: negationem identitatis extremorum non existentium illatiuè tantùm, & impropriè vocari distinctionem, vt dictum est. Atque ita esto ea esset existens actualiter, non inde fieri aliquam propriam distinctio-

nem

nem talium extremorum existere actualiter. Respondeo secundo : eiusmodi negationem identitatis nullatenus esse quidpiam acta existens à parte rei, sed tantum conceptione nostra. Tum quia de omni omnino negatione est id verum, iuxta doctrinam statutam *disput. 9. q. 3.* tum quia negatio identitatis peculiari titulo est prorsus nihil à parte rei, vtpote remotio conceptus obiectiui nullam habentis essentiam in se conceptibilem, sed tantùm in substituto alieno, prout *supra disput. 10. q. 4.* & *disp. 11. q. 2.* & *disput. 12. q. 1.* & 5. expositum est. Addo tamen de extremis non existentibus verè dici in sensu existentiali negatiuo non esse identificata actualiter, sed hoc potius est eorum identitatem remouere ab actuali existentia, quam alicuius eorumdem distinctionis existentiam actualem adstruere, vt satis notum est.

20 Præterea distinctio realis in formalem,& virtualem diuidi solet. Formalis dicitur, quæ verè & propriè distinctio est faciens aliud, & aliud ; ea nimirum de qua egimus in superioribus diuisionibus. Virtualis verò appellatur, quæ reuera non est distinctio, sed quædam distinctionis æquiualentia, ratione cuius res alioquin simplicissima, & prorsus indistincta in se ita se habet in ordine ad aliquod munus, ac si distincta in se, seu multiplex esset.

21 Denique cum entia rationis æmulari soleant in omnibus entia realia, tot modis diuidi potest distinctio rationis, quot diuisimus distinctionem realem. Sed insuper satis communiter solet diuidi in distionem rationis raciocinantis, & distinctionem rationis raciocinatæ. Illa dicitur, quæ sine fundamento in rebus ab intellectu fit. Hæc verò, quæ accepto à rebus fundamento. Quo tamen iure huiusmodi diuisio increbuerit, *inferius q.* 8. notabimus ; eiusque membra exponemus, explicatius, & fusius. Amplius verò nunc distinctio rationis in suppositiam,& fictam est diuidenda consentaneè ad diuisionem similem identitatis rationis factam *numero* 8. & iuxta doctrinam vniuersalem citatam ibi, quæ ad rem etiam videnda est. De qua etiam diuisione fusius itidem *q.* 8. loquemur.

22 Postremò inter distinctionem realem & rationis absolutè vsurpatas mediam quamdam excogitauit Scotus, quam distionem formalem ex natura rei nuncupauit. Putabat enim formalitates rerum, quæ realiter sunt prorsus idem, formaliter esse distinctas re vera, & nullo id considerante intellectu. De qua distinctione fusè à nobis *quæst. 5.* contra ipsum Scotum est agendum. Etenim ex omnibus propositis distinctionibus sola quæ simpliciter, & propriè realis, maiori examine non eget, vt eius quiditas legitimè à cunctis concipiatur. De reliquis verò adhuc multa explicanda restant in subsequentibus quæstionibus.

23 Vnum tamen superest hic adnorandum : sub quouis ex prædictis generibus distinctionum insuper duplicem esse speciem. Alia enim est distinctio adæquata, siue extremorum se se inuicem excludentium, qualis est, quæ reperitur inter Petrum, & Paulum. Alia inadæquata, siue excludentis ab incluso, qualiter quoduis totum à sua parte distinctum est. Vt Petrus à sua anima, vel à suo capite.

## QVÆSTIO III.

*Quænam propositiones euidentes aut alias certæ ex terminis huius disputationis in superioribus expositis eliciantur tum inter se, tum cum terminis præcedentium collatis.*

DIco elici quæ sequuntur.

### *Propositio 1.*

Impossibile est, quod identitas, & distinctio extremorum mutuæ non sint. 24

Itaque si primum identificatur cum secundo, necesse est quod secundum vicissim identificetur cum primo : & si primum distinguitur à secundo, non potest non secundum distingui itidem à primo. In hac propositione, quæ axioma est apud omnes ex terminis notissimum, fundatur conuersio propositionum in logica celebris, & inter eius principia potissimum,aut certè ex potissimis obtinens locum. Est autem illa vniuersalissimè vera in omni identitate, & distinctione non solum reali, sed etiam rationis ; sicut regulæ conuersionis propositionum ipsi innitentes, quas tradunt logici, in omni materia sunt veræ.

### *Propositio 2.*

Quæ sunt eadem vni tertio sunt eadem inter se. 25

Hoc axioma cuius meminit Arist. *lib. 7. Topic. cap. 1. loco. 5.* ex diuinæ Trinitatis mysterio factum est omnium axiomatum celeberrimum ; eo quod ibi ex vna parte videtur fallere ; quia personæ diuinæ cum eadem natura sunt identificatæ, & inter se distinctæ ; ex alia verò parte plures Theologi anxiè contendunt illud exponere, vt sit vniuersaliter verum, nec tamen Trinitati aduersum ; prout *infrà* videbimus *quæst. 7.* Vtrum autem in eo fundetur ars syllogistica, vel secus sub controuersia etiam est, de qua *ibi.* Id modo certum, non solum in identitate reali, sed etiam in identitate rationis illud habere locum. Qua ratione autem verum est, debere esse eadem inter se, quæ sunt eadem vni tertio eadem verum est è conuerso, debere ab vno tertio distingui, quæ distinguuntur inter se, vt patet.

### *Propositio 3.*

Quidquid per se conuenit, aut non conuenit alicui subiecto, & alteri cum illo identificato conueniat etiam, aut non conueniat necesse est. Siue, quod recidit in idem. Quidquid per se verè affirmatur,aut negatur de aliquo subiecto, & de altero illi identificato affirmetur etiam, aut negetur necesse est. 26

Etenim si quid conueniens alicui subiecto alteri cum eo identificato non conueniret, aut vice versa, eidem conueniret simul, & non conueniret ; de eodemque subiecto proindè duo simul verificarentur prædicata contradictoria contra *propos. 1 statutam disput. 9. q. 5.* In hoc axiomate potius quam in præcedente ostendam *q. 7. citata* fundari syllogismos expositorios de medio singulari ; atque etiam quadamtenùs alios de medio communi. Quomodo autem illud sit accipiendum, vt etiam in Trinitate diuina possit habere locum, *ibidem* exponetur.

Quem

Quem certè habere proportione seruatâ non minus si sermo sit de identitate, & conuenientia per rationem, quam dum est de identitate, & conuenientia reali: ex dicendis in sequentibus satis constabit.

## *Propositio 4.*

28 Quod alicui semel est idem, semper, & necessario est idem. Et quod ab aliquo semel distinctum est, semper & necessario distinctum est.

Est euidens ex ipsis terminis. Cùm constet identitatem, & distinctionem realem non contingentia, sed necessaria omnino prædicata esse earum rerum, quibus conueniunt. Vndè hoc exioma in identitate & distinctione rationis, quæ contingenter rebus accrescunt, locum non habet.

## *Propositio 5.*

29 Quæ realiter idem sunt nullatenùs aut tempore, aut loco, aut subiecto separabilia sunt, & è conuerso. Quæ aut tempore, aut loco, aut subiecto separabilia sunt, realiter distincta sunt.

Tradidit hanc propositionem Arist. *lib. 7. Topic. cap. 1. loco 15.* cùm dixit. *Amplius si potest alterum sine altero esse* (scilicet in tempore, vel in loco, vel in subiecto) *non erit idem.* Et præterquam quod etiam ex terminis satis est euidens per præcedentes demonstratur. Nam si quæ sunt inter se eadem, secundum tempus separarentur, fieret vt quod alteri semel est idem, aliquando non esset idem contra *propos. 4.* si autem separarentur loco, aut subiecto, alicui subiecto conueniret, quod alteri cum illo identificato non conueniret: nempe esse in tali loco, aut subiecto, contra *propos. 3.* Tantumdémque fieret vice versa, si, quæ aut tempore, aut loco, aut subiecto separabilia sunt, realiter non essent distincta, sed idem, vt constat.

## *Propositio 6.*

30 Ea, quorum alterum ab altero dependentia originis, seu causalitatis dependet, non possunt non esse inter se distincta realiter.

Hæc propositio ad materiam de causis pertinet, ex terminisque cunctis est euidens. Annumero tamen illam hic reliquis; quia huiusmodi dependentia inter signa distinctionis realis solet hic numerari.

## *Propositio 7.*

31 Quæ omnino inseparabilia sunt non eo ipso realiter indistincta sunt.

Est clarum: quia bene possunt esse mutuò connexa siue quoad tempus, siue etiam quoad locum, & subiectum, quæ sunt realiter distincta. Quo casu omnimoda inseparabilitas extremorum cum eorum distinctione reali componetur. Connexiò quippè ex suo conceptu non aduersatur conceptui distinctionis, siue sit illa mutua, siue non mutua. Vt patet; & in personis diuinis cernere licet mutuò connexis & distinctis. Quin imo propria, & rigorosa connexio etiam mutua inter extrema distincta verari debet. Quandoquidem idem secum ipso minusque propriè connecti dicitur.

32 Vnde colliges contra nonnullos, etsi quæuis separabilitas realis sit certum signum distinctionis realis: sicut & quæuis originis, causalitatisve dependentia, à contrario verò ex omnimoda inseparabilitate reali non bene argui identitatem realem: quia possunt esse realiter distincta, vt diximus, quæ mutua dumtaxat interueniente connexione, neque separabilia sunt, neque vllam inter se dependentiam originis, siue causalitatis habent. Aduerto hic tandem alia quædam signa distinctionis realis ab aliquibus exhiberi, quæ vel subdubia sunt, vel ad separabilitatem, & dependentiam originis, causalitatisve reducuntur. Quocirca ea missa facio. Videatur Soar. *disp. 7. Metaph. sect. 2.*

## *Propositio 8.*

Identitas vniuscuiusque rei cum quopiam ad essentiam physicam pertinet talis rei; tantumdémque est de distinctione inadæquatâ vniuscuiusque rei ab alio. 33

Est clarum: quia identitas vniuscuiusque rei cum quopiam, & distinctio inadæquata eius ab alia quidpiam est identificatum realiter cum ipsa re, vt ex dictis *quæst. 1. & 2.* satis, superque est notum. Quidquid autem realiter identificatur cum re ad essentiam eius physicam pertinet, vt ex dictis *disp. 9. q. 1. & 2.* etiam liquidum est.

## *Propositio 9.*

Vbicumque est aliqua res, ibi esse identitatem eius cum quopiam, & distinctionem inadæquatam eius ab alio necesse est, & vice versâ. Et vndecumque deest aliqua res, inde deesse identitatem eius cum quopiam, & distinctionem inadæquatam eius ab alio necesse est, & vice versâ. 34

Est etiam clarum. Quia cùm identitas vniuscuiusque rei cùm quopiam, & distinctio inadæquata eius ab alio pertineant ad essentiam physicam talis rei iuxta *propos. 8.* Si alicubi esset res, & ibi talis eius identitas, aut distinctio non esset; vel vice versâ alicubi esset res, vbi non esset eius essentia, vel vice versâ contra *propos. 7. disput. 9. quæst. 5.* stabilitam. Pariterque, si alicundè deesset res, vnde talis eius identitas, aut distinctio non deesset, vel vice versâ, alicundè deesset res, vnde non deesset eius essentia, vel vice versâ, contra *propositionem eamdem.*

Hinc autem constat, in quocunque loco, tempore, statu, subiecto, aut quouis alio tertio sit res, in eodem necessariò debere esse identitatem eius cum quopiam, & distinctionem inadæquatam eius ab alio, & vice versâ. Pariterque ex quocumque loco, tempore, statu, subiecto, aut quouis alio tertiò res desit, ex eodem debere necessariò deesse dictam eius identitatem, & distinctionem, & vice versâ. 35

## *Propositio 10.*

Quæ alicubi sunt idem, vbicumque per se sint, erunt idem; Et, quæ alicubi sunt distincta vbicumque per se sint, erunt distincta. 36

Addo *per se*, vt excludam modum essendi alicubi per substituta aliena. Quæ enim alicubi non per se, sed per aliena substituta dumtaxat sunt, quatenus substituta ipsa sunt ibi subrogata pro illis, ibi ad distinctionem substitutorum poterunt dici esse distincta; tametsi alibi, vbi per se sunt, idem sint, est vice versâ.

Igitur hâc vnicâ factâ exceptione, propositio planè est certissima satisque euidens ex terminis; sed demonstrari insuper potest. Primò: quia si non 37

essent

essent vbicumque per se sunt idem, quæ alicubi sunt idem, aut non essent vbicumque per se sunt distincta, quæ alicubi sunt distincta; quæ semel sunt idem non semper, & necessariò essent idem; & quæ semel sunt distincta, non semper, & necessariò essent distincta, contra *prop.* 4. vt constat. Secundò: quia ex eadem hypothesi sequeretur, alicubi esse rem, vbi non esset identitas eius cum quopiam; aut alicubi esse rem, vbi non esset distinctio inadæquata eius ab alio, contra *propositionem* 9. vt est manifestum.

38 Ex hâc propositione constat, quæcumq; sunt idem in aliquo loco, tempore, statu, subiecto, ac demum quouis tertio, non posse non esse etiam idem in omni loco, tempore, statu, subiecto, & quouis tertio, vbi per se ipsa fuerint, & non per substituta aliena. Et quæcumque sunt distincta in aliqno loco, tempore, statu, subiecto, ac quouis tertio, non posse non esse etiam distincta in omni loco, tempore, statu, subiecto, & quouis tertio, vbi per se ipsa similiter fuerit, & non per substituta aliena.

39 Vnde veniet demonstrandum *inferiùs q.* 11. & 12. quecumque per proprias species cognoscuntur, atque adeò per se ipsa, & non per substituta aliena in mente cognoscentis sunt obiectiuè, si à parte rei sunt vnum, & idem, non posse non in eo statu obiectiuo esse vnum, & idem; & si à parte rei sunt distincta, & plura, non posse non in eo statu obiectiuo esse distincta, & plura. Quod ipsum est, non posse cognita per species proprias apparere distincta, & plura, quæ re ipsâ sunt vnum, & idem. Nec posse cognita per species proprias apparere vnum, & idem, quæ re ipsà sunt distincta, & plura; & consequenter cognoscentem per proprias species nec posse per suam rationem distinguere, quæ sunt re ipsà vnum, & idem; nec posse per suam rationem adunare, quæ sunt re ipsâ distincta, & plura.

## *Propositio 11.*

40 Quæ semel sunt idem, vbicumque per se sit vnum eorum, & alterum per se esse necesse est. Et vndecumque per se deest vnum, & alterum per se deesse necesse est.

Nam alioquin aut desinerent esse idem contra *proposit.* 4. aut si manerent idem, ipsum idem alicubi per se esset, & simul non esset, contra *proposit.* 1. *statutam disp.* 9. *q.* 5.

41 Hinc constat, eorum, quæ alicubi sunt idem, vnum sine altero per se esse non posse in alico loco, tempore, statu, subiecto, aut quouis alio tertio. Similitérque vnum sine altero per se deesse non posse ab aliquo loco, tempore, statu, subiecto, aut quouis alio tertio. Vnde patet, quàm falsò. Caiet & alij agentes de decreto libero Dei dixerunt, illud consistere in formalitate realiter identificatâ, cum Deo, & nihilominùs defectibili non deficiente Deo. De quo latiùs *Tract. de volunt.*

42 Hinc etiam demonstrandum veniet *infrà q.* 11. & 12. eorum, quæ re ipsâ sunt idem, non posse vnum per propriam speciem cognosci, atque adeò per se ipsum esse obiectiuè in mente cognoscentis, quin alterum & per eamdem speciem vt idem cum illo cognoscatur, & per se quoque vt idem cum illo in mente cognoscentis sit obiectiuè.

## *Propositio 12.*

43 Quidquid vbilibet res intrinsecè, identicè est, aut non est, independenter ab alia re, tanquam à formâ sibi intrinseca est, aut non est.

Hæc propositio ex terminis est satis euidens, & declarari potest ampliùs, ac demonstrari. Primò: quia habere rem talem essentiam, qualem habet, aliter quàm per identitatem nequit ei conuenire; siquidem aliud non est habere rem talem essentiam, & esse idem cum illâ, vt constat: igitur habere rem talem essentiam nequit ei conuenire per extrinsecum consortium alterius rei. Est clarum: at rem quidpiam esse, aut quidpiam non esse intrinsecè, & identicè, ad talitatem essentiæ rei pertinet, siquidem identitas rei cum quopiam, & distinctio inadæquata rei ab alio, quæ in idem recidunt, pertinent ad essentiam rei, iuxta *proposit.* 8. Ergo quidquid vbilibet res intrinsecè, & identicè est, aut non est, independenter ab aliâ re tamquam à formâ sibi extrinseca est, aut non est. Secundò: quia si rem esse, aut non esse quidpiam identicè, & consequenter rei essentia ab extrinseco dependeret tanquam à formâ, re permanente alicubi, & eo extrinseco inde deficiente, aut saltem per intellectum intuentium inde præciso, indidem essentia rei deficeret, aut saltem per intellectum intuentium esset præcisa, quod prorsus repugnat, cùm res, & eius essentia prorsus sint idem.

Ex hâc propositione ostendimus *suprà disput.* 10. 44 contra quosdam Recentiores, nullius rei distinctæ à Deo veritatem obiectiuam pendere posse tanquam à formâ extrinsecâ ab entitate diuina: quia esse rem veram obiectiuè, aliud non est, quàm esse illam intrinsecè, & identitè in se, siue à parte rei talem, qualis intrinsecè, & identicè est obiectiuè in mente diuina. Hoc autem nulla res habere potest ab aliquo à se distincto tanquàm à formâ extrinsecâ, iuxta præsentem propositionem. De quo *ibi* plura.

## *Propositio 13.*

Aliquem actum à parte rei per se esse actum 45 vnius formalitatis subiecti, & non alterius identificatæ cum illâ; aut per se respicere vnam formalitatem termini, & non alteram identificatam cum illa impossibile est.

Nam alioquin aliquid per se affirmaretur verè de aliquâ subiecti, aut termini formalitate, quod verè non affirmaretur de alterâ contra *proposit.* 3. Addo autem particulam *per se*, tum in hac, tum in illa propositione, vt excludam actum respicientem subiectum, aut terminum per substitutum alienum: quo pacto vnam formalitatem præ altera respicere potest, sic enim actus cognitionis actiuæ, quo intellectus noster vnam formalitatem obiecti ab alia eiusdem præscindit in substituto alieno, iuxta doctrinam traditam *supra disput.* 2. *quæst.* 3. & *infrà* tradendam *q.* 9. vnam talium formalitatum, & non alteram in substituto alieno respicit tanquam terminum, eamdemque pariter respicit tanquam subiectum actus cognitionis passiuæ, quo ipsa præ altera ab intellectu cognosci dicitur.

Addendum est etiam, hanc, & tertiam illam pro- 46 positionem in creatis vniuersè locum habere, atque etiam in diuinis, vbi formalitates realiter identificatæ virtualiter non sunt distinctæ in ordine ad actum, & eius contradictorium. Si enim sint iuxta doctrinam tradendam *quæst.* 6. tunc actus per se, & re ipsa poterit vni talium formalitatum, & non alteri conuenire, atque adeò vnam præ altera per se, & realiter respicere, prout *ibi* videbimus.

Ex

47 Ex hac propositione sequitur primò : à parte rei non posse vnam formalitatem esse principium per se quarto modo, vt aiunt, alicuius actionis siue effectus, cuius non sit eodem modo principium per se alterâ identificatâ cum illa. E. g. animalitas hominis non potest esse principium per se sensationis aliquo modo reali, quo eodem non sit etiam rationalitas eiusdem sensationis principium ; nec rationalitas aliquo modo reali potest esse ratiocinationis principium, quo non sit itidem animalitas ; & in cæteris pariter, vbi non interuenit distinctio virtualis prædicta. Ex quo patet : quoties aliquis actus alicui formalitati, & non alteri identificatæ cum illâ dicitur conuenire, vt talis loquutio sit vera de conuenientiâ formali oriunda à ratione nostrâ debere intelligi ; non item de conuenientiâ reali. Nos enim ei formalitati solemus actum attribuere, quam respectiuè ad actum ipsum concipimus ab aliis distinctam, cum quibus realiter idem est, vt cùm dicimus, hominem in quantum est animal sentire, & in quantum est rationalis ratiocinari ; non tamen è conuerso ; aut sensationem ab homine nasci per se quatenus est principium sentiendi, non verò quatenus est principium ratiocinandi ; ratiocinationem autem vice versâ, & in cæteris pariter.

48 Secundò sequitur : creaturas re ipsâ non solùm cum omnipotentia ; sed etiam cum cæteris attributis diuinis tum communibus, tum personalibus esse connexas : quia omnia hæc cum omnipotentiâ sunt identificata realiter, atque ita nequeunt non terminare per se re ipsâ respectum connexionis creaturarum, quem terminat per se omnipotentia ; suppositò, quòd ad illum non terminandum, non est cur ob omnipotentiâ virtualiter distincta asserantur, & distinctione virtuali seclusâ sub doctrinam vniuersalem propositionis cadit specialis ista, vt est notum. Adde, esto omnipotentia diuina in ordine ad terminandum se solâ immediatam connexionem creaturarum à Trinitate Personarum, aut ab aliâ quâuis formalitate Dei virtualiter distingui dicatur, adhuc dicendum necessariò esse, creaturas cum Trinitate, aut cum tali formalitate mediatâ connexione connecti : quia omnipotentia titulo identitatis realis non potest non esse connexa cum omnibus aliis formalitatibus diuinis, quantumuis à quibusuis earum virtualiter distincta sit, atque ita quidquid cum omnipotentia connexum est, & cum ipsis omnibus formalitatibus mediatè saltem sit connexum necesse est. Quomodò autem nihilominus inepta sit connexio creaturarum cum Deo ad notificandum nobis pro statu præsenti Trinitatem, etsi apta sit ad notificandam omnipotentiam, & existentiam Dei ex dicendis *alibi* constabit. Mitto alia similia, quæ ex propositione datâ vnusquisque potest colligere.

## *Propositio 14.*

49 De eodem subiecto idem prædicatum verè simul affirmari, & negari intra eumdem statum impossibile est.

Hæc propositio in tertiam recidit, eam tamen maioris explicationis gratiâ, & propter quædam consectaria inferenda adiicio. Constat autem illa ex *propos.* 1. *statuta disputatione* 9. *quæst.* 5. & vel ipsis logicis notissima, atque euidentissima est ; apud quos affirmatio, & negatio eiusdem de eodem contradictoriè opponuntur, simulque subinde veræ, aut simul falsæ esse non possunt, dummodò ambæ ad eumdem rerum statum, non verò ad diuersos pertineant, iuxta *propos.* 14. *statutam disputatione* 10. *quæst.* 5. sintque eiusdem de eodem etiam virtualiter, iuxta dicta *nuper propos.* 13. Idcirco autem affirmatio, & negatio eiusdem prædicati de eodem subiecto veræ simul esse non possunt : quia idem prædicatum re ipsâ non potest conuenire, & simul non conuenire eidem subiecto, iuxta dicta *propos.* 1. *disputatione* 9. *quæst.* 5.

Vnde infero primò contra nonnullos Recen- 50
tiores, affirmationem, aut negationem siue mentalem, siue vocalem ex peculiari suo modo tendendi præcisè veritatem, aut falsitatem sortiri non posse, nisi insuper obiectum eius re ipsâ habeat, aut non habeat in se illud esse, quod vel affirmatione adstruitur, vel negatione remouetur. Veritas enim formalis affirmationis, aut negationis in veritate obiectiuâ affirmatâ, aut negatâ fundatur, & sine illâ esse non potest. Vnde inuariatâ veritate obiectiuâ ex præcisâ variatione intrinsecâ affirmationis, aut negationis huius veritatem formalem variari impossibile est, vt ex doctrinâ traditâ *suprà disput.* 3. *&* 10. satis est notum ; alioquin pro libito posset vnusquisque quidlibet affirmare, aut negare verè, mutato modo tendendi affirmationis suæ, vel negationis, absque vlla obiectiuâ mutatione obiecti affirmati, aut negati. Quod, quàm sit absurdum palam est.

Ex quo rursus contra Recentiores infertur : Sci- 51
entias diuersas, quas Deus habet de eadem re prout existente, & prout possibili, & prout conditionatè futurâ, non solùm ex modo tendendi præcisè, vt ipsi putant ; sed insuper ex diuersitate veritatum obiectiuarum, quas pro obiecto habent, differre ; aliàs si intellectus diuinus ad tales scientias concipiendas nullam expectaret diuersitatem veritatum obiectiuarum sciendarum per illas, nulla esset res, quam non sciret omnibus dictis modis, atque ita, vt iudicat esse possibilem, sic etiam iudicaret esse existentem rem, quæ re verâ non est existens. Quod patet esse absurdum. Quomodò autem eadem res penes diuersos status, ad quos spectat, diuersas veritates obiectiuas habeat, tametsi non distinctas entitatiuè *disputatione* 10. *quæst.* 1. explicatum est. Modò, suppositis ibi dictis, addo : veritates obiectiuas ad eumdem statum pertinentes à distinctione dumtaxat sui euade reposse diuersas : quia non restat aliud caput, vnde diuersitatem sortitiantur.

Vnde tandem infertur, adhoc vt affirmatio, & 52
negatio simpliciter, & vndequaque sint eiusdem de eodem, prout opus est, vt neque simul veræ, neque simul falsæ esse possint, necessarium esse, tum quod pertineant ad eumdem statum ; tum quod subiectum, & prædicatum circa quæ versantur sint eadem. Ex quibus plura suo loco inferenda sunt.

## *Propositio 15.*

Distinctio inadæquata partis à toto absque di- 53
stinctione adæquatâ eiusdem partis ab alia comparte stare non potest.

Hæc propositio ex terminis ipsis videtur satis, superque euidens ; siquidem id cum quo pars componit totum ab ipsâ parte adæquatè debere distingui satis est manifestum, sed declarari amplius potest, ac demonstrari. Quia totum dicimus

id, quod compositum est ex pluribus partibus, & partem vocamus id, quod cum alio quopiam à se distincto constituit quoquo modo, siue componit totum. Vnde, dum de aliquâ huiusmodi partium sermonem habemus, vt in præsenti, eamque dicimus inadæquatè distingui à toto, manifestissimum est, hoc stare non posse, quin talis pars à residuo, cum quo ea totum componit aliquo modo distincta sit; alioquin cùm non sit distincta à se ipsâ, à nullâ parte totius, atque adeò neque ab ipso toto esset distincta, contra suppositionem: sed non est distincta à tali residuo distinctione tantùm inadæquatâ. Ergo est distincta distinctione adæquatâ, prout intendimus; aliud enim genus distinctionis, quod ad rem attinet, non est possibile, vt constat. Quod autem non sit distincta à tali residuo distinctione tantùm inadæquatâ inde monstratur: quia residuum dicimus id, quod integrè est extra partem assumptam, & vltra, vel præter illam integram superest signandum, seu recensendum intra totum, à quo proindè pars neque, vt includens ab incluso, neque, vt inclusum ab includente distinguitur, prout opus erat, vt ab illo distinctione tantùm inadæquatâ distingueretur; siquidem aliud non est genus distinctionis inadæquatæ, vt constat. Stat igitur, partem inadæquatè distinctam à toto distinctione scilicet inclusi ab includente non posse non adæquatè distinctam esse ab aliâ residuâ comparte cum quâ componit totum. Quod erat ostendendum.

54 Ex hac propositione veniet probandum infrà suo loco, continuum ex partibus in infinitum diuisibilibus physicè, ex indiuisibilibusque infinitis physicè illas copulantibus constare non posse: quia collectio omnium omninò indiuisibilium continui esset pars eius ab eo inadæquatè distincta, & non distincta adæquatè à residuo eiusdem continui, vtpote, quod in datâ hypothesi essentialiter debet includere in suo conceptu aliqua indiuisibilia copulantia suas partes; alioquin vltimò diuisum contra suam essentiam conciperetur, vnde etiam patet; transcendentiam alicuius prædicati in omnes partes alicuius totius per physicam inclusionem in illis impossibilem esse.

55 Deinde ex hâc propositione veniet probandum infrà suo loco, transcendentiam metaphysicam alicuius prædicati in omnes partes; siue formalitates alicuius totius metaphysici per inclusionem metaphysicam etiam esse impossibilem. Vide dicenda *infrà disp.* 17. *quæst.* 20.

## *Propositio 16.*

56 Quæ realiter idem sunt, mutuò inter se quoad omne genus essendi realiter connexa sunt.

Nam alioquin alterum posset esse realiter sine altero alicubi, id est, in aliquo tempore, loco, subiecto, statu, aut quouis alio tertio, contra *propos.* 11.

57 Cum quo stat; aliquas esse formalitates, quæ ex suo conceptu præciso formaliter non sunt connexæ cum aliis, cum quibus realiter sunt idem; nempe illæ omnes, quæ formaliter, siue logicè in aliis rebus reperiuntur. E. g. animalitas hominis ex suo conceptu animalitatis præciso non est connexa cum rationalitate; siquidem conceptus animalitatis etiam reperitur in bruto; similiterque censendum est de cæteris omnibus, quæ in vnum conceptum vniuersalem coëunt conuenientem per identitatem pluribus rebus; illæ enim cum singulis differentiis huiusmodi rerum ex suo conceptu præciso formaliter connexæ non sunt, tametsi cum illis sint identificatæ realiter. Quomodo autem formalitas vniuersalis eadem formaliter, siue logicè in singulis rebus, quibus realiter conuenit reperiatur, ex dicendis *disputatione* 17. constabit.

Vnde obiter collige pro dicendis tum in eâ *disputatione* 17. tum etiam alibi: quoties aliqua formalitas ex suo conceptu præciso cum altera connexa est, primam magis vniuersalem, quam secundam ex tali conceptu esse non posse; aliàs posset sine illâ in aliis rebus reperiri; atque ita non esse connexa cum illâ, contra suppositionem. De quo *ibi* plura. 58

## *Propositio 17.*

Quoties alioquis conceptus obiectiuus re verâ est possibilis, vel impossibilis, vel contingens, vel necessarius nequit non esse tale, similiter quidquid cum illo re ipsâ est identificatum. 59

Est clarum. Nam alioquin vnum sine altero secum re ipsâ identificato alicubi esse posset, contra *propos.* 11. vt cuique consideranti conspicuum fiet. Dico autem *re vera*: quia bene potest aliqua formalitas ex suo conceptu præciso possibilis, aut contingens esse, esto sit identificata re ipsâ cum aliâ, vel re verâ, vel ex suo conceptu præciso impossibili, aut necessariâ. Impossibilis verò, aut necessaria ex suo conceptu præciso nulla formalitas esse potest, quæ re ipsâ sit identificata cum aliâ re verâ possibili, aut contingente; benè tamen, quæ sit re ipsâ identificata cum aliâ possibili, aut contingente ex suo conceptu præciso. Quæ omnia consentaneè ad dicta nuper *propositione* 16. quisque facilè intelliget. Sufficiantque hæc in præsenti.

---

# QVÆSTIO IV.

### *Quænam obiecta intellectionis humanæ realiter sint distincta inter se?*

CErtum est primo ex *propositione* 5. *quæst.* 3. ea cuncta realiter esse inter se distincta, quæ aut tempore, aut loco, aut subiecto realiter separabilia sunt inter se. Secundo est certum ex *propositione* 6. *eiusdem quæst.* ea quoque inter se distingui realiter, quæ realem inter se dependentiam habent causalitatis seu originis. Tertio ex *propos.* 7. *eiusdem quæst.* pro certo etiam habendum est, possibilia esse aliqua extrema, quæ neque sint vllomodo realiter separabilia, vtpote mutuò, & omnimodis connexa inter se metaphysica connexione, neque vllam realem dependentiam aut causalitatis, aut originis inter se habeant, & tamen inter se realiter distincta sint. An autem aliqua huiusce generis extrema dentur de facto in rebus creatis, non est hoc loco disquirendum. Solum potest opportunè pro dicendis in sequentibus in præsenti disquiri: an aliqua attributa diuina eiusmodi sint tum inter se, tum cum essentia Dei comparata. Quare ad hæc reuocanda venit quæstio proposita. 60

Pro cuius resolutione suppono primo. Quodcumque de Deo verificatur prædicatum, attributum 61

Dei

Dei dici in præsenti. Cum enim omne prædicatum subiecto, de quo prædicatur, dicatur attribui, non absque iure factum est, vt omne prædicatum Dei attributum eius dicatur, latè hoc vocabulo vsurpato.

62 Suppono secundò prædicata, seu attributa Dei ita vniuersè sumpta nonnullis, quod rem attinet, diuidi posse diuisionibus. Primò enim diuidenda veniunt in attributa communia, & attributa personalia. Cum enim Deus ita sit vnus in essentia, vt sit trinus in personis, prout docet fides, & latè traditur à Theologis *in Tract. de Trinit.* prædicata, quæ aut vni, aut duabus tantùm personis prout talibus conueniunt, attributa personalia dicuntur, vt sunt personalitates, relationes, origines, notiones &c. Quæ verò toti Trinitati conueniunt, communia attributa appellantur; Vt sunt æternitas, immensitas, bonitas, sapientia, omnipotentia &c. Deinde attributa Dei solent diuidi in attributa negatiua, quæ negationem aliquam præ se ferunt; vt sunt immortalitas, impassibilitas, infinitudo, immutabilitas, incomprehensibilitas, & similia: & positiua, quæ nullam præ se ferunt negationem: Vt sunt æternitas, bonitas, sapientia, omnipotentia, iustitia, & cætera huiusmodi. Præterea diuina attributa sic latè vsurpata in necessaria, & contingentia diuidi possunt. Contingentia sunt actus Dei liberi prout liberi, seu cognitionis, seu volitionis. Tum ea omnia prædicata diuina, quæ ab aliquo contingente desumuntur extrinsecè, aut per illud quoquomodo complentur, vt esse Creatorem, Gubernatorem, Dominum, Remuneratorem, &c. Necessaria autem sunt reliqua ab istis omnia Dei prædicata. Denique attributa Dei possunt diuidi in ea, quæ omnino sunt intrinseca Deo, vt bonitas, intellectus, voluntas, omnipotentia &c. & in ea, quæ per aliquid extrinsecum aliqua ratione complentur in suo conceptu, vt dominium, gubernatio, remuneratio, & similia. Porro attributa diuina, quæcumque demum illa sint, tum in concreto, tum in abstracto concipi à nobis, atque significari solent: in concreto quidem vt per hæc nomina. *sapiens, iustus, bonus, omnipotens, creator, Dominus* &c. In abstracto verò vt per hæc. *Sapientia, iustitia, bonitas, omnipotentia, creatio, dominium*, &c. iuxta doctrinam concretorum, & abstractorum traditam *disp. 2. quæst. 4. sect. 3.*

63 His positis in præsenti *q.* vt certum præterea apud omnes statuendum est ea attributa diuina, quæ per aliquid extrinsecum Deo quoquo modo constituuntur, siue complentur in suo conceptu, quoad tale extrinsecum realiter esse distincta ab essentia Dei: quia essentia Dei non potest esse idem realiter cum aliquo, quod est realiter extra ipsam. Erunt quoque talia attributa realiter quoad talia extrinseca distincta inter se, quoties extrinseca ipsa realiter inter se distincta fuerint, vt notum est. Deinde etiam est statuendum tanquam certum secundum fidem *ex materia de Trinit.* Personas diuinas Patris, Filij, & Spiritus Sancti, atque adeo etiam earum personalitates, & origines realiter esse distinctas inter se se. Quibus statutis, quod superest examinandum est, an attributa communia intrinseca Deo vel inter se, vel ab essentia diuina realiter distincta sint. Tum an personæ, seu personalitates diuinæ, quæ sub nominæ attributorum personalium veniunt intelligendæ, quemadmodum inter se se, ita etiam ab essentia distinguantur realiter?

64 Gualterus quidam apud Nyphum *lib. 12. Metaph. disp. 3. cap. 3.* distinctionem realem posuit inter attributa Dei & essentiam, atque etiam inter ipsa attributa comparata inter se. Inter personalitates verò, & essentiam realem distinctionem statuebant ex hæreticis, qui in tertia secta Seueritarum dicti sunt Theodosiani & Angelitę, & Damianistæ, vt refert Nicephorus *lib. 18. Historiæ Ecclesiasticæ cap. 24 ante med.* Ex Catholicis autem quidam clericus in Francia, vt refert Anselmus *lib. de Incarnatione verbi cap. 1.* & 3. & post ipsum Gilbertus Poretanus Pictauiensis Episcopus. Qui inter diuinas personalitates, & essentiam distinctionem realem ponebat, aut qualis est inter rem & rę, vt aliqui putant; aut qualis est inter rem & modum, vt opinantur alij. Nec desunt, qui existimauerint eam distinctionem etiam similem inter essentiam, & attributa communia intrinseca Deo, interque attributa ipsa adstruxisse. Tametsi hoc plerique negent. De quo videri possunt Otto Frisingensi. Episcopus *lib. 1. de gestis Frederici Imperatoris cap. 57.* & *56.* vt habetur *tom. 3. Conciliorum part. 2. Pro Concilio Remensi sub Eugenio. 111.* & Matthæus Paris. *in historia Anglicana anno 1119. relatus eodem tom. 3. Concil. pro eodem Concilio sub Calixto. 11.* Necnon S. Th. *1. part. q. 28. art. 2.* & ibi eius expositores. Potissimum Vasquez *disput. 116. cap. 2.* & *disp. 120 cap. 1.* & 2. & Ruiz *tom. de Trinit. disp. 11. sec. 1.* Qui diligenter examinant Gilberti errorem. Cui insuper consentire videtur Hugo Ætherianus *tom. 9. Biblioth. lib. 3. de hæresibus, quas Græci in Latinos deuoluunt. cap. 2. sub finem:* Imo & Durandus, vt aliqui censent, reipsa videtur consentire, deum *in 1. dist. 5. q. 1.* & *dist. 33. q. 1.* & *dist. 34. q. 2. & in 3. dist. 1. q. 2.* inter essentiam, & relationes diuinas realem distinctionem concedit, qualis est inter rem & modum. Tametsi dicat cum eiusmodi distinctione componi identitatem, qua essentia, & relationes Diuinæ simpliciter, & absolutè sunt idem. Cum Gilberto præterea putarunt aliqui sensisse Abbatem Ioachimum. Re tamen vera absurdior huius error fuit, vt constat ex *cap. Damnamus, de summa Trinit. & fide Catholica.* Vbi libellus Ioachimi expresse damnatur. Quia. *Quamuis concedat, quod Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus sunt vna essentia, vna substantia, vnaque natura: verum vnitatem huiusmodi non veram & propriam, sed quasi collectiuam, & quasi similitudinariam esse fatetur: quemadmodum dicuntur multi homines vnus populus, & multi fideles vna ecclesia.* Verba sunt textus.

Reliqui verò Catholici in sequentibus quæstionibus referendi vnanimiter vno ore asseuerant, neque inter attributa communia intrinseca Deo, aut inter se, aut cum essentia comparata: nec inter personalitates & essentiam, vllam omnino distinctionem simpliciter & absolutè realem aut modalem esse. Tametsi multi distinctionem aliquam ante omnem intellectus operationem, siue ex natura rei formalem, siue virtualem dumtaxat inter prædicta extrema admittant. Vt ex dicendis in progressu constabit. 65

## *Propositio* 1.

Omnia attributa intrinseca Deo tam personalia, quàm communia omnino sunt idem realiter cum essentia diuina, atque adeò nulla prorsus distinctione reali distinguuntur ab illa. 66

Hæc propositio, vt sonat, de fide est. Constat enim inprimis ex Concilio Florentino *sess. 17. 18.* & 19. Vbi Latini, & Græci disputatores frequen-

ter, & vnanimiter adstruunt realem identitatem inter personam & substantiam siue naturam Dei, admittentes solum inter illas distinctionem rationis. vnde *dicta sess. 18. post medium* sic habetur. *Diuina substantia & persona re quidem sunt idem; secundum autem modum intellectionis nostræ differre videntur: sess. etiam 17.* pariter dictum fuerat de eadem substantia & persona. *Handquaquam tamen putare debemus, vt re differant; quandoquidem sola ratione, aut intelligentia differre creduntur.* Et *sess. 25. col. 5.* in quadam confessione fidei, quæ à Latinis ad Græcos missa est, sic dicitur. *Porro autem, ne identitatem, coniunctionemque diuinæ substantiæ distribuere, ac ipsam realem substantiam re, non autem sola ratione ab hypostasibus, & personis differre credere videamur &c.*

67 Secundo constat ex Concilio Remensi coacto contra Gilbertū Porretanum sub Eugenio 111. cuius acta refert ad verbum Vasquez *1. p. disp. 120. cap. 2.* Patres enim illius Concilij, è quorum numero fuit S. Bernardus, vt etiam ex eiusdem *serm. 80. in Cant.* constat, ita decernunt. *Credimus, & confitemur simplicem naturam diuinitatis esse Deum*: & mox: *Credimus non nisi ea sapientia, quæ est ipse Deus, sapientem esse* &c. Et statim. *Credimus, & confitemur solum Deum Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum æternum esse, neque aliquas omnino res, siue relationes, siue proprietates, siue singularitates, vel vnitates dicantur, vel alia huiusmodi adesse Deo, quæ sint ab æterno, & non sint Deus.* Quanquam enim decreta huius Concilij non fuerint confirmata ab Eugenio, quibusdam de causis, quas refert Vasques, eximiæ nihilominus auctoritatis sunt. Præsertim cum Eugenius ipse, quod maximè in illis contra Gilbertum intendebatur, nempe nullam realem distinctionem interuenire in Deo inter personam & naturam, expresse, postea cum toto Concilio definierit in hunc modum, vt scribit Otto citatus *suprà in dicto c. 57. Ne aliqua ratio inter naturam, & personam diuideret: neue Deus diuina essentia diceretur ex sensu ablatiuo tantùm, sed etiam nominatiui, hoc est ne solum dicatur. Pater deitate est Deus, sed est ipsa Deitas*: vbi planè damnatur expositio illa Gilberti *Pater est sapientia*, id est, *sapiens.* Volebat enim Patrem per sapientiam esse sapientem, non verò esse ipsam sapientiam.

68 Tertiò constat ex Concil. Lateran. prout habetur *in capit.* Firmiter, & *cap.* damnamus *de summa Trinit. & fide Catholica.* Vbi definitur omnino simplicem esse diuinam substantiam. Tum in Deo solummodo esse Trinitatem, non quaternitatem: *Quia* inquit, *quælibet trium personarum est illa res, videlicet substantia, essentia, seu natura diuina.* Et infrà. *Id quod est Pater est Filius, & Spiritus sanctus idem omnino*: & iterum. *Substantia Patris omnino simplex est.* Et rursus. *Eadem res est Pater, & Filius, & Spiritus sanctus.* Huc spectat consensus communis Patrum relegantium à Deo numerum præter Trinitatem personarum, eumque vnissimum prædicantium, iuxta illud Ioan. 10 *Ego & Pater vnum sumus.*

69 Quartò constat ex communi modo loquendi Scripturæ, Conciliorum, & Patrum, quo diuina attributa abstractè sumpta prædicantur de Deo, iuxta illud Ioann. 14. *Ego sum via, veritas, & vita* & similia qualiter verè prædicari non possent, si à Dei essentia realiter distincta essent, vt constat.

70 Quinto cóstat ex vniformi Patrum consensu eamdem veritatem vno ore contestantium. S. Dyonis. *c. 2. de diuinis nomin.* & *cap. 13.* ait. *Vnum Deus est, quia omnia vnicè est secundum vnicam eminentiam vnitatis.* Nyssen. *lib. ad Ablauium in fine. Omnem circa essentiam diuersitatem reiicit diuina, simplex, & variationis insciа natura.* August. *lib. 8. de Ciuit. Dei c. 6.* post multa ad rem ita concludit. *Sed quod est illi viuere, intelligere, beatum esse, hoc est illi esse*: & *lib. 7. de Trinit. cap. 1.* ait. *Eadem eius magnitudo, quæ virtus, & eadem essentia, quæ magnitudo.* Et rursus. *Quia in illa simplicitate non est aliud sapere, quam esse, eadem ibi sapientia est, quæ essentia* & *cap. 6. Neque in hac Trinitate cum dicimus Personam Patris, aliud dicimus, quam substantiam Patris.* Et *lib. 15. cap. 5.* & *6. Non est*, inquit, *aliud sapientitia eius, aliud essentia, cui hoc est esse, quod sapientem esse.* Similia repetit sæpissimè multis in locis, præsertim *in libris de Trinit.* Basil. *Epist. 80. Quæcumque nomina diuina protuleris, vnum est perpetuo, quod significatur.* Gregorius *lib. 10. Moral. cap. 20.* ait. *Deus hoc est, quod habet, æternitatem quippe habet, sed ipse est æternitas, lucem habet, sed lux sua ipse est, non est ergo in eo aliud esse, & aliud habere.* Anselm. *in Monol. cap. 48.* sub finem loquens de Patre, & Filio dicit. *Quoniam vtrique non est aliud habere, essentiam, quam essentiam esse: sicut habet alter alterius essentiam, ita est alter alterius essentia.* S. Bernar. *dicto serm. 80. in Cant.* propius *ad medium, quàm ad principium* loquens de essentia diuina ait. *Quod habet, est, & quod est, semper, & vno modo est: in ea, & multa in vnum, & diuersa in idem rediguntur.* Et *lib. 5. de consider. ad Eugen. circa medium. Personarum proprietates non aliud quam personas, ipsasque non aliud, quàm vnum Deum, vnam diuinam naturam fides catholica confitetur.* Boeth. *lib. de Trinit. in fine. Hoc verè vnum, in quo nullus est numerus, nullum in eo aliud præter id, quod est.*

Et vniuersim alij plurimi, qui summam simplici- 71
tatem Dei prædicantes frequenter colligunt ex illa omnia omnino, quæ sunt in Deo, esse ipsum Deum. Ita argumentantur Cyril. Alex. *lib. 1. Thesau. cap. 8.* & *lib. 3. cap. 4.* & *lib. 6. cap. 3.* & *lib. 11. cap. vnico*, & *lib. 14. cap. 3.* & *lib. 1. in Ioan. cap. 8.* & *9.* Athanas. *apud Cyparis siot. decad 4. cap. 8.* Nyssen. *orat. catech. capite 1.* Iustin. *q. 144. ad Orthodoxos.* Irenæus *lib. 2. cap. 48.* Damasc. *lib. 1. fidei, cap. 12.* & *13.* Gregor. *lib. 16. Moral. cap. 20.* & *lib. 18. cap. 27.* Isidor. *lib. 7. Etymolog. cap. 1.* & *lib. 1. sentent. capite 1.* Anselm. *in Monol. capite 14. 16.* & *56.* Ricard. Victor. *lib. 1. de Trin. capite 13. 17. 23.* & *24.* & *lib. 2. capite 17.* & *18.* & alij apud Ruiz *disp. 11. de Trinit. sec. 5.* Itaque omnes in eo insistunt, quod non sit aliud Deus, & aliud, quod est in Deo, siue quod habet Deus. Vnde Bernard. *lib. 5. de Consider. ad Eugen. prope medium*, ex diuina simplicitate Gilbertum redarguit dicens inter alia. *Nisi omnia vnum in Deo, & cum Deo consideres habebis multiplicem Deum* & Isid. *lib. 5. de summo bono cap. 1.* ait Deum ideirco simplicem esse, *quia non est aliud ipse, est aliud, quod in ipso est.* De quo alibi plura, vbi de diuina simplicitate.

Accedunt Patres, qui vt nuper dicebam, singula 72
attributa diuina, tum de singulis inuicem, tum de Deo, aut de eius essentia prædicant in abstracto per verbum substantiuum *est* realem identitatem significans. Iacobus Apostolus *apud Clementem lib. 8. Apostolicarum constitutionum capite 12.* Nazianz. *orat. 37. quæ est 5. de Theol. in fine, & orat. 13. quæ est 2. de pace, n. 24.* & *orat. 39. in sancta lumina prope med.* Athanas. *dial. 1. de Trinit. contra Anomæum inter medium & finem, & dial. 2. prope finem.* Basil. *lib. 15. de fide prope med.* & *lib. vnic. de spiritu*

*Spiritu Sancto cap.* 8. 18.& 19. & *lib.* 1. & 2. *contra Eunomium.* Damasc. *lib.* 1. *fidei capite* 11. & 18. Hilar. *liber* 9. *de Trinitate. Fulg. de fide ad Petrum capite* 2. *circa finem.* Prosper. *aduersus Collatorem cap.* 27. Boet. *in lib. An Pater,* &c. Ricard. victor. *lib.* 5. *de Trinit. cap.* 16. & *lib.* 2. *cap.* 21.& 22. Denique August. *lib.* 6. *de Trinit. cap.* 7. vt verba reliquorum omittam, sic habet. *Eadem magnitudo eius est, quæ sapientia, & eadem bonitas, quæ sapientia, & magnitudo; & eadem veritas, quæ illa omnia.* Et *serm.* 38. *de tempore vol.* 3. *Trinitas,* inquit, *vnus est Deus solus, bonus, magnus, æternus, omnipotens, ipse sibi vnitas, Deitas, magnitudo, bonitas, omnipotentia, & quidquid ad se substantialiter dicitur.* Postremò Bernar. *dicto serm.* 80. *in cant. prope finem* expositionem quam adhibebat Gilbertus illi propositioni *Pater est veritas,* dicendo scilicet, id est *Pater est verus* damnatam fuisse commemorat, tanquam peruersam à Patribus Concilij Rhemensis, & ab Eugenio 111. statuique, tanquam certum dogma catholicorum hanc propositionem esse veram & propriam. *Pater est veritas, Filius est veritas* (apud Ruiz *supra sec.* 6.)

73 Id ipsum sibi volunt Patres, dum vniuersaliter decernunt, nihil in Deo reperiri per modum accidentis, seu qualitatis, sed omnia de eo dici in quid, & per summam identitatem. Ita August. *libro* 5. *de Trin. cap.* 4.& 5.& *lib.* 6. *cap.* 17. & *lib.* 7. *capite* 1. 2. & 5. & *lib.* 15. *capite* 5. & alias sæpe. Anselm. *in Monol. cap.* 15.& 16. & *lib. de Incarnat. Verbi capite* 4. Isidor. *libro.* 7. *originum capite* 1. *post medium.* Leo 1. *epist decret.* 93. *ad Turibium capite* 1. Cyrill. Alex. *lib.* 7. *Thes. capite* 4. Bern. *supra,* & *tit. de diligendo Deo circa finem.* Rupert. *lib.* 1. *in Exod. capite.* 14. *post medium,* & alij, quos refert, & sequitur Cyparissiotus *decad.* 9. *capite* 8. apud quem *decad.* 10. *capite* 1. *initio.* Magnus Athanas. blasphemum vocat, *qui existimat Deum esse compositum, vt quod ex substantia, & accidente compositum est,* apud Fasol 1. *part. quæst.* 4. *art.* 2. *à num.* 29. *vsque ad* 35. *& numero* 91. Quibus insuper adiungendi sunt Patres, qui vniuersaliter etiam statuunt, sed præsertim dum loquuntur de attributis communibus, in Deo non esse aliud & aliud. Quorum nonnulla testimonia *quæstion. sequente* producemus. Videatur Ruiz *tom. de Trinit. disputatione* 39. Nec solum Patres, sed Etnnici insuper Philosophi stant pro eadem veritate, Aristoteles *libro.* 12. *Metaph.* text. 39. Auerroes *ibid.* Parmenides, Epictetus, Plotinus apud Eugubinum *lib.* 6. *de peren. Philos. capite* 10.& alij.

74 Ratione etiam potest præterea probari propositio, primo: quia maior perfectio est, cæteris paribus, simplicitas, quam compositio, vt est per se notum, & Patribus commemoratis enixè simplicitatem diuinã commendantibus, & defendentibus satis superque est exploratum. Audi Bern. *lib.* 5. *de consid. ad Eugen. circa medium,* arguentem tacito nomine contra Gilbertum. *Mihi verò,* inquit, *non deest quod cogitem melius eiusmodi Deo tuo. Quæris quid? Mera simplicitas, vero iudicio natura simplex multiplici antefertur.* Ergo quoduis genus compositionis procul à Deo est relegandum, cui summa in omnibus perfectio debet attribui. Sed si attributa diuina realiter à diuina essentia distincta essent, non posset non Deus pati reipsa aliquod genus compositionis. Ergo. Nec valet, quod aliqui dicunt ad rationem compositionis non sufficere, quod duo distincta coniungantur in vnum, nisi alterum se habeat vt actus, alterum vt potentia: primò, quia huiusmodi compositionis nomenclatura ad rem præsentem nihil interest. Appella compositum, quod volueris, id semper remanet certum. Quod ex coniunctione plurium coalescat, imperfectionem præ se ferre simplicitati oppositam. Et in proposio esse Deum, Patrem, Filium, Spiritum Sanctum, sapientem, iustum, omnipotentem, & cætera huiusmodi per simplicẽ suam indiuisibilemque substantiam, quis dubitet esse perfectius, quam esse talem per attributa substantiæ suæ realiter superaddita? Secundo: quia cum omnia, aut pleraque saltem attributa diuina actus quidam sint ex suo conceptu siue primi, siue secundi, iuxta doctrinam vniuersalem actuum traditam *disp.* 8. si illa realiter essentiæ diuinæ succrescerent, non posset non Deus, quam ipsi dicunt, strictam compositionem ex actu, & potentia subire.

Vnde secunda pro statuta propositione nascitur 75
ratio. Nam si attributa aliqua intrinseca Deo seu communia, seu personalia realiter à Dei essentia distincta essent, non esset Deus actus purissimus expers omnis generis potentialitatis per aliud quidpiam perfectibilis, vti illum Theologia prædicat: nequiret enim non esse realiter perfectibilis per talia attributa, tanquam per perfectiones ei accrescentes. Quo rursus fieret, vt sufferret vera, & realia accidentia intrinseca, quod etiam præ se fert imperfectionem limitatorum entium propriam; vt vnanimiter sentiunt Patres.

Tertio. Aut attributa intrinseca Deo realiter di- 76
stincta ab essentia essent aliquid superius essentia, aut essent aliquid æquale, aut aliquid inferius? Primum dici non potest: quia nihil potest esse superius diuina natura, vt per se patet. Sed nec secundum: quia darentur plures essentiæ diuinæ, atque adeo plures diuinitates, & plures Dij. Constat enim nihil posse esse æquale diuinitati realiter; quod realiter non sit diuinitas. Si autem dicatur tertium, non leuius sequitur absurdum, nempe Deum per quid creatum fore sapientem, iustum, Patrem, Filium, &c. quia nequit non esse creatura, quod Deo inferius est realiter. Hoc argumento vtitur Bernardus *serm.* 80. sæpe citato contra Gilbertum. Adde si relationes ab essentia distinguerentur realiter, nihil fore in Trinitate mirabile, quod in entibus creatis non esset possibile reperiri, contra omnium Patrum, Catholicorumq; consensum, vt bene argumentatur ipse Bern. *lib.* 5. *de considerat. ad Eugen. paulo post medium* dicens. *Substantia vna est, personæ tres sunt. Quid mirum, quid vel obscurum in hoc, si personæ seorsum à substantia cogitentur?*

Hinc quarta consequitur ratio, quia personalita- 77
tes distinctæ ab essentia non possent non esse ab essentia productæ quo plures duabus productiones essent in Trinitate adstruendæ. Paterque non esset prorsus ingenitus, siue improductus, aliáque huiusmodi contra fidem absurda sequerentur.

Quinta ratio desumi potest ex infinitate diuina. 78
Ens namque infinitum per essentiam in omni perfectionum genere non potest non sibi identificare omnem perfectionem carentẽ imperfectione, qualia sunt omnia attributa intrinseca Deo. Mitto modo rationes alias tum naturales, tum theologicas, quæ suo loco pro diuina simplicitate sunt proferendæ. Vbi ad rem plura præterea, quæ tangemus etiam *q. seq.* contra Scotistas.

## *Propositio* 2.

Quæcumque realiter sunt idem cum essentia di- 79
uina, etiam, sunt idem realiter inter se, exceptis

attributis Dei personalibus, seu relationibus, quæ realiter inter se opposita, atque adeo distincta sunt.

Hæc propositio non minus est certa secundum fidem, quam præcedens. Eam enim æquè probant pleraque eorum, quæ adduximus pro præcedente, vt perpendenti clarè innotescet, adeo vt in eis applicandis modo non opus sit morari.

80 Ex quibus manifestè colligitur apertè errare contra fidem, quicumque inter essentiam, & attributa trinseca Deo seu communia, seu personalia, aut inter attributa ipsa communia aliquod genus distinctionis realis ponit, ratione cuius cum veritate dici possit vnum non esse aliud, siue hoc non esse illud à parte rei: cuiusmodi est, quæuis distinctio reipsa faciens aliud & aliud, seu, quod in idem recidit faciens, quod vnum extremorum, inter quæ datur, non sit illud, siue extrema sint omnino inconnexa, siue sint inter se connexa aut mutuò, aut non mutuò, quouis genere connexionis iuxta diuisionem distinctionum realium traditam *supra q.* 2. Etenim cum Concilia & Patres expresè decernant attributa, de quibus agimus, realiter esse ipsam substantiam Dei, siue non esse aliud, imo esse idem omnino cum illa, qui dicit huiusmodi attributa à parte rei ita distingui à tali substantia, vt verè non sint illa, siue vt sint aliud ab illa, siue vt non sint idem omnino cum illa, expresè & directè Conciliis, & Patribus cótradicit. Tum extrema, quæ ita se habent, vt vnum revera non sit aliud, eo ipso reuera non sunt idem: quia nihilo differunt vnum extremum non esse aliud, & vnum extremum non esse idem cum alio. Ergo quæuis distinctio faciens vt attributa diuina non sint à parte rei essentia diuina, eo ipso facit, vt non sint idem cum illa: & consequenter destruit identitatem, quam Concilia, & Patres tantopere moliuntur, ac conantur adstruere.

81 Vt hinc appareat, quam fædè errauerint Recentiores quidam huius ætatis, qui rati idoneam se distinctionis Scoticæ explicationem adinuenisse, non maiorem identitatem ponebant inter formalitates entium tum creatorum, tum etiam increati, quam inter duas entitates, quas Deus crearet mutuò connexas inter se metaphysicè, atque adeo mutuo inseparabiles, quarum neutra ab altera dependeret dependentia causalitatis. Quas nihilominus alienas, & prorsus extranea vocum vsurpatione realiter identificatas esse dicebant, distinctasque solum formaliter ex natura rei, vti loquuntur Scotistæ. Cum tamen sola inseparabilitas mutua extremorum cum independentia mutua causalitatis, ne minimam quidem tribuat ipsis extremis identitatem, quandoquidem simpliciter, omnimodisque potest vnum à parte rei non esse aliud, atque adeo nullam prorsus identitatem habens cum illo, quantumuis ea inuicem sint inseparabilia, inuicemque independentia secundum originem, vt ex terminis ipsis, & ex superius *quæst.* 3. *propos.* 7. dictis satis apparet. Porro errare apertè contra fidem, qui dicit personalitatem & essentiam diuinam, ita ex natura rei inter se distingui, vt nihil aliud identitatis habeant, quam esse vicissim inseparabiles, & independentes secundum originem, vel ex eo manifestè conuincitur, quod Gilbertus Porretanus & alij hæretici damnati in hac parte ab Ecclesia ipsissimam hanc distinctionem, & non maiorem ponebant inter personalitatem, & essentiam: neque enim vnquam illi somniarunt esse illas, aut separabiles inter se, aut alteram ab altera dependere secundum originem. Quam autem longè ab istâ audaci potius quam sapiente cogitatione sententia legitima Scotistarum distet, ex dicendis *quæst.* 1. *sequentibus* compertum fiet.

Vnde tandem colligitur, qua censura digna sit 82
sententia Durandi, si ipse, vt videtur, talem distinctionem inter essentiam, & relationem, vt inter rem, & modum ponit, qualis cum verâ earum identitate citra dubium non possit componi reuera, quidquid sit de modo loquendi eius.

Restabat hic argumenta diluere, quæ contra 83
dogmata stabilita solent opponi. Verum quia eorum solutio dependet ex dicendis, & suam habet controuersiam opportunius exhibebitur *infrà quæst.* 7.

## QVÆSTIO V.

*Vtrum formalitates eiusdem entis siue increati, siue creati realiter identificatæ formaliter ex natura rei sint, aut esse possint distinctæ ante omnem sui intellectionem, atque adeo independenter ab illa?*

SCot. *in* 1. *dist.* 2. *quæst.* 7. §. *sed hic.* vt se à dif- 84
ficultate expediret, quam arcanum & inscrutabile sanctissimæ Trinitatis mysterium apud viatores præ se fert quamdam distinctionem mediam excogitauit inter essentiam diuinam, & relationes, quæ neque rationis est, neque realis absolutè, eamque non assertiuè, sed quasi disputandi gratia proposuit. En eius verba. *Dico sine assertione, & præiudicio sententiæ melioris, quod ratio, qua formaliter suppositum est incommunicabile, & ratio essentiæ, vt essentia habent aliquam distinctionem præcedentem omnem actum intellectus creati.* Et quamuis paulo infra Scot. hanc distinctionem appellet distinctionem virtualem, his tamen appellationibus nihil priori asserto derogat, ait enim. *Posse hanc distinctionem appellari rationis, sumpta ratione pro quiditate, & definitione, non verò pro differentia, seu distinctione formata ab intellectu.* Tum virtualem vocat, non quod verâ distinctio non sit actualis formalis apud ipsum; sed quod id virtute præstet, quod præstat distinctio absolutè realis, qualis reperitur inter duas quaslibet res. Subdit enim statim Scot. *Breuiter igitur dico omittendo verba illa de distinctione rationis, & de distinctione virtuali,* &c. *Dico quod in essentia diuina ante actum intellectus est entitas A, & est entitas B, & hæc non est formaliter illa, ita quod intellectus paternqs considerans A, & considerans B habet ex natura rei, vnde ista compositio sit vera, A non est formaliter B, & non præcisè ex aliquo actu intellectus.* In qua sententia persistit Scot. aliis in locis suorum operum, sed nominatim in 1. etiam *dist.* 8. *q.* 3. ita habet. *Ad quæstionem respondeo, & dico, quod inter perfectiones essentiales non est tantùm differentia rationis, hoc est diuersorum modorum concipiendi idem obiectum formale,* &c. *Est ergo ibi distinctio tertia præcedens intellectum omni modo, & est ista; quod sapientia est in re ex natura rei, & bonitas est in re ex natura rei; sapientia autem in re formaliter non est bonitas in re.*

Hæc retulerim, vt clarè constet distinctionem 85
Scoticam non esse eamdem cum distinctione Thomistica rationis ratiocinatæ, aut cum virtuali, vel purè eminentiali, quam plures alij admittunt, de

qua

qua *quæst.seq.* Sed esse veram, actualem, & formalem distinctionem iuxta mentem Scoti omnem actum intellectus præcedentem, & existentem à parte rei. Atque adeò siniſtrè exponi Scot. ab illis, qui eum cum S.Thom. componere in hac parte conantur. Hi sunt ex nostris Salas. 1. 2. *q.* 3. *tit.* 2. *disp.*4 *sect.*3. Soar. *disp.*7. *Metaph. sect.* 1. & *lib.*4. *de Trinit.cap.*4. & latius Petr.Hurt. *disp.*6.*Metaph. sect.*3. *à* §. 61. & iterum *sect.*4. *à* §.129. Quibus accessit ex Scotistis Herrera *tom.*1.*disp.*8. *quæst.*13. & *disput.*14. *q.*1. Quorum studium reconciliandi Scotum cum Scholâ Thomistarum non bene ferunt reliqui Schotistæ, qui se fideliores interpretes, & assecłas Scoti iactant. Vt videre est apud Merinerum *in Logica cap.*1. *de vniuersalibus distinct.*1.*q.*2. *sect.* 1.

86 Non negant Scotistæ, sicut nonnulli existimarunt, id, quod colligitur ex Aristot. *lib.*5. *Metaph. text.*14. & *lib.*6.*tex.*6. inter distinctionem rationis, quæ dumtaxat in mente est, & inter distinctionem, quæ re ipsa extra mentem reperitur, mediam aliquam distinctionem dari non posse: quippe inter duas contradictorias non datur medium. Sunt autem contradictoria esse dumtaxat in mente, & non esse dumtaxat in mente. Sed dicunt extra mentem siue à parte rei, siue ex naturâ rei duplex genus distinctionis ponendum esse. Nempe distinctionem ex naturâ rei realem; & distinctionem ex naturâ rei formalem. Prima est, quam omnes agnoscimus inter extrema aparte rei nullomodo identificata; siue illa sint mutuò inconnexa, vt duæ res; siue connexa non mutuò, vt res & modus; siue etiam mutuò connexa, vt personalitates diuinæ; & quælibet aliæ entitates cum mutuâ connexione possibiles. Secundam dicunt reperiri inter conceptus obiectiuos, formalitates, siue rationes formales eiusdem rei: nam licet huiusmodi formalitates realiter sint inter se identificatæ, siue sint eadem res, eo tamen ipso, quod illæ diuersas subeunt definitiones, descriptiones, demonstrationes, ac reduplicationes, censent Scotistæ ante omnem intellectus operationē vnam esse extra rationem alterius, aut certè vnam non esse alteram formaliter, atque ita formaliter ex naturâ rei esse distinctas inter se. Itaque omnes illæ formalitates, siue conceptus obiectiui diuersi, qui in singulis rebus creatis; atque etiam in Deo realiter sunt prorsus idem; & apud Thomistas solâ ratione distinguuntur: apud Scotistas eâ suâ identitate reali omnino retentâ, formaliter ex naturâ rei nihilominus, & independenter à ratione distingui dicuntur. Hæc est eorum mens, vt ex ipsorum dictis apparet. Hæc est distinctio, quam omnes, excepto Herrera, pro viribus cum suo Scoto tuentur tam in creatis, quam in diuinis. Quam eamdem distinctionem ex aliis admisit in creatis noster Fonsec. *lib.*5. *Metaph. cap.*6.*quæst.*6. *sect.* Annuerunt Conimbr. *in præfat. Porphyr. q.*4. *art.*2. & Alberti. *in suis corol. tom.*2. Eamque acerrimè defendit Ægid. de Præsent. *lib.*5. *de Beatit.q.*6. *art.*4. & 5.

87 Cumque distinctio, & identitas inuicem referantur, sicuti datur in hac sententia distinctio formalis independens ab intellectu diuersa à distinctione reali, ita etiam datur identitas formalis ab identitate reali valde diuersâ. Quam Scot.*quæst.illâ* 7 *citatâ* ita descripsit. *Voco identitatem formalem vbi illud, quod dicitur sic idem, includit illud, cui dicitur sic idem in sua ratione formali, & per se primo modo.*

88 Cæterum quanquam Scotistæ in dictis hactenus consipirent; hinc tamen occasione acceptâ ab istâ Scoticâ descriptione identitatis formalis in duas, vel tres classes dissidentes diuisi sunt. Sirectus enim, Mauritius, Balon, & alij apud Merin. vbi *suprà sect.*2. Existimant naturas vniuersales, siue communes distingui formaliter ex naturâ rei à naturis particularibus, siue inferioribus, in quibus sunt; non tamen è conuerso; sed potiùs naturas inferiores esse idem formaliter cum superioribus. Antonius verò Trombeta, Bassolis, & Rada affirmant vice versâ naturas inferiores à superioribus distingui formaliter ex naturâ rei, non tamen è contra; sed naturas superiores esse idem formaliter cum inferioribus. Itaque apud vtrosque hos Auctores distinctio, & identitas formalis possunt esse non mutuæ, ita quod animal sit idem formaliter cum homine, & nihilominus homo non sit idem formaliter cum animali, aut vice versâ. Ipse tamen Meriner. iure optimo hanc vtramque sententiam imperceptibilem appellat. Est enim contra illud euidentissimum axioma de mutuâ extremorum identitate, aut distinctione, in quo certissimæ apud omnes regulæ conuersionis propositionum, quæ in logicâ traduntur, fundantur, vt *suprà quæst.*3. *propos.*1. notauimus. Asserit itaque Meriner. naturas inferiores, & superiores mutuò distingui inter se formaliter ex naturâ rei distinctione includentis ab incluso, & hanc fuisse mentem Scoti satis bene confirmat. Neque credibile est illam non mutuam distinctionem in mentem venisse Doctoris subtilis, vt quæ naturali rationis lumini planè aduersatur; vt amplius ex dicendis infra patebit.

Iam agendo speciatim de Deo cum Scoto locis 89
citatis communiter docent Scotistæ non solum relationes personales, sed etiam attributa communia ipsi Deo intrinseca formaliter ex naturâ rei esse distincta ab essentiâ Dei, eamdemque distinctionem habere attributa ipsa inter se. Ita Lichetus, & Bargius *in* 1.*dist.*8. *q.*3. Basol. *in* 1.*dist.*22. *q.*3. *art.*2. & *q.*4.*artic.*1. & 3. Nicolaus de Nisse *tit.*1. *part.*3. Guillelmus Vorilong. *in* 1. *distinct.*8. *q.vnic. art.*2. Francisc.Mayron. *distinct.*8. *q.*3. 5. & 7. Petrus de Aquila. *q.*4. & 5. Philippus Faber. *in* 1. *distinct.*2. *disp.*20. Rada 1.*part. concl.* 4. Barth. de Sosa *in* 1. *dist.*2.*q.*7. Theodorus Smising. *titul.*2. *de Deo vno disp.*1.*q.*2. & alij.

Reliqui verò Theologi extra scholam Schoti 90
constantissimè, & vno ore docent prorsus oppositū. Magister *in* 1. *dist.*8 33. & 34. S.Thom. 1.*p. q.*3. *art.*6.& *q.*28.*art.*2. & *q.*39. *art.*1. & 2. Sæpeque alibi, & cum eo omnes Thomistæ Caietan. Bañez, Zumel, Nazarius, Trigosus, Canarienſis, & reliqui. Valent. 1.*part. disput.*2. *q.*13. Molin. 1.*part. q.*28. *art.*2.*disp.*2. Vasq. *disput.*116. & 120. Soar. *lib.*1. *de Attrib.cap.*10.& *lib.*4.*de Trinit.cap.*4.Fasol.1.*p. q.*4.*artic.*2.*dubit.*12.& 13.Turrian. *Opusc.de identitate relationum.* Arrubal. 1. *part. disp.*100. Tann. 1.*part. disput.*2. *q.*2. *dub.*2. & *disput.*4. *q.*1. *dub.*7. Ruiz.*tom.de Trinit. disput.*11.*per totam*, apud quos Antiquiores omnes. Et reliqui Recentiores communiter. Ex quibus aliqui seueris notis inurunt sententiam Scoti. Adam, & Marsilius dixerunt. Clamare seu dicere contra illam Sanctos Doctores. Bacon. Esse eam contra Sanctos. Carthus. Esse nouitatem oppositam tam summis Philosophis, quàm supremis Theologis. Molin. Esse eam non satistutam. Arrub. non esse tutam in fide. Zumel non satis consonare fidei. Ruiz. *sect.*7. Esse eam iam hoc tempore temerariam, & parum tutam. Quod rursus repetit *tom.de Scientia disp.*8.*sect.*1. *num.*11. Canarienſis, Bañez, & alij apud Turrianum suprà, esse errorem in fide.

91 Ego à censuris abstinens, vt argumentis potiùs non solum ab auctoritate, sed etiam à ratione petitis premam Scotistas. Vnum hic præmittendum duxi valdè notandum, à quo neque ipsi, neque vllus profectò poterit dissentiri. Nimirum, statutâ semel Scoticâ distinctione, atque identitate formali, æque in eis esse retinenda, & omnino obseruanda firmissima illa identitatis ac distinctionis axiomata tradita à nobis *q.* 3. tradendáque *q.* 7. in quibus nituntur logicalia instrumenta, ipsorumque instrumentorum leges; atque obseruantur, & retinentur in distinctione, & identitate reali. Cum enim huiusmodi axiomata omni generi identitatis, ac distinctionis communia sint, non possunt non esse etiam communia instrumenta logicæ in eis fundata cum suis regulis, & legibus, cuiusmodi sunt Ars communis syllogizandi, Ars conuertendi propositiones &c. vnde necessariò consequitur, quòd Scotistæ, qui duplex genus identitatis, & distinctionis ponunt in rebus, duplicatam habeant logicam quoad talia instrumenta, duplicique subinde disputationum, atque argumentorum generi obnoxij sint. Ita vt in vtrolibet seorsim secundum regulas logicæ debeant firmi procedere, ni velint à se ipsis desciscere; quin fas sit eis ab vno in alterum vitioso transitu transfugere. Itaque sicuti syllogismus factus in *Barbara* concludit bene, seruato in quauis propositione sensu identitatis realis, pariter non potest non bene concludere seruato sensu identitatis formalis. Et sicut in sensu reali conuersio propositionis vniuersalis negatiuæ optima est, ita nequit non esse optima in sensu formali. Ab vno autem ad alterum sensum neutiquam licet arguere.

92 Quod autem hæc ista se habeant euidentissimum planè est. Quia sicut, quæ realiter sunt eadem vni tertio non possunt non esse realiter eadem inter se (maximè secundum Scotum, qui, vt hoc axioma indemne eriperet à profundo Trinitatis mysterio suam, distinctionem formalem inter personas, & essentiam excogitauit) ita, quæ formaliter sunt eadem vni tertio non possunt non esse formaliter eadem inter se. Et sicut si A realiter est idem cum B, vicissim B realiter est idem cum A; ita si A formaliter est idem cum B, non potest non vicissim B formaliter esse idem cum A. Tum sicut in sensu reali sunt hæ propositiones veræ. *Homo non est equus. Homo est rationalis:* Ita hæ, iuxta Scotistas in sensu suo formali. *Rationale non est animal. Rationale est rationale.* Igitur quemadmodum ex variis propositionibus acceptis in sensu reali, dispositisque consentaneè ad commemorata axiomata tota syllogismorum structura, aliorumque Logicæ instrumentorum aptatur, ita ex similibus propositionibus in sensu formali Scotico sumptis, eadem omnino structura venit aptanda. Quod certè ni fateantur Scotistæ de plano, omnino cum illis cessare debet disputatio, vt qui primis, & notissimis principiis rationis naturalis aduersentur. Et sanè apud ipsos, quis neget hunc syllogismum expositorium in tertiâ figurâ bene concludere? *Rationalitas Petri formaliter non est animalitas. Rationalitas Petri formaliter potentia est Petri ad ratiocinandum. Ergo potentia Petri ad ratiocinandum formaliter non est animalitas.* Profectò non minùs bene concluditur quàm hoc. *Rationalitas Petri realiter non est lapis. Rationalitas Petri realiter est Petri animalitas. Ergo Petri animalitas realiter non est lapis.* Tantumdemque eueniet in reliquis quibusque exemplis, in quibus particulæ illæ *realiter*, *formaliter* non sunt termini propositionum, sed ponuntur ex parte verbi ad exprimendum sensum, in quo illud accipitur, realem, vel formalem, quamve significat identitatem realem, vel formalem.

Iam, quod ab vno ad alterum sensum neque ar- 93
guenti, nec respondenti transgredi liceat, non minus euidens est, atque manifestum. Quia sicut ex eo quod aliqua duo sint eadem vni tertio realiter, non sequitur, quod illa sint eadem inter se per rationem, nec vice versâ; & ex eo quod A sit idem realiter cum B, non sequitur quod B sit per rationem idem cum A, neque è conuerso. Ita ex eo quod aliqua duo sint eadem vni tertio realiter, non sequitur, qnod illa sint eadem inter se formaliter ex naturâ rei, neque è contra. Et ex eo quod A sit realiter idem cum B, non sequitur, quod B formaliter ex naturâ rei sit idem cum A, neque è contrario. Vnde in argumentis, quæ ex his principiis desumuntur, fas non erit sensu, variare, sed idem semper aut realis aut formalis Scoticus retinendus est, vt vel concludant benè, vel non concludere monstrentur.

His ita constitutis; quæ, vt reor, nemo sanæ men- 94
tis negare potest; integrum erit rationis trutinâ examinare, quid probabilitatis, quidve commodi Scotistarum opinio ferat. Sed primum, vt ab hoc me expediam obiter, breuiter, & euidenter confuto ex dictis modum philosophandi eorum, qui distinctionem, idemtitatemque non mutuam admittunt inter aliquas formalitates, vt vidimus *num.* 88. Etenim isti præter quam quod manifestè aduersantur Aristol. *lib.* 5. *Metaph. cap. de ad aliquid text.* 20. & suo Scoto *ibid.* Sæpeque alibi afferentibus relationes primi generis (è quorum numero sunt ex suo conceptu identitas, & distinctio, similitudo, & dissimilitudo, æqualitas, & inæqualitas, & aliæ huiusmodi fundatæ in vnitate, aut diuersitate) necessario esse mutuas, Logicam propositionum conuersionē, quæ argumentandi genus est firmissimum fortassis atque notissimum, subuertunt funditus. Apud eos enim à conuersa ad conuertentem in sensu formali nullius momenti erit argumentatio: & consequenter neque in sensu reali: quia nulla maior cernitur repugnantia in distinctione aut identitate non mutuâ reali, quam in formali ex naturâ rei. Atque adeò sicut possibile est apud hos A esse B formaliter, quin B sit formaliter A, ita etiam realiter possibile erit. Tum non solum conuertendi, sed etiam syllogizandi ratio labefactatur prorsus ab his Auctoribus. Imprimis enim omnes modi syllogismorum, qui indirectè concludunt, abiguntur, vtpote, qui fundantur in conuersione. Deinde omnis syllogismorum reductio, quæ à conuersione pendet, perit. Præterea syllogismi etiam directi alias legitimi nullius roboris sunt, vt patet in hoc syllogismo constructo in *Cesare* secundæ figuræ: *Nullus homo formaliter est animal. Omne animal formaliter est animal*: ergo *nullum animal formaliter est homo.* In quo posità distinctione non mutuâ inter hominem, & animal ex maiore, & minore veris sequitur consequens falsum. Cum igitur apud hos formalizantes tam malè agatur cum Dialectica, & cum ratione naturali, nullatenus audiendi sunt, sed standum in germanâ Scoti expositione, quam ex Merinero retulimus, iuxta quam procedet disputatio.

## *Propositio 1.*

Distinctionem Scoticam formalem ex naturâ rei 95
nullatenus admittendâ esse in diuinis, aut inter essentiam, & attributa seu communia, seu personalia, aut

inter

inter attributa ipsa communia, argumenta Theologica persuadent.

Primò namque in concilio Florent. verbis citatis *suprà quæst.* 4. iterum atque iterum asseritur diuinam essentiam ab hypostasibus, siue personis non re, sed sola ratione seu intelligentia differre: igitur dici nequit differre distinctione aliqua verâ & propriâ à ratione non dependente, qualis est formalis Scotica.

96 Secundò Eugenius III. in Concilio Rhemensi contra Gilbertum definiuit, vt vidimus *in eadem quæst.* inter naturam, & personam rationem aliquam non debere diuidere. Ita scilicet vt vna ratio, siue vnus conceptus obiectiuus theologicè asseratur distinctus ab altero re ipsa, seu ex natura rei, vti Gilbertus asserebat, prout ex Ottone Frinsingensi latè demonstrat Vasquez *disputat.* 120. *citata cap.* 1. Igitur asserere, vt Scotistæ asserunt, rationes, siue conceptus naturæ, & personæ formalitates esse re ipsa, siue ex naturâ rei distinctas, Eugenij, Conciliique decreto videtur aduersari. Tum in eorum sententiâ non videtur dici posse absolutè, & simpliciter *Pater est Deitas* in sensu nominatiui, quandoquidem hæc duo ex naturâ rei, & ante omnem intellectus operationem sunt formalitates distinctæ, sed solum *Pater Deitate est Deus*, in sensu ablatiui: vti Gilbertus contendebat. In quo etiam damnatus est.

97 Tertiò in Concilio Lateran. & ex illo *in cap.* Firmiter & *cap.* Damnamus *de summa Trinit. & fide Catholica*, expresè decernitur, substantiam Dei simplicem esse omnino, Personasque Patris, Filij, & Spiritus sancti cum essentiâ esse idem omninò. Necnon in Deo nullatenus esse quaternitatem, & consequenter, nec quemuis alium numerum præter Trinitatem Personarum, prout vidimus *ibidem.* Quis autem non videat sententiam Scoticam cum his decretis benè cohærere non posse? Semel namque admissâ distinctione formali ex naturâ rei inter relationes, & essentiam diuinam, & inter diuina attributa, necessariò admittenda est aliqua pluralitas, seu aliquis numerus in Deo præter personarum Trinitatem ante omnem intellectus operationem. Tum nequaquam potest esse verum, substantiam Dei esse simplicem omninò, personasque & essentiam esse idem omninò, vt patet.

98 Quartò clarius adhuc sententia Scotica repugnat communissimo Sanctorum Patrum, atque expressissimo consensui. Qui vbique eximiâ exaggeratione prædicant summam simplicitatem Dei, summámque attributorum eius communium tum interse, tum cum essentia identitatem: necnon personarum cum ipsa essentia. Vbique dicunt in Deo idem esse habere aliquam perfectionem siue attributalem, siue personalem, & illam esse. Vbique decernunt, in Deo nihil per modum accidentis intrinseci, seu qualitatis reperiri reipsa, & nostrâ conceptione seclusâ. Vbique, non esse in Deo aliud & aliud, sed omnia esse vnum: & præter personarum Trinitatem nullam esse pluralitatem aut numerum. Vbique absolutè, & simpliciter affirmant per nomina abstracta aut vnum attributum de alio, vel de essentiâ, aut personalitates de essentiâ ipsa, aut vice versâ. Sæpe etiam expresè docent hæc inter se nullo alio modò præterquam per rationem, siue intelligentiam nostram distingui. Cum quibus omnibus prædictam Scotistarum sententiam neutiquam posse constare satis superque profectò videtur notum. Si enim diuina attributa, diuina essentia, & personalitates aliquod distinctionis genus habent inter se à parte rei, præter personarum distinctionem, quam fides docet, ea sane non possunt dici omninò idem à parte rei; neque Deus summè simplex vocari potest: quandoquidem longè simplicior citra talem distinctionem est cogitabilis. Neque in Deo idem reipsa est habere suas perfectiones, & illas esse; siquidem verè illas habet formaliter ex naturâ rei, qualiter eæ non est. Sunt etiam in Deo reipsa tot prædicata per modum accidentis, seu qualitatis, quot attributa habet distincta à sua essentia, atque adeò adiuncta illi formaliter ex natura rei. Negari nequit esse in Deo præter diuinas personas aliud, & aliud, siue (quod in idem recidit, quod attinet ad phrasim Patrum) vnum, quod reipsa, & ante intellectus considerationem non sit aliud, seu potiùs plura, quorum singula non sint alia. Et consequenter neque negari potest esse in Deo non modo quaternitatem, sed centenitatem, vt loquitur Bernard. *lib. 5. de consid. ad Eugen. circa medium*; atque adeò multiplicitatem & numerum. Denique perfectiones diuinæ sumptæ in abstracto inuicem prædicari non possunt absolutè, & sine aliqua limitatione: quandoquidem in sensu formali ex naturâ rei sunt falsæ tales prædicationes. Nec verum est, solâ ratione nostrâ tales perfectiones distingui. Quæ omnia contradictoriè sunt opposita dictis sanctorum Patrum. Recole ipsorum testimonia, quæ *q. præced.* indicauimus, insuperque ad rem præsentem adiice illis, quæ sequuntur.

Cyrillus Alexand. *lib. 3. Thesaur. cap. 2.* appellat 99
*simplicissimam Deitatis naturam*, & *lib. 14. cap. 1.* Deum vocat *simplicissimum, atque incompositum*, & *cap. 3. simplicissimum, & ab omni compositione remotissimum.* August. *lib. 7. de Trinit. c. 1. summam simplicitatem, & verè summè simplicem essentiam.* Bern. *serm. 81. in cant. circa principium. Primum & purissimum simplex*, & *lib. 5. de consideratione circa medium, veram, & summam simplicitatem*, & rursus: *Non est compositus Deus, merum simplex est*: & statim. *Tam simplex Deus, quam vnus est. Est autem vnus: & quomodo aliud nihil, si dici possit, vnissimus est.* Et *paulo post* ita ait cum Boëthio. *Hoc verè vnum, in quo nullus numerus est, nullum in eo aliud præter id, quod est. Compara huic vni omne, quod vnum dici potest, & vnum non erit.* Deindeque Deum vocat *vnicè vnum*, & *simplissimam vnitatem.* Iræneus *lib. 2. aduersus hæreses cap. 16. simplex, & non compositus.* Basil. *lib. 1. contra Eunom. aliquanto ante finem. Simplex omnino, & incompositus, & penitus liber ab omni compositione.* Ambros. *lib. 1. de fide Trinit. cap. 7. Deus naturæ simplicis est, non coniunctæ atque compositæ, cui nihil accidat*, &c. Rupert. *lib. 1. in Exod. c. 14. simplex, vel incompositum.* Damasc. *lib. 1. fidei c. 12. Deus simplex est, & incompositus.* Et *c. 11.* Loquens de essentia Dei ait, *Quod in ea dictum est, cogitatione sola distinguitur.* Rursus. August. *in quæstiunculis de Trinitat. ad quæstionem.* An aliquid distet in Deo esse, viuere, intelligere, posse; respondet: *Nullatenus aliud est in Deo esse, aliud viuere, vel intelligere, & aliud posse.* Et *lib. de triplici habitaculo cap. 6. Sapientia, & veritas Dei, æternitas non diuersa sunt inter se, sed vnum sunt, & sicut & omnia. Sapientia enim Dei non magis sapientia, quam veritas est, & non magis veritas, quam sapientia, quam æternitas, quam cætera Dei omnia: vnum enim sunt in Deo. Et non solum hæc inter se eadem sunt in Deo, sed non aliud sunt quam ipse Deus.* Marius Victorinus *lib. 1. aduersus Arium sub initium. Dei eadem ipsa est & potentia, & substantia, & diuinitas, & actio; omnia enim*

*enim vnum,& vnum simplex.* Anselm. *in Monol. cap. 16. Cum illa natura nullomodo composita sit, & tamen omni modo tota illa bona sit, necesse est vt illa omnia non plura, sed vnum sint. Idem igitur est quodlibet vnum illorum, quod omnia sunt simul, siue singula, & cum dicitur iustitia, vel essentia, vnum significat, quod alia, vel omnia simul, vel singula.* Theodorus apud Cyparissiot. *decad. 10. cap. 4. de substantia Dei, & operatione* ait; *nihil differre, & non esse discernendas*, de ipsoque Deo esse *supra omnem simplicitatem*: & *ibidem cap. 5.* loquens de substantia, & virtute operatiua Dei, ait. *Nihil ista differre; quia non sunt hæc inter se discernenda, ne quod est supra omnem simplicitatem compositum esse intelligatur.* Et ipse Cypariss. *cap. 8.* cum dixisset essentiam diuinam esse *ex pluribus in vnam vnitatem congregatis*, vt ostenderet se solam pluralitatem, distinctionemve rationis admittere, & nullam ex natura rei, subiunxit, *omni differentia omnibus modis in congregatis sublata, & non alterum in altero, sed maximè supra quam copulatè nulla duplicatione posita.* Nyssenus *in lib. ad Ablauium*, de eo, quod non putandum sit tres dici Deos, *paulo ante finem, Omnem circa essentiam diuersitatem reiicit diuina, simplex & variari, alterarive nescia natura.* Et *orat. 1. in cant.* non multo post medium. *Virtus diuina est ille ipse, qui prorsus est sapientia, & ipsa iustitia, & ipsa veritas, & singillatim omnia.* Denique Ricard. Vict. *lib. 2. de Trinit. cap. 17.* & 20. & *lib. 5. c. 1. Veram & summam simplicitatem* dicit in Deo, & *lib. 1. cap. 15.* ait. *Ipsa primordialis substantia idem omnino, quod summa potentia est.* Et *cap. 18. Dei sapientia, & Dei potentia vnum idemque sunt per omnia*: & infra. *Dei substantia, nihil est aliud, quam eius potentia, vel sapientia.* Et *dicto lib. 2. cap. 17. citato* dicit, *Vbi summa simplicitas, ibi vera, & summa vnitas. Quidquid ergo in summo bono est, verè, & summè vnum est: neque aliud, & aliud ibi esse potest, sed idem ipsum est totum, quod est.* Et *cap. 18.* docet Attributa diuina ita non esse diuersa alia ab aliis, *sicut neque à semetipsis.* Quo sensu in fine cap. vniuersaliter concludit. *Quidquid in summo bono, & vera diuinitate est, verè, & substantialiter, & summè vnum est.* Postremò ne eius desit authoritas M. Dionys *cap. 9. de diuinis nomin.* Deum ait esse *in pulcherrimis excellentis identitatis finibus collocatum.* Et *paulò post.* Esse *copiam & supereminentem causam totius identitatis.*

100 Hæc adeo prolixè congessi, vt tam ingens pondus auctoritatis, & me à ponderatione excusaret singulorum testimoniorum; & Aduersariorum renixum vno ictu prorsus perfringeret. Adeo enim perspicuè tam constans, atque cohærens Patrum consensus in stabilienda omnimodis summa simplicitate, identitate, & vnitate diuinæ substantiæ, Conciliorum sensu patefacto, sententiam Scoticam confutare, atque relegare videtur, vt satis superque fuerit ponere ob oculos, quo penitus corruant quæcumque Scotistæ respondent, vt sese ab impetu tantæ auctoritatis eripiant. Quocirca in illis redarguendis nullatenus opus est immorari. Præsertim cum omnia ipsorum responsa in illud tandem resoluantur, quo dicunt. Deum summè simplicem, summè vnum, & summè idem esse in se ipso; tametsi tot distinctiones formales inter suas, ex quibus coalescit, perfectiones re ipsa patiatur; quia maior simplicitas, vnitas, & identitas nullatenus possibilis est. Quod profecto nihil aliud est, quam asserere, non esse possibilem eam simplicitatem, vnitatem, & identitatem ab omni penitus distinctione, atque compositione immunem, quam Patres, & Concilia decernunt de facto reperiri in Deo. Quod responsum quale sit, ipsi Scotistæ videant.

Iam verò præter summam propositam nuper 101
Theologicarum rationum, quibus latius, atque distinctius confirmatis ab ablurdis, quæ ex sua sententia sequuntur, vrgeri possunt Scotistæ. Et in quibus amplificandis necesse non est immorari. Contra eos etiam, faciunt rationes illæ, quibus *q. præced.* confirmauimus realem identitatem attributorum Dei cum essentia. Facient etiam, quas producemus suo loco ad diuinam simplicitatem stabiliendam. Etenim negari non potest perfectiorem esse simplicitatem, atque adeo omnino tribuendam Deo, quæ omni prorsus compositione caret, quam, quæ compositionem subit formalem ex natura rei, qualem re ipsa ponunt in Deo Scotistæ, quidquid sit de vocabulo compositionis. Deinde Deus secundum Scot. non potest esse actus purus omni carens potentialitate ad perfectionem sibi ex natura rei adiungendam. Præterea minori sibi identitate identificat perfectiones, quam eius poscit infinitudo. Et cætera, quæ in *locis citatis* recognoscere, & ad præsens institutum accommodare facile cuique erit.

Pergo modo, & specialiter contra Scotistas sic 102
argumentor. Distinctio ex natura rei formalis, quam Scotus introduxit in Deum, inutilis, & impertinens est ad eum finem, ad quem excogitata est. Ergo reiicienda ab scholis fuerat potiori iure, quam fouenda. Consequentia est bona: quia, illius vtilitate sublata, perperam foueretur distinctio tam difficulter perceptibilis, tam exosa plerisque, tam male merita secundum multorum censuram de doctrina Conciliorum, & Patrum, tamque pedetentim ab ipso Scoto, vel ipso assensu renitente introducta, vt vidimus *n.* 84. Probo ergo antecedēs. Putauit Scotus mysterium Trinitatis non posse consistere absque contradictione, nisi relationes distinguantur ab essentia formaliter ex natura rei: sed si quæ esset contradictio, eadem remaneret post eam distinctionem admissam: ergo talis distinctio nihil emollit difficultatem mysterij. Probo minorem. Sublata distinctione hac probabat contradictionem Scot. quia de eadem prorsus entitate prædicarentur duo contradictoria verè: nempe de eadem omnino entitate Patris verè diceretur communicari Filio, & non communicari: esse distinctam à Filio, & non esse distinctam. Sed posita distinctione formali ex natura rei inter paternitatem, & essentiam, dummodo maneat inter eas formalitater identitas realis, vt fides docet, & Scotus catholicè confitetur, eadem manet quoad speciem contradictio: quia eadem extrema contradictoria prædicantur de entitate realiter eâdem, quamuis formaliter ex natura rei duplex sit: Ergo eiusmodi distinctio formalis nihil omnino prodest. Quod autem contradictio sit eadem patet; quia oppositio contradictoria, quæ est affirmatio, & negatio eiusdem de eodem, tunc in suo robore perseuerat, quando in eodem sensu est vnum & idem id, de quo prædicata contradictoria enunciantur, in quo talia prædicata enunciantur de illo. Sed paternitas, & essentia sunt idem in sensu reali, & in eodem sensu reali dicuntur de essentia, & paternitate illa prædicata contradictoria. Ergo tam manent contradictoria, quàm si essentia non distingueretur à Paternitate formaliter ex natura rei.

Confirmatur. Idcirco apud Scotistas nihil pro- 103
dest distinctio rationis inter essentiam, & paternitatem ad euitandam contradictionem dictorum prædicatorum: quia hæc non per rationem solum, sed reipsa

reipsa conueniunt essentiæ, & paternitati, quomodo essentia & paternitas non duo, sed vnum, & idem sunt. Sed eadem ipsa prædicata non formaliter ex natura rei solum, sed prorsus realiter conueniunt paternitati, & essentiæ, qua ratione essentia, & paternitas non duo, sed vnum & idem sunt. Ergo distinctio formalis ex natura rei inter essentiam, & paternitatem nihil prodest ad euitandam contradictionem dictorum prædicatorum.

104 Quod vt clariùs adhuc appareat. Suppositâ distinctione formali ex naturâ rei formo idem argumentum ad probandam contradictionem, quod Scotistæ illâ sublatâ formare possunt, iuxta regulas Logicæ. Hæc propositio est vera, & de fide, *Paternitas non est filiatio.* Sed hæc etiam est vera, *Paternitas est filiatio.* Ergo dantur duæ contradictoriæ simul veræ. Probo minorem hoc syllogismo expositorio in primâ figurâ. *Essentia est filiatio. Paternitas est essentia : ergo paternitas est filiatio.* Ecce argumentum, quo se putant Scotistæ concludere contradictionẽ, si paternitas, & filiatio non distinguantur ab essentiâ ex naturâ rei vllomodo; secus, si distinguantur formaliter. Sed certè non bene: nam, vt prænotaui *suprà*, vt forma argumentandi Logica firma sit, idem sensus in omnibus propositionibus est retinendus aut realis, aut formalis ex naturâ rei. Ergo syllogismus datus aut nihil concludit, aut concludit etiam admissâ distinctione formali ex naturâ rei inter relationes, & essentiam, quia eâ distinctione admissâ adhuc remanent veræ in sensu reali præmissæ syllogismi, in quo necessario sunt accipiendæ ad concludendum contradictoriam illius propositionis de fide. *Paternitas non est filiatio.* Cum hæc non solùm in sensu formali ex natura rei, sed in sensu realissimo vera sit. Quâ autem ratione ad huiusmodi syllogismum pro tuendâ propositione illâ de fide, cuius contradictoriam infert, sit respondendum citra omnem distinctionem inter relationes, & essentiam, quæ verè & propriè talis sit ex natura rei, *inferius* examinabimus *quæst. 7.*

105 Hoc eodem pacto redarguendi sunt Scotistæ in creatis, vbi nos in contradictionem pertrahere moliuntur, quam ipsi sine suâ distinctione formalitatum vitari non posse arbitrantur, vt quando contendunt eamdem entitatem hominis esse simul, & non esse similem equo: quia est similis in quantum animal, & non est similis in quantum rationalis. Cognosci simul & non cognosci, quia cognoscitur in quantum animal, & non in quantum rationalis, & alia id genus. Ex quo patet in creatis etiam esse inutilem distinctionem Scoticam ad expediendas difficultates, pro quibus ea vtuntur Scotistæ. Vt hinc appareat, quàm sine fructu noster Fonseca & Albertinus non audentes talem distinctionem in diuinis admittere; in creatis solùm admiserunt, sponte sese implicantes, vbi Scotus coactus mysterio inscrutabili Trinitatis, quasi renitens vix fixit pedem, dum eam sine assertione inuexit, vt *suprà* vidimus.

106 Secundò arguo contra Scotistas. Aut prædicata, quæ in diuinis de eadem entitate Patris dicũtur sine contradictione beneficio distinctionis formalis positæ inter paternitatem, & essentiam, vt sunt distingui à Filio realiter, & non distingui: communicari Filio, & non communicari; producere Filium & non producere, possunt pariter in creatis media simili formalitatum distinctione, sine contradictione inueniri, aut non possunt? Si possunt: altissimum Trinitatis mysterium omnes limites entis limitati, ac finiti transcendens, & captum superans humanum, trriuiale fit, cùm & in quouis entium genere reperiri, & à quouis intellectu facile intelligi, & solo naturali rationis lumine saltem quoad possibilitatem penetrari possit. Absurdum, quod opponebat Gilberto Bernard. citatus *suprà num. 76.* Si autem dicta prædicata in creatis eidem entitati conuenire nulla ratione possunt, quantumuis ea ex diuersis formalitatibus ex naturâ rei distinctis coalescat, vti de facto secundum Scotistas omnes coalescunt: infero planè. Ergo quod in diuinis conuenire valeant, non huiusmodi formalitatum distinctio, sed ipsa diuinitatis infinitudo in causa est. Vel aliter. Ergo vt in diuinis sine contradictione conueniant, non requiritur ratione infinitatis distinctio realis, quæ in creatis: ita nec requiretur formalis. Vel aliter tandem. Ergo distinctio formalis ex natura rei subiectorum cum identitate eorum reali non exuit à contradictione dicta prædicata contradictoria, alioquin & in creatis exueret, vt patet. Relinquitur igitur, quod in diuinis sola infinitudo exuat Diuinæ substantiæ, & consequenter, quod ibi nihil ad id muneris conferat dicta distinctio, inutilisque subinde sit ad stabiliendum, vel explicandum mysterium Trinitatis; vt *paulo ante* etiam conclusum est.

Tertiò arguo contra Scotistas. In Deo ea dum- 107
taxat dici possunt esse distincta à parte rei, quibus ex propriis conceptibus repugnat esse identificata. Sed talia solummodo sunt, quæ inter se se relatiuè opponuntur relationibus producentis, & producti. Igitur diuina attributa personalitates, & essentia, vel nullam distinctionem formalem habent inter se à parte rei, vel formaliter à parte rei inuicem inter se opponuntur relationibus producentis & producti. Maior est euidens, supposito catholico dogmate de simplicitate diuina, neque negabitur, à Scotistis, qui dicunt distinctionem attributorum formalem ex natura rei ideo simplicitati Dei non opponi, quia attributa ex propriis conceptibus non possunt non ita distingui; dicturi sane opponi, si possent. Minor est omnium Patrum, & Theologorum apud quos subinde iampridem increbruit illud axioma firmissimum. *In diuinis omnia sunt vnum, vbi non obuiat relationis oppositio.* Eamque ex Conciliis, & Patribus latè demonstrat noster Ruiz *tom. de Trin. disp. 1. sect. 3.* & *disp. 9. sect. 5.* Et ratio ipsa planè suadet, quia inter perfectiones diuinas, quæ titulo summæ infinitudinis exigunt identificari vicissim, necvnde potest argui distinctio, præterquam ab oppositione secundum originem, vbi est ineuitabilis. Consequentia autem legitima est. Et confirmari potest quia non est, cur perfectiones diuinæ sint incapaces distinctionis realis citra oppositionem realem producentis, & producti; & sint capaces distinctionis formalis citra oppositionem formalem producentis, & producti. Iam verò si quis Scotista concedat totum, admittatque veram oppositionem producentis, & producti formaliter ex natura rei inter ea, inter quæ ponit similem distinctionem; ita, quod quemadmodum sine iactura identitatis realis habet locum distinctio formalis ex natura rei, sic sine iactura improductionis realis habeat quoque locum productio ex natura rei formalis. Præter quam quod rem inauditam proferet; in absurda non ferenda labetur: tenebitur enim admittere in Deo innumeras propemodum processiones, siue productiones ad intra præter duas, quas adstruit fides: tenebitur confiteri relationes personales formaliter ex natura rei ab essentia produci; atque Patrem non esse

esse omnimodo ingenitum Filium duplici processione a duplici principio procedere Spiritum sanctum non à solo Patre, & Filio, sed etiam ab essentia produci, & alia huiusmodi prorsus aduersa siue absona fidei.

108 Quartò arguo. Illæ dicuntur ab Scotistis esse formalitates distinctæ ex natura rei, quæ diuersas habent conceptibilitates obiectiuas, diuersas subeunt definitiones, diuersas demonstrationes, ac reduplicationes: è contra autem eadē formalitas erunt, quæ sub eūdem conceptum obiectiuum, sub eamdē definitionem, demonstrationem, siuereduplicationem cadunt. Ergo attributa diuina ex natura rei & sunt distincta, & identificata, atque adeo non distincta formaliter, quæ sunt contradictoria. Probo consequentiam: quia attributa diuina, & sub distinctas definitiones, conceptiones, demonstrationes, ac reduplicationes singulorum proprias, & sub eamdem pluribus communem cadere solent: priorique titulo subinde erunt inter se distincta formaliter, posteriori autem idem formaliter, idque re ipsa, siue ex naturâ rei: vel dicant, cur, quæ sub eumdem conceptum obiectiuum, sub eamdemque à nobis adunantur definitionem, non erunt vnum formaliter ex natura rei, & quæ in diuersos conceptus, perque diuersas definitiones à nobis pariter dissecantur, futura sunt ex natura rei distincta formaliter? Certè, vt ostendam *paulo infrà*, semel admissa ex natura rei distinctione formali inter conceptus realiter identificatos, nequit negari ex natûra rei esse formaliter identificata, quæ realiter inter se sunt distincta, manebit tamen in illis realis distinctio, quia huic non est opposita formalis identitas. At cum attributa diuina realiter inter se distincta non sint, si semel sunt ex natura rei idem formaliter; quia sub vnicum conceptum cunctis communem, sub eamdemque definitionem cadunt, aut nullatenus ex natura rei manebunt distincta, quia identitas formalis distinctioni formali opponitur, aut erunt simul, & non erunt distincta ex natura rei formaliter, quæ est contradictio.

109 Quod si respondeant. Attributa diuina esse quidem identificata formaliter ex natura rei in illis rationibus communibus, in quibus conueniunt, dumtaxatque inter se distingui secundum proprias, differentialesque rationes. Contra primò: quia iam hoc esset à sua sententia desciscere. Secundum quam sapientia, iustitia, omnipotentia, & cætera attributa adæquatè sunt inter se distincta formaliter ex naturâ rei. Contra secundò: quia sæpe sæpius Deus integer, nihilo dempto eorum, quæ realiter est, sub vnicum & indiuiduum conceptum, sub vnicamque pariter cadet definitionem, demonstrationem, reduplicationem, & si quidpiam aliud volueris: ergo titulo talis conceptus nihilo omnino erit in Deo, quod formaliter ex natura rei non sit idem, quo cessat in Deo omnis distinctio formalis ex natura rei. Contra tertiò: quia quæcumque sub conceptibus communibus adunantur, non possunt non tandem ita sub aliquo adunabilia esse, vt extra ipsum nihil intrinsecum, realiterve identificatum ipsis adunatis superfit, ita, quod per differentias dumtaxat distinctius conceptas veniant discriminanda, vt *infrà suo loco* monstrabo: igitur attributa diuina non possunt non ita sub aliquo communi conceptu identificari formaliter, vt nihil superfit ipsis intrinsecum, per quod distinguantur formaliter. Hæc satis modo. Pergo ad propositionem alteram, *vbi* plura.

## *Propositio 2.*

Distinctionem Scoticam formalem ex natura 110
rei diuersam à distinctione absolutè reali, non solùm in diuinis, sed in creatis etiam omnifariam esse impossibilem argumenta philosophica ostendunt.

Communis satis distinctionis dictæ impugnatio huiusmodi est. Ens adæquatè diuiditur in reale, & rationis: ergo & distinctio, quæ entitatem sequitur. Repugnat igitur distinctio alia formalis ex natura rei, quæ inter realem, & rationis sit media. Non vrget. Concedunt enim totum Scotistæ, quo sensu per argumentum proponitur, vt suprà dicebamus. Quoniam distinctio ex natura rei formalis, quam adstruunt ipsi, non est media inter realem sumptam vniuersè, & rationis. Sed distinctio realis, siue ex natura rei in vniuersum ab ipsis diuiditur in distinctionem ex natura rei realem, quæ realis absolutè vocari solet, & distinctionem ex natura rei formalem, quæ realis absolutè non dicitur ne confundatur cum priori; ob idque quodammodo distinctio media appellari potest, atque etiam solet inter realem absolutè dictam, & rationis. Hoc itaque & aliis huiusce generis argumentis omissis, quibus Scotistæ parum premuntur. Ego eos aliis viis adoriar.

Primum sic. Distinctio formalis, quam ex na- 111
tura rei esse dicunt inter formalitates realiter identificatas, non potest non esse distinctio absolutè realis: ergo est implicatoria: quia realiter inter se distingui, quæ realiter sunt idem, contradictionem implicat. Vt probem assumptum, ostendo imprimis omnem formalitatem assignabilem in quodlibet ente reali ex suo conceptu esse ens reale, & non ens formale dumtaxat. Cuius rei gratia sumo ens adæquatum A constans formalitatibus B, & C, aut plura eiusmodi entia, & formo sic argumentum in *Barbara*. Omne A realiter potest existere. Omnis B realiter est A, ergo omnis B, realiter potest existere. Sed posse existere realiter est esse ens reale: ergo omnis B est ens reale. Idem dico de formalitate C. Maior syllogismi est certa apud omnes; quia ens completum, quale ponitur esse A, realiter potest existere, & realiter est ens in toto rigore. Minor ab ipsis adstruitur Scotistis, qui dicunt formalitates eiusdem entis distinctas inter se formaliter tam inter se, quam cum ipso ente identificari realiter: consequentia est legitima, vt constat: ergo consequens verum est. Habeo ergo quamlibet formalitatem cuiuslibet entis realis ens reale esse. Ex quo sic.

Distinctio reperta inter entia absolutè realia, ne- 112
quit non esse distinctio absolutè realis. Sed distinctio reperta inter formalitates B, & C, est distinctio reperta inter entia absolutè realia: ergo est distinctio absolutè realis.

Confirmatur primò. Identitas, quam remouet 113
distinctio reperta inter B, & C, si daretur, identitas esset absolutè realis; tum quia conceptus coalescens ex B, & C, realiter esset idem sibi, tum quia talis identitas, siue foret realitas, siue formalitas, non posset non esse ens reale, iuxta dicta; atque adeo identitas realis. Ergo distinctio reperta inter B, & C, absolutè realis est, vtpote, quæ opposita est identitati absolutè reali.

Confirmatur secundò. Non minus esset abso- 114
lutè realis conceptus coalescens ex formalitatibus B, & C, casu, quod identificarentur formaliter, quàm

quam esset conceptus coalescens ex Petro & Paulo casu, quod identificarentur realiter. Tum remotio, quæ de facto remouet priorem conceptum, non minus est absolutè realis, quàm, quæ remouet posteriorem. Ergo vtraque æquè est remotio realis identitatis realis, & consequenter distinctio absolutè realis. Confirmatur tertio. Identitas quâ formalitas B est sibi idem formaliter ex natura rei, non est aliud ab ipsa formalitate B, sicut identitas, qua Petrus est sibi idem realiter, non est aliud ab ipso Petro: sed formalitas B tam est ens reale ex proprio conceptu, quam Petrus, vt ostendimus. Ergo identitas formalis ex natura rei formalitatis B, tam est identitas realis, quam identitas Petri. Et consequenter non est aliqua identitas, atque adeo neque distinctio formalis ex natura rei, quæ non sit absolutè realis.

115 Confirmatur quartò. Formalitas B, non distinguitur à se ipsa, neque formaliter ex natura rei, neque realiter. Ergo est sibi idem omnino formaliter, & realiter: sed identitas, qua sibi est idem quoquomodo non est aliud ab ipsa formalitate, neque realiter, neque formaliter, vt patet. Ergo vtraque identitas est prorsus eadem. Ergo non datur identitas, & consequenter nec distinctio formalis ex natura rei diuersa ab identitate, & distinctione reali.

116 Confirmatur quintò. Distingui formaliter ex natura rei B & C, nihil est aliud (puta illatiuè iuxta dicta *quæst.* 2.) quam B non esse C formaliter ante intellectus operationem. B autem non esse C, formaliter ante intellectus operationem aliud esse non potest, quam B & C esse formalitates, quarum vna non est altera ante intellectus operationem. Ergo B & C realiter distinguuntur. Patet consequentia; quia distingui duo extrema realiter nihil est aliud, quam vnum non esse alterum ante intellectus operationem, cuiuscumque demum rationis, siue conceptus illa sunt. Appellare enim distinctionem formalem, quod extrema inter quæ versatur formalitates quædam sint, indeque solum discriminare illam à distinctione absolutè reali, abuti vocabulis est: ac si quis diceret equum, & leonem, cùm animalia quædam sint, dumtaxat distingui animaliter non verò realiter. Si dicant hoc ipso quod distinctio versatur inter formalitates eiusdem rei, estque subinde compatibilis cum identitate ipsarum reali, non posse non esse alterius generis à distinctione absolutè reali, quæ versatur inter extrema nullo modo identificata; implicant contradictionem in terminis: quia hoc ipso quod conceptus B ante operationem intellectus non est conceptus C, conficitur B, & C re ipsa nullatenus posse identificari inter se, siue esse formalitates eiudem rei, sed necessario esse duo quædam entia omnino distincta; atque adeo in ipsis terminis implicari contradictionem, cùm dicitur B, & C distingui ante intellectus operationem, vt duæ formalitates eiusdem rei.

117 Confirmatur sextò. Si B & C realiter distinguerentur, eo præcisè distinguerentur, quod B ante intellectus operationem non esset C, neque è contra, sed modò per id ipsum dicuntur distingui formaliter. Ergo modo per id ipsum, per quod dicuntur distingui formaliter, distinguuntur realiter: atque adeo distinctio formalis ab absolutè reali diuersa non est. Dices primò, casu quod B, & C realiter distinguerentur, non fore idem realiter, vt modò sunt, non obstante distinctione formali, quam modo habent. Sed contra. In illa hypothesi non ob aliud non essent idem realiter, nisi, quia B ante operationem intellectus non esset C, neque è conuerso. Sed modò per te ante operationem intellectus B non est C, neque è conuerso: ergo modo itidem non sunt idem realiter, contradictionemque subinde implicas, dum ais esse idem realiter, & distingui formaliter ex natura rei. Dices secundò, in illa hypothesi fore vt formalitates B, & C separabiles essent, quales nullatenus modo sunt: quia extrema distincta realiter, & aliàs non habentia inter se dependentiam originis, qualem B & C non habent, nequeunt non esse saltem non mutuo separabilia. Contra tamen primò. Ideo B, & C in datâ hypothesi separabiles essent per te, quia distinguerentur realiter: sed modò vt ostendi, non possunt non distingui realiter, eo ipso, quod ante intellectus operationem B non est C: ergo modò etiam sunt separabiles; vel si ponuntur inseparabiles, contradictio implicatur, posito quod distinctio realis sine separabilitate, vel dependentia distinctorum consistere nequeat. Contra secundò; quia distinctio realis neutiquam poscit necessariò aut separabilitatem, aut dependentiam originis distinctorum. Potest enim optimè stare inter extrema mutuo connexa citra omnem influxum vnius in aliud, quæ manifestè sunt possibilia, vt *suprà quæstion. 3. propositi. 7.* statui: quo casu sine separabilitate, ac sine dependentia originis distinctorum constabit. Vnde ex hypothesi, quòd B, & C distinguerentur realiter, adhuc manerent inseparabiles, vt modo ponuntur: nec modo earum inseparabilitas obstat, quominus distinguantur realiter, vt ego contendo distingui, suppositò, quod, vt asseris, à parte rei B non est C, neque è conuerso.

Confirmatur septimò, quia nullatenus est intelligibile, quod conceptus obiectiui B, C, realiter identificentur, & tamen alter nihilominus non sit alter à parte rei, siue ante omnem intellectus operationem; quandoquidem omnium communi conceptione nihil est aliud duo quæpiam identificari realiter, quam vnum esse alterum à parte rei. Si enim negari nequit conceptum B esse conceptum C à parte rei eo ipso, quòd identificantur realiter, quomodo asseritur nihilominus conceptum B non esse conceptum C à parte rei titulo distinctionis formalis? Potestne eripi ab apertâ contradictione conceptum B esse simul, & non esse à parte rei conceptum C? minimè sanè. 118

Sed pergo, ab alioque latere Scotistas impeto: Non magis repugnat extrema realiter distincta identificari formaliter ex natura rei, quam extrema realiter identificata distingui formaliter ex natura rei. Tum eadem argumenta, quibus ducuntur Scotistæ ad ponendam distinctionem formalem inter extrema realiter identificata æqua vi impellant eos, vt ponant identitatem formalem inter extrema realiter distincta: ergo, vel vtramque negare, vel vtramque adstruere debent; aut inconsequenter philosophantur. Consequentia est bona; prior pars antecedentis mihi est euidens: quia æqualiter prorsus aut opponuntur, aut cohærent identitas formalis ex natura rei cum distinctione absolutè reali, atque distinctio formalis ex natura rei cum identitate absolutè 119

reali. Probo ergo secundam partem, quæ mihi non minus est certa. Quoniam eo ducuntur Scotistæ ad ponendam distinctionem ex natura rei formalem inter extrema realiter identificata, quòd illa diuersas conceptibilitates, diuersas definitiones, aut descriptiones habent, diuersasve subeunt demonstrationes, aut reduplicationes. Sed à contrario extrema realiter distincta sæpe gaudent eadem conceptibilitate, eademque definitione, seu descriptione, sæpe sub eamdem demonstrationem, vel reduplicationem cadunt: ergo in illis pariter debent ponere identitatem ex naturâ rei formalem. Est clarum: quia si formalitates animalis, & rationalis in eodem homine repertæ ex natura rei distinguuntur, quia diuersis sunt conceptibus conceptibiles, diuersisque definitionibus explicabiles; nequit non formalitas animalis in homine, & in brutis reperta ex natura rei esse eadem, quandoquidem per vnicum, & eumdem conceptum concipienda, & per vnicam definitionem definienda, siue explicanda venit. Dicunt fortasse animal commune omnibus animalibus per rationem nostram dumtaxat esse vnam formalitatem, quia nos, quæ realiter sunt similia, sub vnico conceptu adunamus; atque ita per definitionem, quæ solùm etiam per rationem est vnica, definimus. Bene. Sed deberent pariter dicere animal, & rationale hominis per rationem nostram dumtaxat esse duas formalitates; neque amplius, quàm per rationem nostram esse diuersas definitiones, quibus eæ definiuntur. Nullam enim vnam idoneam exhibebunt rationem, cur, quæ realiter sunt plura, solo beneficio intellectus citra omnem identitatem ex naturâ rei in vnicum conceptum obiectiuum, in vnicamve formalitatem conuenire possint; &, quod realiter est vnum, non possit pariter solo beneficio intellectus citra omnem distinctionem ex natura rei in plures conceptus obiectiuos, in pluresve formalitates secari.

120 Iam verò si quis fortasse Scotistarum audacter concesserit totum, esse nimirum vnum, & idem formaliter ex natura rei, quæcumque sub vnicum, & eundem conceptum cadunt, quantumuis illa realiter distincta sint, videat, quæso, quot inde, & quanta absurda sequantur. Sequitur enim primò ex naturâ rei esse identificata, quæ longè ab se inuicem secundum locum dissita sunt. Secundò, causam, & effectum à parte rei identificari. Tertiò ex duobus à parte rei identificatis alterum esse, & alterum non esse reuera. Quin etiam alterum possibile, & alterum impossibile esse. Quartò ex duobus à parte rei identificatis alterum produci, & simul alterum corrumpi. Quintò Deum cum creaturis omnibus identificari re ipsa, & ante omnem intellectus operationem. Etenim ex hisce tam diuersis extremis coalescunt formalitates communes per vnum conceptum conceptibiles, per vnamque definitionem explicabiles; in quibus subinde extrema ipsa iuxta positam conceptionem non possunt non ex naturâ rei identificari, & vnum quid esse formaliter ante intellectus operationem. Quæ omnia horret profectò ratio ipsa, tum naturalis, tum etiam supernaturalis. Huc item spectat argumentum, quod suprà circa attributa Dei *n.* 108. formauimus; & in qualibet re creata multis constante formalitatibus locum habet.

121 Præterea contra Scotistas sic potest argui. Distinctio, & identitas in vniuersum proprietates quædam sunt entis cum ipso ente conuertibiles: ergo semel admisso duplici genere distinctionis, & identitatis formalis, scilicet ex natura rei, & realis duplex etiam genus entis formalis, & realis est admittendum; quorum vtrumque propriam sibi categoriarum, siue inferiorum entium classem adsciscat. Quemadmodum ergo infra genus entis realis dantur substantia, & accidens, & rursus infra genus accidentis quantitas, relatio, actio, passio, & cætera prædicamenta realia; ita infra genus entis formalis substantia, & accidens, quantitas, relatio, actio, passio, & cætera prædicamenta formalia debebunt admitti metaphysicè saltem, & possibiliter; atque ita quidem, vt sicut singula entia realia suis proprietatibus, & accidentibus gaudent independenter à formalibus, sic singula entia formalia independenter à realibus potiantur suis. Quo fiet, vt possibile sit inter conceptus formaliter distinctos, quantumuis identificatos realiter, dari suas generationes, corruptiones, actiones, passiones, relationes, oppositiones, cætera huiusmodi formaliter ex naturâ rei. Rursus possibile erit, vt idem conceptus formaliter ex naturâ rei producatur, aut corrumpatur, quin producatur, aut corrumpatur realiter; atque adeo etiam, vt non existendo realiter existat formaliter, vel existendo realiter, non existat formaliter. Innumeraque alia huius generis possibilia dicenda erunt; quæ ex terminis ipsis apparet esse chymerica; cùm tamen non maiorem repugnantiam præ se ferant, quàm quòd duo conceptus realiter identificati formaliter ex natura rei sint distincti, vti asserunt Scotistæ.

Denique, id, quod specialiter dicunt Scotistæ de distinctione gradum superiorum, & inferiorum, distingui scilicet formaliter ex natura rei prædicata specifica à differentiis indiuidualibus: atque adeo etiam ab indiuiduis; & prædicata generica à differentiis specificis atque adeo etiam ab speciebus, specialiter etiam refelli potest. Primò: quia sæpe prædicata specifica, & differentiæ indiuiduales non sunt formalitates adhuc ratione nostra præcisæ, nedum ex natura rei distinctæ formaliter, differunt namque dumtaxat penes confusum, distinctumque conceptum sui, vt ostendemus *inferius disputation. decima septima.* Secundò: quia quando differentiæ indiuiduales formalitates sunt præcisæ à prædicatis specificis, vt sæpe etiam fit, iuxta dicenda *ibidem*, è genere sunt formalitatum transcendentium, vt *ibi* etiam videbimus. Formalitates autem transcendentes ab eis, quas dicuntur transcendere, distingui ex natura rei impossibile est, vt ostendam postmodum. Tertiò: quia prædicatum specificum Petri, vt condistinctum à differentia individuali, singulare est, & indiuiduum saltem fundamentaliter, tum quia non est vniuersale, cum physicè non conueniat pluribus, tum quia terminat actionem singularem, quâ à Deo causatur. Ergo vt potest illud absque secunda singularitate ex natura rei supperaddita, sed solum per rationem nostram reddi singulare formaliter: quia alias daretur infinitus progressus singularitatum ex natura rei additarum, quod est absurdum (quia talis infinitudo categorematica esset, vt patet cum tamen infinitudo singularitatum sola ratione addibilium tantùm 121

tantùm sit syncategorematica, atque adeò possibilis) ita absque singularitate prima ex naturâ rei superaddita, cùm superaddita tantùm per rationem nostram potest esse singulare formaliter: male ergo ad id muneris tribuitur illi singularitas ex naturâ rei superaddita.

123 Quod si prædicatum specificum, & differentia individualis absque vllâ distinctione ex natura rei in singulis individuis constare possunt, quantumuis per rationem nostram distinctos conceptus sortiantur, pariter prædicatum genericum, & differentia specifica in singulis speciebus constare poterunt: quia nullus est titulus ponendi in his, & non in illis ex naturâ rei distinctionem. Vide dicenda *disp. illa 17. citata.*

124 Iam verò, quòd formalitates transcendentes, quæcumque illæ sint, non possint distingui ex naturâ rei ab illis, quas transcendunt, est clarum; quia vt minimum sequeretur inde dari in singulis entibus infinities infinitos progressus formalitatum ex naturâ rei distinctarum, quòd patet esse absurdum. Si enim formalitas B à formalitate C transcendente ex naturâ rei sit distincta, cùm B etiam vt condistincta à C iterum debeat formaliter esse C titulo transcendentiæ, fiet, vt B, vt distincta à prima C, formaliter sit secunda C, & rursus vt distincta à secundâ formaliter sit tertia, & sic in infinitum. Tantumdemque eueniet in singulis formalitatibus C C C &c. & in reliquis totius entis. Ex quo tandem fit contra Scotistas, vniuersalia transcendentia, qualia sunt ens, accidens, & similia, quæ apud ipsos, conceptus communes, imò, & vniuocos sibi vendicant, à differentiis inferiorum, & ab inferioribus ipsis formaliter ex naturâ rei distingui non posse. Vnde etiam capitur argumentum pro vniuersalibus non transcendentibus, quia supposito, quod transcendentia à suis inferioribus etiam vniuocè possunt abstrahi, sicut non transcendentia, non est cur hæc distingui ex natura rei postulent à suis inferioribus, secus illa. Quod autem prædicata vniuersalissima entis, accidentis, & similia omnes omnino formalitates inferiorum transcendant, & quâ ratione, *inferius disputation. decima septima*, monstrabitur. Mitto alia leuiora, quæ fusiùs ad rem congerit Quiedo *Controuers.* 4. *Metaphys. punct.* 3.

125 Postremò. Scotistarum distinctio, vel ex eo maximè in vniuersum reiicienda est, quod cum tam difficilis sit intellectu, tam innumeraque secum ferat incommoda, superuacanea prorsus est, & inutilis, vel ad leniendas difficultates, pro quibus euadendis tum in diuinis, tum etiam in creatis inducitur, vt iam *superiùs à numer.* 102. satis apertè monstratum est.

126 Restabat modo argumenta diluere, quæ pro suâ distinctione stabilienda excogitarunt Scotistæ. Verum id commodius præstabimus *infrà* in peculiari quæstione, quæ erit 7. in ordine, vbi de solutione huiusmodi, aliorumque argumentorum agetur opportuniùs.

## QVÆSTIO VI.

### *Vtrum in diuinis formalitatibus, aut etiam in creatis distinctio aliqua virtualis sit admittenda?*

VAriis modis accipi solet distinctio virtualis; 127
tametsi omnes ex eodem fonte trahant originem. Virtualitas quippe à virtute dicitur. Virtus autem propriè nihil aliud sonat, quàm vis, potentia, siue facultas ad quodlibet munus obeundum. Vnde factum est primò, vt effectus in virtute causarum dicantur contineri, & causas virtualiter esse effectus ipsos, quatenus vim, & potentiam habent ad eos causandos. Secundò factum est magis ad rem nostram, vt quidquid valet præstare, quod ab alio quopiam præstari potest, virtualiter esse illud dicatur. Sic piper virtualiter dicitur esse calidum, quia vim habet calefaciendi æquè ac, quæ calida sunt formaliter. Et vniuersim, quidquid in ordine ad obeundum quoduis munus perindè se habet atque aliud quidpiam, tantumve valet, quantum illud, siue ei æquiualet, siue (quæ in idem recidunt) perinde se gerit, ac si esset illud reuera, virtualiter illud ipsum dicitur esse. Vnde tandem virtualitas, & æquiualentia idem omnino sunt in ordine ad quidlibet.

Hinc ortum habuit quadruplex acceptio distinctionis virtualis, quæ in Auctoribus reperitur. Primò enim dicunt aliqui tunc in aliqua re indiuisibili dari distinctionem virtualitem, cùm ea fundamentum præbet, vt per rationem distinguatur ab intellectu in plures conceptus, quia videlicet in tali fundamento præbendo rebus distinctis verè, & formaliter æquiualere videtur. Hoc sensu solent multi loqui de distinctione virtuali, vt sunt Conimbr. *in logicâ q.* 4. *vniuersalium, art.* 2. Soar. *disp.* 7. *Metaph sect.* 1. *n.* 4. & *lib.* 1. *de attributis cap.* 13. & *lib.* 4. *de Trinit. cap.* 4. Ruiz *tom. de Trinit. disp.* 12. *sect.* 2. *num.* 3. Fasol. testans de communi 1. *part. q.* 4. *art.* 2. *dubit.* 14. *n.* 117. & alij apud Ægidium de præsentatione *tom.* 1. *de Beat. lib.* 5. *quæst.* 6. *artic.* 7. apud Meriner. *in logicâ cap.* 1. *de vniuers. disputation.* 1. *quæst.* 2. *sect.* 1. *n.* 17. & apud Fasol. *suprà n.* 113. *sub finem.* 128

Secundò alij apud Arriag. 1. *p. disp.* 42. *sect.* 1. *subs.* 1. distinctionem, seu pluralitatem virtualem in eadem re indiuisibili ponere solent, quatenus in ea plura prædicata coniuncta vident, quæ in aliis rebus inueniuntur dispersa, quibus subinde ea sola quoad talia prædicata æquiualere videtur, sic dicunt hominem virtualiter esse plura entia, hoc ipso, quod est ens substantiale vt lapis, viuens vt planta, sentiens vt brutum, intelligens vt Angelus, &c. 129

Tertiò alij ibi distinctionem virtualem reperiunt, vbi coniunctas vident virtutes siue potentias, quæ in aliis rebus sunt dispersæ ad causandos plures effectus: tunc enim vna sola causa æquiualet pluribus. Sic dicunt distingui in homine animal, & rationale, quia homo per hos duos gradus æquiualet Leoni, & Angelo in ordine ad operationes sentiendi, & ratiocinandi: ita Ægid. *supra*, & alij. Quæ quidem acceptio cum præcedente coincidit: nisi, quòd illa vniuersalior est. 130

Quarta, & celeberrima acceptio distinctionis virtualis est, quâ in ordine ad sufferenda prædicata contradictoria sine repugnantia eadem 131

res indiuisibilis dicitur æquiualere pluribus: atque atque adeo virtualiter esse plures, siue distincta in plures. Sic dicunt Theologi mox referendi distingui in Deo personalitates ab essentia, cùm quâ identificantur realiter: quia multa prædicata conueniunt essentiæ reipsa, quorum contradictoria conueniunt personalitatibus, vt sunt produci, & non produci: communicari, & non communicari: distingui, & non distingui, & similia. Quam quidem distinctionem virtualem multi ex Recentioribus vocant intrinsecam, vt eam discriminent à reliquis, quas sub nomine distinctionis virtualis extrinsecæ comprehendunt.

132 Igitur prætermissis tribus prioribus generibus distinctionis virtualis extrinsecæ, de quibus non est dubitandum, tum in Deo, tum in creaturis reperiri (quatenus tam in Deo, quàm in creaturis reperiuntur tum fundamentum distinctionis rationis plurium conceptuum, prout exponemus *quæst.* 8. tum coniunctio, siue identitas plurium prædicatorum, atque etiam plurium virtutum, seu potentiarum causandi, quæ in aliis rebus reperiuntur diuersa.) De quartò dumtaxat, & postremo distinctionis virtualis intrinsecæ est difficultas, an in Deo sit admittendum, aut etiam in creaturis?

133 Negant expresè, & impugnant huiusmodi virtualem distinctionem in Deo Granados 1. *part. Contr.* 1. *titul.* 3. *disput.* 5. *sect.* 3. Alarc. 1. *part. titul.* 1. *disput.* 4. *capite* 2. *& titul.* 3. *disput.* 4. *capite* 7. *& titul.* 5. *disput.* 2. *capite* 7. & 10. & alij. Imò Turrian. *in selectis part.* 1. *Centu.* 4. *dub.* 35. seuerius, quam par esset, arbitratur esse grauissima censura dignam sententiam, quæ talem tuetur distinctionem. Quam insuper negare videntur, quotquot vltra personarum Trinitatem solam distinctionem rationis admittunt in diuinis vt S. Th. 1. *part. quæst.* 28. *articul.* 3. Vasquez *disp.* 117. & 121. & alij. Nihilominus illam adstruunt, constanterque defendunt in Deo plures, atque graues Theologi Caiet. 1. *part. quæst.* 39. *articul.* 1. §. *ad euidentiam, &* §. *Ad secundum.* Valent. 1. *p. q.* 1. *de Trinit. punct.* 2. *sub finem & quæst.* 4. *punct.* 1. *etiam sub finem*, & *quæst.* 13. *punct.* 1. §. *Ad secundum.* Molin. 1. *part. quæst.* 28. *art.* 2. *disput.* 2. *concl.* 3. Arrub. *disput.* 100. *capite* 3. *num.* 17. Albiz *tract.* 4. *de Trinit. disput.* 3. *sec.* 9. & 10. Ægid. de Præsent.. *latissimè lib.* 5. *de Beat. quæst.* 5. *art.* 6. Heriz. 1. *part. disput.* 2. *capite* 3. *num.* 18. & *disput.* 12. *capite* 1. *num.* 4. & *disput.* 50. *capite* 2. *à n.* 23. Zuniga *disput.* 2. *de Trinit. dub.* 4. Fasol. 1. *part. quæst.* 4. *articul.* 2. *dubit.* 13. *num.* 99. Tann. *disp.* 2. *quæst.* 2. *dub.* 3. & *disput.* 4. *quæst.* 1. *dub.* 5. Petr. Hurt. *disput.* 6. *Metaph. sec.* 3. Arriaga *disp.* 5. *Logicæ sec.* 4. *subs.* 2. & latius 1. *part. tom.* 1. *disp.* 42. *sec.* 5. Ouied. *controu.* 4. *Metaph. punct.* 4. & alij Recentiores communiter. Ex quibus non desunt, qui hanc distinctionem virtualem, de qua tractamus, extendant etiam ad creaturas. Cæteris tamen plerisque contradicentibus, qui ne in Deo quidem censent esse admittendam, nisi vbi veritates fidei eam debere admitti conuincunt.

## *Propositio* 1.

134 Id, quod nomine distinctionis virtualis æquiualentis, seu eminentialis, de quâ agimus, significari intenditur, in Deo, saluâ fide, negari non potest inter conceptus obiectiuos identificatos realiter.

Est clarum: quia, suppositâ fide, omnes tenentur confiteri, Essentiam diuinam, & Paternitatem idem esse realiter. Essentiam communicari Filio; Paternitatem verò non communicari realiter. Paternitatem distingui à Filio; essentiam verò non distingui realiter. Et consequeter prædicata alias ex se contradictoria, qualia ista sunt, realiter conuenire Paternitati, & essentiæ, quæ realiter sunt prorsus idem; Et consequenter rursus Paternitatem, & essentiam ob suam infinitudinem talis esse eminentiæ, vt cum realiter sint prorsus idem; realiter nihilominus possint sufferre sine repugnantia prædicata contradictoria, non minus, quam si realiter essent distinctæ. Quod est Paternitatem, & essentiam in ordine ad sufferenda prædicata contradictoria rebus realiter distinctis æquiualere; siue perinde se gerere ac si realiter distinguerentur. Quod ipsum est eas æquialententer, seu virtualiter esse distinctas à parte rei, cùm verè, & formaliter sint prorsus idem. Nequit igitur de primo ad vltimum, suppositâ fide, negari in Deo inter conceptus obiectiuos identificatos realiter id, quod nomine distinctionis virtualis significari intenditur.

Itaque esse in Deo Paternitatem, & essentiam 135
talis eminentiæ, vt citra realem distinctionem prædicata contradictoria valeant sine contradictione sustinere realiter, à nullo catholico negari potest. Idque ipsum, & non aliud significari intenditur, quando à præcitatis Theologis dicuntur illæ à parte rei distingui virtualiter. Ex quo patet, qui huiusmodi virtualem distinctionem negant, ab iis, qui affirmant in re discrepare non posse, sed tantùm in modo loquendi; eoque solùm posse inter ipsos controuersiam reduci: an Paternitas, & essentia ob præfatum titulum virtualiter inter se distinctæ sint dicendæ, vel secus?

## *Propositio* 2.

Paternitas, & essentia, & vniuersim quicum- 136
que conceptus obiectiui talis in Deo sunt eminentiæ, vt cùm sint prorsus idem realiter, re ipsa nihilominus verè, & sine contradictione conueniant illis prædicata contradictoria, meritò dici possunt, & debent distingui à parte rei virtualiter.

Primò: quia, cùm huiusmodi conceptus in ordine ad munus subeundi talia prædicata sine repugnantia, æquiualeant rebus distinctis, siue perinde se gerant, ac si distincti essent verè, & formaliter, iure optimo, & magnâ cum proprietate dicuntur distingui virtualiter, iuxta doctrinam præmissam *n.* 127. sicut piper propriissimè dicitur virtualiter esse calidum: quia in ordine ad munus calefaciendi perinde se gerit, ac si esset calidum formaliter. Secundò, quia modus iste concipiendi, & explicandi per hasce æquiualentias diuina mysteria, non parum lenit eorum difficultatem, aptissimèque omnium terminos præbet expeditos ad illa more scholastico tractanda, ad eorum rationem, quantum possibile nobis est pro præsenti statu, reddendam, & ad faciliùs, ac expeditius illa ab argumentis aduersantibus propugnanda. Quod certè per solam distinctionem rationis diuinarum formalitatum præstari nequit, vti contendunt plures Theologi. Quæ omnia ex dicendis *quæst.* 7. planè apparebunt; atque ex his etiam, quæ iam subiicio, soluendo argumenta, quibus distinctio virtualis impeti potest.

Sit primum. Videri esse illam contra diuinam 137
simplicitatem, cùm sit distinctio conueniens

Deo

Deo à parte rei, & ante omnem intellectus operationem. Quocirca in eam itidem videntur contorqueri posse omnia argumenta, quæ contra distinctionem Scoticam *quæst.præced.* produximus. Respondeo tamen neutiquam id ita se habere; quoniam distinctio virtualis reuerâ,& absolutè loquendo non est distinctio,sed æquiualentia distinctionis: quo fit,vt citra omnia prorsus incommoda commoda solùm distinctionis adferat secum. Imò verò nihil re ipsa, vt dicebam, ponit in diuina substantia præter id, quod illam habere constat ex fide,esse videlicet eam talis eminentiæ,vt cùm omnino,& summè sit simplex, in ordine tamen ad susceipienda sine repugnantiâ prædicata contradictoria, perinde se habeat,ac si esset multiplex. Itaque sicut esse Deum virtualiter calidum, quòd in ordine ad calefaciendum calido æquiualet, cùm verè calidus non sit, nihil imminuit de perfectione diuinâ. Sic esse Deum virtualiter multiplicem, quòd in ordine ad prædicata contradictoria sine repugnantiâ subeundâ multiplici æquiualet, cùm verè multiplex non sit, nihil imminuit de diuinâ simplicitate. De distinctione Scoticâ longè diuersa Thologia est: nam illa reuerâ proprie, & formaliter est distinctio faciens aliud, & aliud, siue,quod vnum non sit aliud à parte rei; faciensque subinde, vt illud ens, in quo reperitur,multiplex sit saltem secundum formalitates ante omnem intellectus operationem; quare nec potest illa non aduersari simplicitati Dei,neque ab aliis exui incommodis,quæ contra eam arguentes *q.præced.* tetigimus.

138 Secundò, contra distinctionem virtualem sic potest argui. Distinctio virtualis inutilis est, & inanis ad explicanda, aut defendenda diuina mysteria. Ergo perperam in Deo adstruitur. Antecedens probatur. Primum quidem, quia nequit per illâ reddi ratio nisi nugatoriè dumtaxat, & verbo tenus: cur eidem entitati diuinæ duo contradictoria sine repugnantia conueniant. Cum enim distingui virtualiter Paternitatem, & essentiam nihil sit aliud re verâ, vt dictum; quam esse eas talis eminentiæ, vt prædicata contradictoria possint sine contradictione sufferre. Perinde erit asserere, ideò Paternitati, & essentiæ prædicata contradictoria non repugnare, quia virtualiter sunt distinctæ, atque asserere; ideo non repugnare, quia non repugnant, quæ est mera nugatio. Deinde, quia vt nos *superiùs à numer.* 102. contra Scotistas arguebamus. Nisi subiecta prædicatorum inuicem sibi contradicentium eâ ratione sint inter se distincta, qua illis talia prædicata conueniunt; non possunt hæc à contradictione, seu repugnantia denudari. Ob id namque concludebamus ibi distinctionem formalem Scoticam Paternitatis, & essentiæ cum reali ipsarum identitate compositam, nihil prodesse ad tollendam contradictionem prædicatorum, quæ illis non formaliter solùm, sed prorsus realiter conueniunt. Igitur multo minus poterit prodesse ad id muneris distinctio virtualis, quæ longè minor est, quàm formalis, imò, quæ verè, & propriè non est distinctio, sed summa identitas cum quadam distinctionis æquiualentiâ.

139 Respondeo distinctionem virtualem, etsi penitus non explanet diuina mysteria; quia illa sunt ineffabilia; nonnihil tamen lucis illis adferre, atque adeò neque inutilem, neque inanem ad ea explicanda censendam esse. Fateor equidem distinctionem virtualem Paternitatis verbi gratia, & essentiæ quasi à posteriori dumtaxat nobis innotuisse ex eo, quòd illis verè conueniant prædicata ex suo genere contradictoria, vt fide docemur. Inde enim veluti à posteriori inferimus Paternitatem, & essentiam rebus distinctis æquiualere, æquiualenterve distingui in ordine ad talia prædicata; hoc tamen semel statuto; dum quæritur; cur essentiæ, & Paternitati, cùm sint realiter prorsus idem, prædicata contradictoria sine repugnantia conueniunt? non incongruè respondetur quasi à priori. Quia licet realiter formaliter idem sint, realiter tamen virtualiter sunt distinctæ in ordine ad talia prædicata; siue talis sunt eminentiæ, vt in ordine ad illa rebus distinctis æquiualeant. Quæ quidem responsio negatoria non est, neque idem reddit per idem; sed cohærentiæ prædicatorum aliàs contradicentium respectu eiusdem entitatis Paternitatis, & essentiæ pro ratione reddit, quod illæ rebus distinctis æquiualent relatè ad talia prædicata: huius autem æquiualentiæ pro ratione reddit infinitudinem & eminentiam diuinæ substantiæ, vnde nascitur; neque vltra fit progressio à priori. Tametsi cuncta hæc rursus à posteriori innotuisse dicantur per fidem dicentem re verâ Paternitati, & essentiæ prædicata dicta competere. Quemadmodum à posteriori scimus substantiam panis, & eius quantitatem realiter inter se distingui, quia per fidem noscimus in Eucharistia separari, semel tamen tali cognitâ distinctione,si quæratur,vnde est,quod possint separari; bene à priori respondebitur, quia realiter distinguuntur, sic autem distingui, quia id fert secum earum natura. Ex quo patet ad priorem partem argumenti propositi.

Ad posteriorem dico. Tunc subiecta debere distingui eadem ratione, quâ prædicata contradictoria conueniunt illis, vt hæc inuicem sibi non con contradicant, quando subiecta alioquin ita non distincta non valent se gerere relatè ad talia prædicata, ac si tali omnino ratione distinguerentur,secus, quando valent ob suam præstantiam, & eminentiam, vti euenit in proposito. Vnde patet argumentum à nobis factum contra Scotistas *loco citato*, etsi bene contra illos intentum concludat, incassum contra nos retorqueri. Cum enim illi formali dumtaxat distinctione paternitatis, & essentiæ subnixi realem prædicatorum contradictionem eis conuenientium tentent excutere, efficaciter à nobis redarguuntur: quia contradictio prædicatorum realis per solam distinctionem formalem subiectorum non magis euitabilis est, quàm per solam distinctionem rationis, si vi distinctionis tantùm standum sit, vt ipsi stant. Nos verò cùm asseramus essentiam, & paternitatem ob suam infinitudinem, & eminentiam citra omnem veram distinctionem eodem omnino modo se gerere in ordine ad dicta prædicata contradictoria, ac si realiter essent distinctæ, tantumdem absque vllâ verâ distinctione adscribimus paternitati, & essentiæ, quo prædicatorum ipsorum contradictionem auertamus, quam si illis adscriberemus distinctionem absolutè realem. Ex quo patet prædictum argumentum factum à nobis contra Scotistas nihil præstare contra nos. 140

Tertiò argui potest. Aliqua prædicata contradictoria conueniunt paternitati, & essentiæ, quæ beneficio distinctionis virtualis non possunt à contradictione excusari. Ergo talis distinctio impertinens est etiam respectu reliquorum: quia vt hæc, tali distinctione sublatâ, verè de essentia, & paternitate dicuntur, & reliqua quoque dicentur. Prædicata autem sunt. *Esse idem* 141

*cum Patre, Filio*, quod verè dicitur de essentia; & *non esse idem cum Patre, & Filio*, quod verè dicitur de paternitate. Quod autem Paternitas & essentia respectu horum prædicatorum non distinguantur virtualiter, probatur: quia non se gerunt respectu eorum, ac si verè, & formaliter distinguerentur, in quo distinctio virtualis consistit, quandoquidem si verè, & formaliter Paternitas & essentia distinguerentur, essentia non esset idem cũ Patre, & Filio, vt modò est, quod est nõ se gerere nunc respectu talis prædicati, vt tunc se gereret. Respondeo essentiam, & Paternitatem dumtaxat distingui virtualiter relatè ad munus, quod alias exposceret distinctionem realem, nisi hæc per eminentiam diuinam æquiualenter suppleretur; quale dumtaxat est dimidium eiusmodi prædicatorum. Itaque dico Paternitatem, & essentiam virtualiter distingui in ordine solùm ad esse idem, & non esse idem cum secundo Filio, quæ sunt dimidia prædictorum prædicatorum; ob quam distinctionem talia prædicata Paternitati, & essentiæ conueniunt sine contradictione, vtpote, quæ ab illis dimidiis dumtaxat oriunda erat. Pariterque philosophandum est de his prædicatis. *Essentia est Trinitas. Paternitas non est Trinitas*, & de similibus. Posse autem Paternitatem, & essentiam esse distinctas virtualiter relatè ad vnum munus, & non ad alia, indubitabile est, vt apparebit ex dicendis.

142 Itaque ad multas huiusce generis difficultates, quæ exoriri possunt, sedandas, hæc regula generalis esto. Distinctionem virtualem diuinarum formalitatum tantummodò dari in ordine ad munus præcisè, quod alias exposceret distinctionem realem, nisi hæc suppleretur æquiualenter per eminentiam Dei; in ordine verò ad aliud quidpiam nequaquam. Hinc fit, vt sæpe in ordine ad syncategoremata adiuncta contradictoriis non detur distinctio virtualis, quæ datur in ordine ad contradictoria ipsa præcisè sumpta e. g. in ordine ad hæc contradictoria communicari, & non communicari distinguuntur virtualiter essentia, & Paternitas, secus in ordine ad adiunctum, quod in his reperitur, communicari infinitè, & non communicari infinitè, posito, quod talis infinitas exposcat identitatem essentiæ cum Paternitate. Quia licet Paternitas, & essentia modo se gerant, ac si distinguerentur formaliter in ordine ad communicari, & non communicari præcisè; non tamen pariter se gerunt in ordine ad communicari, & non communicari infinitè, quandoquidem si essentia distingueretur à Paternitate formaliter, non posset communicari infinitè infinitudine exposcente siue includente identitatem formalem vtriusque. In ordine quippe ad suam identitatem formalem nequeunt dictæ formalitates distingui virtualiter. Quia id esset distingui virtualiter in ordine ad se, siue in ordine ad essendum quod sunt. Quod prorsus est impossibile iuxta dicenda *postmodum*. Pariterque in similibus casibus Theologizandum est.

143 Ex quibus infertur, prædictas formalitates Dei sæpe non distingui virtualiter in ordine ad prædicata contradictoria complexa, quæ de ipsis verificantur: tametsi semper sic distinguantur in ordine ad eas ipsorum partes præcisè vnde ipsis prouenit contradictoria oppositio & quæ aliàs formalem exposcerent distinctionem subiectorum, nisi hæc suppleretur æquiualenter per eminentiam Dei.

144 Quartò, & vrgentius potest obiici. Distinctio virtualis, quæ adstruitur inter Paternitatem, & essentiam ex vnâ parte independenter à nostro modo concipiendi conuenit entitati Patris à parte rei, alias non reale quid esset, vti supponimus, sed figmentum rationis: ex aliâ parte non est distinctio faciens in ipsa entitate Patris aliud, & aliud à parte rei. Sic enim potius esset formalis, quam virtualis, neque ab Scoticâ differret; sed est prædicatum illud, ratione cuius tota indiuisibilis entitas Patris, prout in se est independenter à nostris conceptibus, ita se gerit in ordine ad prædicata contradictoria, ac si non esset vna, sed duplex. Ob id Hurt. *supra* §. 143. dixit distinctionem virtualem in Deo pluralitate conceptuum obiectiuorum non indigere, sed in eadem omnino obiectiua formalitate inueniri. Igitur quocumque modo nos concipiamus, & nominemus entitatem Patris, poterimus de illâ verè affirmare prædicata contradictoria, quæ de essentia & Paternitate verè affirmantur. Consequentia est bona: quia si talia prædicata re ipsâ, & secluso quouis respectu ad nostrum modum concipiendi conueniunt entitati indiuisibili Patris, quòd ea virtualiter duplex est; nihil ad eorum verificationem referre potest, quod nos eiusmodi entitatem sic, vel aliter concipiamus, aut nominemus. Quàm autem absurdum sit consequens inde manifestè conspicitur. Quod hæ duæ propositiones omnino essent veræ. *Pater distinguitur à Filio. Pater non distinguitur à Filio* non minus, quàm hæ. *Pater distinguitur à Filio. Essentia Patris non distinguitur à Filio* quandoquidem in vtrisque eadem realitas Patris ponitur ex parte subiecti licet diuerso modo significata; cùm tamen secunda illarum priorum hæretica sit.

Respondeo entitatem Patris realiter indiuisibilem non vtcumque se gerere vt duplicem relatè ad prædicata contradictoria, sed vt duplicem, siue duas, quarum altera essentia, & altera Paternitas est. Quo fit, vt conceptus essentiæ, & conceptus Paternitatis realiter in tali entitate identificati æquialenter sint distincti in ordine ad talia prædicata, ita, quòd alterum prædicatorum alteri conceptui dumtaxat, & alterum alteri conueniat; quanquam enim dicti conceptus à parte rei non sint alter, & alter formaliter, æquiualenter sunt alter, & alter in ordine ad suscipienda ea prædicata diuisim; id enim ipsum est distingui virtualiter Paternitatem, & essentiam in ordine ad talia prædicata, quod alterum eorum prædicatorum soli Paternitati, aut Patri ratione solius Paternitatis, & alterum soli essentiæ possint conuenire; de factoque conueniant realiter æquè, ac si essentia, & Paternitas realiter formaliter essent distinctæ. Quod, cùm ita sit, iam facile apparet primò eiusmodi prædicata contradictoria non posse indiscriminatim affirmari de tota Patris entitate vtcumque conceptæ, & significatæ; sed alterum de conceptu obiectiuo essentiæ, alterum de conceptu obiectiuo Paternitatis, seu Patris affirmari debere. Quo cessat absurdum per argumentum illatum. Secundò absque præcisione obiectiuâ formalitatum, nequaquam posse nos pro hoc statu intelligere, aut explicare, imò nec credere distinctè veritates, quas fides docet circa mysterium Trinitatis: nequimus enim nos non distinguere per rationem formaliter eos conceptus, qui à parte rei distinguuntur æquiualenter ad attribuendum illis per iudicium ea prædicata diuisim; quæ ipsis diuisim conueniunt ob suam, quam habent re verâ non formalem, sed æquialentem distinctionem. Id, quod contra Hurt. & alios vberius est demonstrandum *infrà q.* 9. Vnde tandem contra Hurt. ipsum apparet distinctionem virtualem, de quâ tractamus, in eâdem Dei obiectiuâ formalitate neutiquam posse reperiri. 145

Quintò

146 Quintò obiicitur. Si Paternitas, & essentia diuina distinguuntur virtualiter. Ergo Pater virtualiter est ex illis compositus. Ergo virtualiter est non Deus. Ergo virtualiter est chymera, ergo ita se gerit, ac si formaliter esset chymera: ergo non existit formaliter, vti non existeret, si formaliter esset chymera. Quę omnia valde absurda sunt. Respondeo Paternitatem, & essentiam tantùm distingui virtualiter in ordine ad prædicata, non verò item absolutè, seu in ordine ad se. Atque ita Patrem in ordine tantùm ad talia prædicata esse quasi compositum virtualiter, in tamen ad se minimè. Vnde non sequitur esse eum virtualiter non Deum, aut chymeram, & cessant alia absurda.

147 Instabis. Nequeunt Paternitas, & essentia virtualiter esse distinctæ in ordine ad prædicata contradictoria, quin habeant in se talem distinctionem; repugnat enim conuenire aliquid alicui relatè ad aliud quidpiam, & non habere id absolutè tale quid in se: ergo si virtualiter distinguuntur relatè ad prædicata dicta, virtualiter sunt etiam distinctæ in se, siue relatè ad proprium esse: ergo perinde se gerunt in suo esse, ac si distinguerentur formaliter à parte rei, & redeunt omnia illata absurda. Quia quemadmodum casu, quòd distinguerentur formaliter, verissimè diceretur Paternitatem non esse à parte rei essentiam, neque essentiam Paternitatem, ita modo titulo distinctionis virtualis id ipsum posset dici æquè verè, contra veram fidem. Paterque subinde etiam dicetur verè, & formaliter compositus, atque adeo non Deus; sed chymera. Confirmatur: quia impossibile est, vt aliqua extrema distinguantur formaliter in ordine ad aliquod munus, & non distinguantur formaliter in ordine ad se. Ergo etiam est impossibile, vt distinguantur virtualiter in ordine ad aliquod munus, & non distinguantur virtualiter in ordine ad se. Sequunturque iterum absurda commemorata.

148 Respondeo negando paternitatem, & essentiam eo ipso, quòd distinguantur virtualiter in ordine ad prædicata contradictoria, debere distingui virtualiter in ordine ad se, siue in ordine ad proprium esse. Tametsi non possint non habere in se talem distinctionem relatè ad talia prædicata, quod est valdè diuersum. Neque enim Paternitas, & essentia in ordine ad essendum, quod sunt comparatæ inter se præcisè, vllà indigent distinctione, sicut indigent ad suscipienda sine repugnantia prædicata contradictoria; quin imo in ordine ad essendum, quod sunt, illis repugnat omnis distinctio adhuc virtualis, vt argumentum factum ostendit; qua semel sublata, absurda per illud illata cessant. Ad confirmationem respondeo concedendo antecedens, & negando consequentiam: quia, quod semel est formaliter tale, imprimis est tale comparatione sui, siue in ordine ad essendum, quod est; quoniam id ipsum est illud esse formaliter tale. Vnde nequit esse formaliter tale in ordine ad aliquod munus, quin sit etiam tale in ordine ad se, vt patet in calore formali, qui non potest esse calor formalis in ordine ad calefaciendum, quin sit in ordine ad essendum, quod est. Ast, quod solùm æquialenter est tale, non opus est, quod tale sit comparatione sui, etsi sit tale comparatione alicuius muneris. quia non opus est, quod in ordine ad essendum, quod est, æquiualeat ei, cui æquialet relatè ad tale munus, imò id repugnat, vt patet in pipere, quod in ordine ad calefaciendum calori æquialet: cui tamen in ordine ad essendum, quod est, nequit æquialere. Liquet igitur, quæ virtualiter solùm distincta sunt in ordine ad aliquod aliud munus, in ordine ad proprium esse nec debere, nec posse virtualiter distincta esse. Tametsi, quæ formaliter distinguuntur in ordine ad aliquod munus, nequeant non etiam esse distincta formaliter in ordine ad se.

149 Sextò obiici potest. Sicut sunt prædicata contradictoria distingui formaliter à Filiatione, non distingui formaliter à Filiatione, quorum primum re ipsa conuenit Paternitati; secundum verò essentiæ, ita sunt prædicata contradictoria, distingui virtualiter ab essentia, non distingui virtualiter ab essentiâ, quorum primum Paternitati, secundum verò essentiæ debet conuenire reipsâ, si talis distinctio virtualis reperitur in Deo. Ergo eâ semel admissâ, alia necessariò in ordine ad illam est admittenda; & in ordine ad hanc tertia, & sic in infinitum; quod videtur absurdum. Respondeo distinctionem virtualem, quæ nihil est aliud, quàm valor distinctionis in re indistinctâ pro se simul, & pro prædicatis, in ordine ad quæ datur, valere, quin opus sit aliâ distinctione virtuali, quasi reflexa: quia cùm Paternitas in ordine ad hoc, quod est distingui à Filiatione, in se ipsâ habeat valorem rei distinctæ ab essentiâ, nequit non etiam habere talem valorem in ordine ad valorem ipsum habendum, quod est distinctionem virtualem imprimis pro seipsâ seruire, vt, quo pacto de Paternitate verè affirmatur, verè de essentiâ negari possit, & vice versâ.

150 Septimò denique opponitur. Maior est oppositio reperta inter duo contradictoria, quàm reperta inter principium, & principiatum. Sed hæc absque distinctione reali, verâ, & formali constare nequit. Ergo neque illa. Vel si primâ cum solâ distinctione virtuali componi potest; potiori iure poterit componi secunda; nulliusque subinde momenti erit argumentum, quo PP. realem personarum distinctionem in Deo ex earum oppositione producentis, & producti deducunt. Si enim sola distinctio virtualis Paternitatis, & essentiæ est sufficiens, vt realiter essentia communicetur Filio, & non communicetur Paternitas; cur non sufficiet sola distinctio virtualis Patris, & Filij, vt realiter Pater Filium producat, & Filius producatur à Patre? Respondeo oppositionem repertam inter duo contradictoria reipsâ formalia, qualia dumtaxat sunt existere, & non existere esse quidem maiorem, aut certè non minorem oppositione repertâ inter principium, & principiatum, atque adeo illam non minus, quàm hanc secum ferre distinctionem extremorum realem formalem. Oppositionem verò repertam inter contradictoria reipsâ tantum fundamentalia, formaliaque solùm iuxta modum intelligendi nostrum minorem esse in vniuersum oppositione principij, & principiati, atque ita licet in creatis absque distinctione reali formali extremorum oppositorum nequeant constare; in diuinis tamen cum solâ distinctione virtuali posse componi. Talis autem est contradictoria oppositio, quam habent prædicata, quæ in Deo de essentia, & personalitatibus verificantur: vtpote, quæ reipsâ, & apud videntes intuitiuè omnia sunt positiua, atque adeo fundamentaliter solum contradictoria, iuxta vniuersalem doctrinam de huiusmodi contradictoriis tradendam *suo loco*.

Mitto alia leuiora, quæ contra distinctionem virtualem congerit Alarcon *locis citatis*; quia satis, superque diluta manent per doctrinam traditam, quæ ampliorem adhuc lucem accipiet ex dicendis *suis locis* circa distinctionem, & contingentiam virtualem actuum Dei liberorum. Quorum mysterium

rium non minus intellectu difficile, quàm Trinitatis mysterium est, vt *ibi* videbimus.

151 Post hæc scripta in longissimam disputationem incidi P Ioan.de Quiros,quæ est 15.t.1. *suarum disputationum selectarum de Deo.* Vbi multis labefactare conatur distinctionem virtualem, de qua hic tractamus,contendens probare, de formalitatibus diuinis immediatè identificatis realiter nullatenus verificari posse absque repugnantia prædicata realiter contradictoria. Vt autem hæc absque repugnantia verificentur de illis,quę simul cum identitate immediata mediatam distinctionem realem habent in tertio, huiusmodi distinctionem in tertio sufficere. Atque in vtrisque distinctionem virtualem,de qua tractamus, inutilem esse,& consequenter impossibilem. Eas autem formalitates diuinas appellat distinctas in tertio mediate & realiter,quarum prima ita est cum secunda realiter identificata, vt sit realiter distincta à tertia, cum qua est identificata secunda, vti Paternitas ita est cum essentia identitificata, vt sit realiter distincta à Filiatione, cum qua est identificata ipsa essentia.

152 Verum enim verò vtrum aliquæ formalitates diuinæ realiter identificatæ prædicata contradictoria possint sine repugnantia sufferre,independenter à prædicta distinctione reali in tertio; & consequenter in ordine ad talia prædicata distinctionem virtualem habere; *in propriis Tractatibus de Deo* examinandum est. Tales enim esse videntur formalitates intellectus, & voluntatis, quatenus prima præ secunda reipsa in productionem Verbi videtur influere, secunda vero præ prima in productionem Spiritus Sancti. De quo *in Tract. de Trinitate.* Tales formalitates intellectionis contingentis, & necessariæ; quatenus prima reipsa est potens non denominare Deum intelligentem,secus secunda. De quo *in Tract.de scientia Dei.* Tales formalitates intellectionis,& volitionis; quatenus prima in secundam aliquo reali modo videtur influere,secus è contra. De quo *in Tract. de voluntate Dei.* & cæteræ huiusmodi. Aliena quippe sunt examina ista ab hac quæstione. In qua solum inquiritur an,sint dicendæ distinctæ inter se virtualiter ille formalitates realiter identificatæ, de quibus aliunde constat sufferre sine repugnantia prædicata contradictoria. Quales citra omne dubium sunt formalitates essentiæ, & cuiusuis Personalitatis diuinæ, vt fatetur ipse Quiros; neque vllus Catholicus negare potest. Quæ quidem quæstio potius est de modo loquendi, quam de ipsa re, vt dicebam *propos.* 1. Quo circa Auctor iste extra propria loca, atque adeo citra propria principia contendit probare formalitates prioris generis prædicata contradictoria nequaquam sufferre: quo semel posito, indubitatum est, illas in ordine ad talia prædicata virtualiter non distingui. De formalitatibus vero posterioris generis incassum, inconsequenterque conatur suadere, virtualiter non distingui in ordine ad prædicata contradictoria, quæ reipsa suscipiunt, & quorum suscipiendorum subinde capaces sunt. Quandoquidem ipse definit distinctionem virtualem esse capacitatem suscipiendi prædicata contradictoria: fateturque, neque negare potest, dictas formalitates talem capacitatem habere. Ex quo fit malè etiam ipsum,nec satis consequenter contendere, sufficere in dictis formalitatibus ad suscipienda prædicata contradictoria sine repugnantia realem distinctionem mediatam, quam(phrasi eius) in tertio habere dicuntur. Quandoquidem ad realem ipsam earum mediatam distinctionem in tertio ipsa immediata virtualis earumdem omnino necessaria est. Si namque prima & secũda formalitas non essent virtualiter duæ, siue inter se distinctæ, non posset prima realiter distingui à tertia,à qua secunda realiter distincta non est. Nimirum, si Paternitas & essentia non essent virtualiter distinctæ inter se, non posset Paternitas realiter a Filiatione distingui, à quâ realiter Essentia distincta non est. Stet itaque formalitates diuinas suscipientes prædicata contradictoria, quæcumque illæ sint, virtualiter distinctas in ordine ad eas suscipiendas dicendas esse. Quidquid nouissimè *loco citato* contendat Quiros in oppositum.

## *Propositio 3.*

Distinctio virtualis in ordine ad suscipienda præ- 153
dicata contradictoria nullatenus in creatis est admittenda;quin imò ab illâ prorsus,veluti à peste,ac pernicie totius Philosophiæ abhorrendum est.

Ita sentiunt Hurtado, Arriaga, Ouiedo, & alij plerique *suprà* relati, qui nobilcum huiusmodi distinctionem admittunt in diuinis. Admittitur enim in diuinis,quòd ad id compellunt mysteria fidei, in cuius obsequium captiuandus est intellectus; eam tamen in creatis etiam admittere erit humanis diuina confundere, & velle creata per diuina metiri. Imò abstrusiora mysteria creaturis tribuere, quam fides attribuit Creatori; semel enim eâ distinctione admissâ in creatis:possibilia citra dubium erunt plura mysteria Trinitatis, atque etiam quaternitatis & amplius. Poterit eadem indiuisibilis entitas secundum diuersas formalitates distinctas virtualiter produci simul, & non produci; vniri, & non vniri: esse in tali loco, aut subiecto, & non esse in eodem loco, aut subiecto; & alia sexcenta huiusmodi, quæ manifestè sunt chymerica.

Deinde si vnaquæque creatura titulo virtualis distinctionis duplex contradictorium absque repugnantiâ potest admittere, quid supereſt in Philosophiâ firmum? quid prosunt præcepta Logicæ? Quid commodi secum fert syllogizandi methodus? Cuncta profectò cassa fiunt, totaque subinde vis naturalis rationis penitus eneruatur ad philosophandum in creatis, vt perpendenti singula notum fiet.

Præterea eodem iure, quo in creatis adstruitur 154
distinctio virtualis, quoduis ens, aut non ens virtuale, quod non sit tale formaliter adstrui poterit. Quo fiet, vt nullum habeamus argumentum ad probandas veras rerum essentias, & existentias, aut earum negationes. Poterit enim vnusquisque si velit omnem propositionem quantumuis euidentem negare, dicens id, quod affirmatur esse, aut non esse, verè, & formaliter non ita se habere, sed virtualiter dumtaxat, quia in ordine ad nostram perspicuam, & euidentem cognitionem perinde se gerit, ac si formaliter esset tale, quale iudicatur. Poterit insuper omnem distinctionem, & identitatem formalem è medio tollere dicendo esse vniuersales dumtaxat, quatenùs id ipsum præstant, quod præstarent formales. Idemque de potentiis rerum causatiuis, ac denique de omnibus fore entibus, & negationibus impunè poterit affirmare, quin possit de falsitate aliquo argumento conuinci. Quæ, quam absurda sint, nemo non videt.

Denique semel admissis in creatis huiusmodi 155
virtualitatibus, vbicumque ponitur distinctio virtualis in ordine ad prædicata contradictoria simul cum identitate formali, potius deberet è conuerso poni

poni distinctio formalis cum identitate virtuali, stando enim in ratione naturali nihil potest vrgentius cogere ad adstruendam identitatem formalem, quam cogit necessitas vitandi contradictionem ad adstruendam distinctionem formalem. Igitur, qui ponit distinctionem virtualem inter gradus rerum metaphysicos, vt inter animal, & rationale, & similes prætextu vitandi contradictionem prædicatorum, quæ de eis dicuntur, potiore iure posset imò, & deberet dicere tales gradus verè, & formaliter distingui, quia admittunt prædicata contradictoria, & ad argumenta, quæ probant eorum identitatem, respondere esse virtualiter idem, quia se gerunt ac si idem essent. Quod quidem non solùm absurdum, sed prorsus inauditum est.

156 Stet igitur distinctionem virtualem in ordine ad componenda cum eodem subiecto reali prædicata contradictoria, eamdem ferre secum difficultatem, quam mysteria diuina, vt constat ex dictis *propos.* 1. atque adeo solius entis infiniti per essentiam, qualis Deus est, propriam esse; neque in aliquo ente creato vllomodo inueniri posse. Etenim statuto semel, id, quod nefas esset negare, multa conuenire Deo prædicata ob infinitam suæ naturæ celsitudinem, quæ omnino repugnat in creaturis reperiri; a fortiori fatendum est distinctionem virtualem, de qua tractamus, ex genere eorum prædicatorum esse, maximè cùm eius possibilitas adeò à ratione naturali remota sit, vt sola fides mysteriorum Dei, vbi illam cogimur admittere, in eius potuerit nos persuasionem inducere. Adde non solùm esse inertiam animi, sed pessimum philosophandi genus à diuinis ad creata arguere, velleque finitum mensurari infinito: atque ita creatutam creatori non sine ipsius irreuerentia quodammodo æquare. Præterquam, quod difficultates; pro quibus distinctio virtualis in creatis intruditur, suas habent planiores vias, per quas expediantur, vt bona ex parte videbimus in hâc disputatione.

157 Ex his infertur ne respectu quidem prædicatorum intentionalium sibi contradicentium dari posse in rebus creatis distinctionē virtualem. In quo Recentiores quidam, quos suppresso nomine refert Ouiedo *suprà* § 4. hallucinati sunt, censentes in ordine ad contradictoria intentionalia, vt sunt cognosci, & non cognosci, distinctionem virtualem esse, & necessariam ad hoc vt intellectus præscindat ex parte obiecti formalitates. Tametsi omnino sit impossibilis in ordine ad contradictoria physica, vt sunt produci, & non produci, vniri & non vniri, esse, & non esse in tali loco &c. Perperam tamen: primò, quia, quæ diximus circa præsentem propositionem omnem omnino distinctionem virtualem in ordine ad prædicata contradictoria relegant à creaturis. Secundò, quia si cognosci vnam formalitatem, & non cognosci aliam identificatam cum illa, non sunt ex se prædicata contradictoria, seclusâ distinctione virtuali talium formalitatum, superfluè omnino adstruitur hæc ad eorum impediendam contradictionem. Si autem sunt, æquè erunt talia, atque vniri vnam earumdem formalitatum, & non vniri aliam, quia contradictio ex suo conceptu non suscipit magis & minus; sed omnia contradictoria æque inter se sunt contradictoria: ergo vel in vtroque casu est possibilis distinctio virtualis in ordine ad impediendam contradictionem talium prædicatorum, vel prorsus in neutro. Tertio, quia cognosci aliquid simul, & non cognosci æquè omnino repugnat ex se, atque vniri simul & non vniri; sicut æquè repugnat existere simul, & non existere cognitionem alicuius, atque existere simul, & non existere eius vnionem. Quod enim illud extrinsecè per cognitionem, & intrinsecè per vnionem tangatur. Tum, quod per cognitionem possit attingi, dum non existit: per vnionem non item, impertinenter omnino se habent ad rem, quandoquidem si illud simul cognosceretur, & non cognosceretur; simul existeret, & non existeret eius cognitio; aut simul ea esset, & non esset cognitio illius, quæ sunt prædicata intrinsecè sibi contradicentia ex parte cognitionis, æquè ac essent ex parte vnionis, si simul illud ipsum vniretur, & non vniretur. Igitur, vel in ordine ad vtraque prædicata contradictoria, physica scilicet, & intentionalia; vel omnino in ordine ad neutra est asserenda possibilis distinctio virtualis in creaturis, vt nos statuimus. Perperamque huiusmodi prædicata discriminantur ad propositum, præsertim cùm ea, quæ intentionalia appellantur, considerata in se ipsis æquè ac alia sint physica, siue existentia physicè à parte rei Qua autem ratione vna formalitas à nobis ex parte obiecti possit præscindi ab alia citra virtualem distinctionem ipsarum, inferius *q.* 9. explicandum est.

## *Propositio 4.*

Distinctio virtualis in ordine ad susceipienda præ- 158
dicata contradictoria, ne in Deo quidem est admittenda, nisi vbi fides compellit illam admittere: eo quòd vexitas aliqua aut reuelata, aut ex reuelatis sequuta absque tali distinctione constare non potest.

Consentiunt etiam in hanc propositionem plerique ex Doctoribus pro nostra sententiâ citatis. Et meritò, quia conceptus adeo difficilis, vt sit necessarium captiuare, ac veluti cogere intellectum ad eius possibilitatem capiendam, nequapuam est vel ipsi Deo tribuendus, nisi compellente fide proximè, vel remotè. De Deo quippe seclusâ fide secundum principia naturalia, & intra eorum metas theologizandum est, à quibus profectò longè abesset distinctio virtualis, de quâ tractamus, nisi eam fides diuinorum mysteriorum introduxisset, vtpote, quæ quodammodo limitat, & coarctat, seu potius transcendit ipsa naturalia principia, vt patet ex dictis, & amplius patebit ex dicendis *q. seq.*

Hinc sequitur, quoties formalitates diuinæ nul- 159
latenus aliquod munus obire valent fine distinctione virtuali; nisi proximè, vel remotè suadeat fides, eis tale munus conuenire, potius esse illis munus ipsum negandum, quam distinctionem virtualem relatè ad ipsum attribuendam, idque etiam si illæ citra dubium relatè ad aliud munus virtualiter distinctæ sint, e. g. si repugnat videri essentiam intuitiuè, non visâ per eumdem actum Paternitate, nisi paternitas, & essentia in ordine ad talem visionem virtualiter distinguantur: & aliàs ex fide non constet alteram sine alterâ intuitiuè videri posse (De quo *suo loco*) potius est neganda hæc potentia, quàm adstruenda illa distinctio, quantumuis Paternitas, & essentia in ordine ad alia prædicata diuina sint virtualiter distinctæ; & in similibus pariter.

Porro. Posse diuinas formalitates esse virtualiter 160
distinctas in ordine ad vnum munus, & non in ordine ad aliud, præterquam, quod satis ex dictis constat, probari potest à priori: quia nihil vetat æquialere vnum alteri in aliquo solùm, & non in reliquis, quæ illud habet. Piper namque æquialet calori in virtute productiua alterius caloris, & non

in

in virtute dispositiuâ ad formam ignis. Ergo bene poterunt formalitates diuinæ æquiualere rebus distinctis in ordine ad vnum munus, & non in ordine ad alia, quæ res distinctæ in quantum distinctæ præstare valent.

161 Imò indidem est ad extremum colligendum contra plerosque Recentiores distinctionem virtualem, aliasque huiusmodi virtualitates, seu æquiualentias, nullatenus debere attribui, vti ipsi passim attribuunt, formalitatibus diuinis absolutè, & simpliciter (quasi eis conueniant in ordine ad totum, quod sunt) sed respectiuè tantùm ad aliquod speciale munus. Aliàs multa absurda sequentur, vt ex dictis in hac quæstione colligere est, ex *alibique* dicendis amplius constabit. Ratio à priori, quia nullum ens alteri enti à se diuersò potest æquiualere in ordine ad totum, quod ipsum est, alioquin non esset ab illo diuersum, vt ponitur; si enim piper e. g. in ordine ad totum, quod ipsum est, æquiualeret calori, perinde ac calor, se haberet quoad totum suum esse, atque adeo iam non piper, vt ponitur, esset, sed calor, habere se enim aliquid, quoad totum suum esse, vt calorem, & esse calorem, in idem recidit.

## QVÆSTIO VII.

*Quomodo dissoluenda sunt argumenta, quæ contra identitatem diuinarum formalitatum, tum ab aliis, tum maximè ab Scotistis opponi solent?*

162 AGendum imprimis de formalitatibus diuinis, atque adeo de Attributis Dei tum communibus tam inter se, quàm cum essentia comparatis, tum personalibus collatis cum essentia ipsâ, & communibus. De eorumque identitate excludente non solùm distinctionem absolutè realem, iuxta doctrinam stabilitam *q.* 4. sed etiam distinctionem formalem ex natura rei, iuxta doctrinam contra Scotistas statutam *q.* 5.

163 Primum autem argumentum eiusmodi identitati aduersum ex illo desumitur axiomate celeberrimo. *Quæ sunt eadem vni tertio, sunt eadem inter se.* Cuius meminit Arist. *lib.* 7. *Topic. cap.* 1. *loco* 5. vt *supra q.* 3. *proposit.* 2. commemorauimus. Si enim relationes, seu personalitates diuinæ cum vnâ Dei essentiâ sunt idem, & inter se quoque debent esse idem, iuxta dictum axioma. At constat ex fide esse inter se distinctas. Ergo & ab ipsâ essentiâ distinctæ sunt. Aut axioma alioquin euidens, falsum est. Totaque forma syllogistica fundata in illo funditus corruit; totaque vis rationis humanæ penitus eneruatur.

164 Hoc argumentum non parum negotij facessit cunctis Theologis. Neque vna omnium circa solutionem eius sententia est. Etenim prætermissis illis, qui vt hanc difficultatem euaderent, minus catholicè de diuinâ Trinitate sentientes, realem aliquam distinctionem commenti sunt inter personas, & essentiam, tollentes ab eis subinde, realem identitatem, quam habent, contra quos egimus *q.* 4. Prætermissis etiam Scotistis, qui cum reali identitate distinctionem formalem ex naturâ rei inter personas & essentiam componere satagunt, quorum doctrinam latè, & efficaciter confutauimus *q.* 5. Et reliquis quidam dicunt prædictum axioma vniuersaliter esse verum in conceptibus absolutis. Cum quo stat conceptus inuicem relatiuos, quales sunt personalitates diuinæ, posse inter se distinctos esse, etsi sint idem vni tertio. Pro hoc modo dicendi affert P. Ruiz *tom. de Trinit. disput.* 15. *sec.* 3. Boethium, Athanasium, Cyrillum, & alios Patres. Cæterùm cùm distinctio mutua relatiuorum, quæ sint eadem vni tertio, nullibi reperiri valeat præterquam in Deo ob summam eius infinitudinem. (Alioquin plurima Trinitatis mysteria essent possibilia in creatis, quod sine absurdo ingenti dici non potest.) perinde est, ita explicare axioma, ac dicere illud in solis creaturis, non item in Deo locum habere.

Alij dicunt præfatum axioma vniuersaliter esse 165
verum, in iis, quæ sunt eadem adæquatè vni tertio, seu, quod in idem recidit, in iis, quæ sunt eadem vni tertio incommunicabili, siue, quod ita est vnum, vt non sit etiam plura. Sic Moli. 1. *part. quæst.* 28. *artic.* 3. *disput.* 2. Val *disp.* 2. *quæst.* 2. *punct.* 4. Bellarm. *lib.* 1. *de Christo cap.* 18. Gran. *contro.* 5. *de Trinit. tit.* 3. *disput.* 3. *sec.* 3. & alij. Verùm hæ distinctiones nugatorium potius videntur reddere axioma, quàm illud ad rem expedire. Nam esse aliqua eadem vni tertio adæquatè nihil aliud in præsenti sonare potest, quàm, quòd omnia identificata cum tertio, sint etiam identificata cum singulis, quod est esse illa eadem inter se; & esse tertium incommunicabile, aut ita vnum, vt non sit plura, idem est, ac non esse illud identificatum cum pluribus inter se distinctis. Perinde ergo erit asserere. Quæ sunt eadem vni tertio adæquatè, siue, sunt eadem vni tertio incommunicabili, aut omnimodis vni, sunt eadem inter se: atque asserere, quæ sunt eadem vni tertio, & inter se non sunt distincta, sunt eadem inter se; quæ est clara nugatio.

Alij idem axioma sic explicant, vt sensus sit, quæ 166
sunt eadem vni tertio, sunt eadem inter se *secundum id, secundum quod idem sunt*, quo sensu censent etiam in Deo illud locum habere. Pro hac explicatione Soar. *lib. de Trinit. cap.* 3. & Ruiz *supra num.* 17. citant S. Th. S. Bonau. Capreol. Caiet. Ferrar. & alios, sed certè si in eo sensu dumtaxat esset axioma verum, nulla non possent esse inter se distincta etiam in creatis, quantumuis identificata cum tertio, quia semper quantumuis distincta essent idem secundum id, quod commune habèrent in ipso tertio, vti euenit in personis diuinis. Tum explicatio ista inutile reddit axioma, vt ex illo possit inferri absoluta identitas eorum, quæ identificantur cum tertio, qualis citra omne dubium ab omnibus in creatis infertur.

S. Th. 1. *part. quæst.* 28. *artic.* 3. *ad* 1. & cum eo 167
Thomistæ communiter dumtaxat censent tenere dictum principium in iis, quæ re simul, & ratione sunt eadem vni tertio, nonverò in iis, quæ ratione differunt, vti personalitates diuinæ differunt ab essentia, quia nimirum, vt exponit Gran. *supra*, solùm est euidens identificari inter se, quæ ita sunt eadem vni tertio, vt ne ratione quidem habente in re fundamentum distinguantur ab illo. Sed primum ego non capio, quid ad rem distinctio, aut identitas rationis à solo intellectu nostro dependens, quando sermo est de identitate reali plurium cum tertio; quanquam enim nos non possimus apprehendere inter se distincta, nisi, quæ à tertio pariter distincta apprehendimus. At nostræ apprehensiones, quid conferunt, vt realiter inter se distinguantur, quæ realiter à tertio distincta non sunt? Certè etiam cùm iudicamus esse eadem inter se, quæ sunt eadem vni tertio, apprehendimus, illa

tum

tum inter se, tum ab ipso tertio distincta. Nihil ergo nostræ rationis distinctiones realibus rerum identitatibus præiudicare valent. Deinde, si quæ ratione distinguuntur à tertio, eo ipso possunt realiter inter se distingui, quantumuis ab ipso tertio realiter distincta non sint, nihil ex dicto principio adhuc in creatis firmum habebimus. Sed tuto mysteria Trinitatis passim in creaturis confingere integrum erit, quandoquidem passim distinguuntur à tertio ratione nostra, quæ realiter ab illo distincta non sunt. Quod tamen, quis non censeat absurdum?

168 Propterea Soar. *lib. 4 citato de Trinit. cap. 3. n. 7.* Vasquez *1. p. disp. 123. cap. 2. n. 9.* Valent. *q. 2. pun. 4.* Albertin. *tom. 1. Princip. 7. corol. 1. num. 6.* Tann. *disp. 4. q. 1. dub. 4. n. 19.* Ruiz *disp. 15. citata de Trin. sec. 2. n. 6.* & alij graues Theologi ingenuè fatenter axioma, de quo tractamus, vniuersaliter non esse verum, quia in diuina Trinitate ob summam eius infinitudinem locum non habet, tametsi in rebus creatis falsum esse non possit. Cæterùm quanquam hoc ita sit re vera, quia tamen, quæ de Trinitate diuinâ fides nos docet, non solùm huic axiomati videntur aduersari, sed etiam illi forsam euidentiori, cuius meminimus *disp. 9. q. 5. propos. 1. Idem simul esse, & non esse impossibile est*, quatenus in Deo de eadem entitate reali prædicata contradictoria verificantur, vt sunt distingui, & non distingui; producere & non producere; produci, & non produci; & similia. Pater enim distinguitur à Filio, & illum producit: cùm tamen essentia, quæ est eadem entitas cum Patre, neque distinguatur à Filio, neque illum producat. Filius etiam producitur à Patre, à quo non producitur essentia, quæ est eadem entitas cum Filio. Ideirco vt huiusmodi axiomata etiam in Deo firma consistant, & nos de Deo ipso digniùs loquamur, dicendum arbitror cum Arriaga *tom. 1. in 1. p. disp. 43. sec. 3.* & aliis *q. præced. n. 133*, relatis, vera esse illa vniuersaliter vbicumque simul cum identitate reali ac formali extremorum distinctio aliqua virtualis, eminentialis, seu æquiualens non interuenerit, qualis inter aliquas formalitates diuinas absque vllo prorsus summæ identitatis dispendio dicenda est interuenire, vt monstrauimus *in dictâ quæstione*. Itaque quæ sunt eadem vni tertio, adeo vt ne virtualiter quidem distinguantur ab illo ea non possunt non esse eadem inter se etiam in Deo. Quæ verò ita sunt eadem vni tertio realiter formaliter, vt virtualiter ab illo distincta sint, nihil vetat, quod distinguantur inter se realiter formaliter. Similiter duo prædicata contradictoria de eodem subiecto ita indiuiduo, vt ne virtualiter quidem multiplex sit, nullatenus verificari possunt, adhuc in Deo; quando verò subiectum ita realiter formaliter vnum, & idem est, vt virtualiter sit duplex, bene potest prædicata contradictoria cum infallibili veritate sufferre. Et quoniam huiusceemodi virtualis distinctio nullum omnino locum habet in creaturis, imò ne in Deo quidem, nisi vbi mysteria fidei cogunt ad eam ponendam, vt ibidem ostensum est, ideo axiomata supradicta, sicut & cætera quæq; similia totius Metaphysicæ præterquâ in pauciſſimis casibus, vbi intrá Deum dictæ distinctionis virtualis moderationem patiuntur, simpliciter, & absolutè, & absque vllâ explicatione sunt retinenda vt prorsus certa. Vnde liquet ad argumentum factum *n. 163.* quomodo sine præiudicio axiomatis, in quo illud nititur, possint beneficio distinctionis æquiualentis, seu virtualis personalitates diuinæ esse inter se distinctæ realiter, quantumuis cum vnicâ sint identificatæ.

Circa illud verò, quod in argumento supponitur. 169
Fundari scilicet in illo principio. *Quæ sunt eadem vni tertio, sunt eadem inter se*, formam syllogisticam artis syllogismorum communis, quæ in Logicâ Arist. circunfertur, sua etiam inter Auctores est controuersia. Fundari quidem affirmant Aureol. *in 1. dist. 2. par. 3. tit. 3.* Scot. *ibidem q. 4. §. Ad primum.* Arriaga *in summulis, & 1. p. disp. 43. citata sec. 1. & 2.* Ouiedo *in summulis contr. 4. punct. 1.* & alij Recentiores. Negant tamen Caiet. *1. p. q. 28. art. 3.* Molin. *ibidem disp. 3.* Vasquez *disp. 123. cap. 2.* Ruiz *disp. 15. de Trinit. sec. 4* & alij censentes dictam artem Aristotelicam non fundari nisi in illis principiis. *Dici de omni*, & *Dici de nullo.* Vbi illam fundauit ipse Arist. *lib. 1. Prior. cap. 4.* & *lib. 2. per totum.* Quod quidem statuunt hi Doctores, vt facilius defendant vim syllogisticam etiam in Deo habere locum, quantumuis ibi locum non habeat principium illud. *Quæ sunt eadem vni tertio* &c.

Ego, vt dissidium istud componam, & penitus 170
rem ipsam declarem. Noto. Ad artem Aristotelicam primariò, & per se pertinere syllogismos de medio communi: à quibus alij sunt affirmatiui, alij negatiui. Syllogismos verò de medio singulari dictos expositorios, quorum alij etiam sunt affirmatiui, alij negatiui, ad similem artem posse reduci; tametsi hactenus talis ars ad formam non sit redacta, sicuti alia: hoc posito.

Dico primò: Syllogismi negatiui, siue de medio 171
communi, siue de medio singulari non possunt fundari in illo principio. *Quæ sunt eadem vni tertio* &c. quia merè affirmatiuum est. Rursus nec syllogismi affirmatiui de medio communi possunt in eo saltem adæquatè fundari; vtpote, quod non medium commune, sed singulare præ se fert. Amplius. Ex syllogismis affirmatiuis de medio singulari solùm fundantur per se, & formaliter in illo ij, quorum omnes propositiones constant verbo substantiuo *est*, vt *Hic homo est albus: Petrus est hic homo: ergo Petrus est albus*, non item, quorum propositiones aliis verbis constât; vt *Hic homo currit Petrus est hic homo. Ergo Petrus currit.* Tametsi æquiualenter syllogismi huius secundi generis ad primum genus, & consequenter ad dictum principium possint reduci, mutato verbo in suum participium; vt, *Hic homo est currens: Petrus est hic homo: ergo Petrus est currens.*

Hinc dico Secundò. Syllogismi omnes affirmati- 172
ui de medio singulari in ille principio fundantur per se, & formaliter, cuius mentionem fecimus *supra q. 3. propos. 3. Quidquid affirmatur verè de aliquo, verè etiam affirmatur de quolibet identificato cum illo* Quod quidem vniuersalius est, quàm illud. *Quæ sunt eadem vni tertio* &c. quia & illud cõtinet in se, & amplius extenditur, quatenus aliquid de aliquo affirmari potest non solùm per verbum substantiuum *est*; quod identitatem significat, quo casu vtrumque principium in idem recidit, sed etiam per alia verba, ad quos casus secundum principium non potest extendi, nisi hi ad illud per æquialentiam trahantur, vt iuxta *nuper* dicta possunt. Quod si fiat, iam erunt idem vniuersè vtrumque principium, quocirca absolutè dici potest posterius priori æquialere. Syllogismi autem negatiui de medio singulari in eo fundandi veniunt principio alteri oppositio, cuius meminimus etiam *loco citato. Quidquid negatur verè de aliquo, verè etiam negatur de quolibet identificato cum illo.* In quo profectò ne per æquialentiam quidem continetur illud. *Quæ sunt eadem vni tertio* &c. vt cuique considerati innotescet.

Dico

173 Dico tertiò. Syllogismi affirmatiui de medio communi in illo principio fundantur. *Dici de omni:* Negatiui autem in illo. *Dici de nullo.* Quorum sensus est. *Quidquid verè affirmatur, aut negatur de omni, verè etiam affirmatur, aut negatur de quodlibet contento sub omni.* Et quoniam huiusmodi continentia in praxi syllogismorum per identitatem exprimitur; vt in hoc syllogismo. *Omnis homo currit; Petrus est homo: ergo Petrus currit*, in cæterisque pariter cernere licet. Eo nimirum quòd idem est Petrum contineri sub omni homine, siue in aggregato omnium hominum, ac esse hominem, siue esse vnum ex hominibus talis aggregati. Idcirco duo ista principia in se claudunt illa duo, quibus diximus *num. præced.* syllogismos expositorios inniti, seu potius ex illis multiplicatis coalescunt. Affirmatiuum quidem ex affirmatiuo, & negatiuum ex negatiuo. Perinde namque est dicere. *Quidquid verè affirmatur, aut negatur de omni, verè etiam affirmatur, aut negatur de quolibet contento sub omni*; ac dicere. *Quidquid verè affirmatur, aut negatur de singulis contentis sub omni, verè affirmatur, aut negatur de quolibet identificato cum illis.* Vnde manifestè consequitur principium illud. *Quæ sunt eadem vni tertio, sunt eadem inter se*, vtpote inclusum in affirmatiuo syllogismorum de medio singulari, & ei æquiualens, iuxta dicta *num. præced.* non posse non etiam includi in affirmatiuo syllogismorum de medio communi. *Dici de omni*, adeo vt hoc sine illo constare non possit. Tametsi possit negatiuum *Dici de nullo*, ad quod non pertinet vllo modo.

174 Ex quibus iam apparet primò. Quid verum habeant ambæ sententiæ relatæ *num.* 169. Secundò, quàm incassum Auctores secundæ, vt defenderent vim syllogisticam in Deo, conati sint à fundamentis syllogismorum excludere principium illud. *Quæ sunt eadem v i tertio*, &c. quasi non verum vniuersaliter in diuinis. Imprimis namque, vt vidimus, syllogismi affirmatiui non possunt sine illo constare, vt possunt negatiui. Deinde quamuis possent omnes; nullatenusque dictum principium ad formam syllogisticam pertineret; adhuc persisteret integra difficultas: quia alia itidem, quæ illam fundare dicuntur, æquè videntur in Trinitate falsificari; quandoquidem, quidquid verè affirmatur, aut negatur de essentia, non verè affirmatur, aut negatur de quolibet identificato cum illâ.

175 Hinc natum secundum argumentum absolutè impugnans identitatem essentiæ diuinæ, & relationum, quidquid sit de fundamentis syllogismorum. Positâ tali identitate forma syllogistica penitus pessumit, vtpote, quæ in diuinis nullam vim habet, & consequenter neque in creatis, totaque subinde humana ratiocinatio subuertitur. Igitur talis identitas non est ponenda. Antecedens probatur: nam hic syllogismus de medio singulari. *Hæc Deitas est Pater: Filius est hæc Deitas:* ergo *Filius est Pater*, legitimus est in primâ figurâ, & antecedens est verum, & tamen consequens est falsum. Similiter hic syllogismus de medio communi. *Nulla paternitas est filiatio. Essentia Diuina est paternitas:* ergo *essentia diuina non est filiatio*, legitimus est etiam in primâ figurâ, & antecedens est verum, & tamen consequens est falsum. Tantumdemque euenit in aliis innumeris, qui pariter formari possunt in Trinitate.

176 Nonnulli tacito nomine relati à Ruiz *disp.* 15. *citatâ sec.* 5. planè concedunt in diuinis formam syllogisticam vim non habere. Perperam tamen, quando omnes Theologi vno ore docent oppositum, qui variè ad argumentum factum respondent. Ego verò, omissis pluribus solutionibus minus idoneis, quæ apud præcitatos Doctores videri possunt, duas exhibeo. Prima, & facillima ex doctrinâ *superius* tradita est; vt forma syllogistica vbique legitima sit, in propositionibus affirmatiuis de verbo substantiuo *est*, non solùm identitatem realem formalem, sed etiam virtualem debere affirmari; ita enim fiet, vt seruatâ formâ, numquam ex antecedente vero colligatur consequens falsum. In syllogismis enim propositis ideo consequens falsum est, quia maior, & minor prioris, & minor posterioris sumpto verbo *est*, vt sumi debet, pro actu essendi, siue pro identitate non solùm formali, sed virtuali, fallæ sunt: vt sic enim Deitas asseritur idem cum Patre, & Filio etiam virtualiter, cùm tamen virtualiter ab illis distincta sit. Itaque significante verbo *est* omnimodam extremorum identitatem etiam virtualem verissimè concludit vbique ex antecedente vero syllogistica forma.

Secunda solutio, quâ plerique vtuntur Theologi, 177
tametsi non adeo clarè, vniuersaliterque explicata, est, vt forma syllogistica legitima euadat, debere semper syllogismorum terminos, vbi futuri sunt singulares, aut particulares, aut communes distributi, perfectè, siue omnimodè tales esse; alioquin syllogismus defectum patietur omnimodæ distributionis, aut particularitatis, aut singularitatis alicuius termini, & idcirco malè concludet. Et quoniam terminus *Deitas*, & reliqui toti Trinitati communes, eo ipso, quòd sunt communes tribus personis communitate identitatis, omnimodam particularitatem, aut singularitatem omnem omnino communitatem excludentem non habent; etsi habeant singularitatem vniuersalitati oppositam, ideo vbicumque ponuntur pro terminis particularibus, aut singularibus, quantumuis eis adiiciantur pronomina demonstratiua (quorum est solùm demonstrare singularitatem vniuersalitati oppositam, non item omnimodam) defectum patitur syllogismus in talibus terminis omnimodæ particularitatis, aut singularitatis. Vbi verò ponuntur pro terminis communibus additis etiam particulis distributiuis *omnis, nullus*? defectum patitur omnimodæ distributionis, quia particulæ *omnis, nullus* solùm valent distribuere terminos communes communitate vniuersalitatis, non item terminos communes communitate identitatis. Poterunt tamen etiam hos distribuere, si addatur eis terminus illis extremis, cum quibus identificantur vniuersalis, supra quem particulæ cadant, dicendo, omnis res, quæ est Deitas, nullum ens, siue nihil, quod est essentia, &c. Ecce, cur syllogismi in argumento propositi malè concludunt. In primo enim medium, nempe *Deitas*, non est omnimodè singulare; Vti debet esse in syllogismis expositoriis. In secundo, si est ille constructus in *Ferio*, subiectum minoris, nempe *Essentia diuina* non est terminus omnimodè particularis, vt esse debet; si verò dicatur esse constructus in *Celarent*, etsi adiungatur eidem subiecto minoris, particula *omnis* adhuc non erit omnimodè distributum, vt debet, quale esset, si ita fieret syllogismus. *Nulla Paternitas est Filiatio: omne quod essentia diuina est Paternitas: ergo nihil, quod est essentia diuina, est Filiatio.* Vt sic tamen minor est falsa, & ideo consequens est falsum. Pariterque de reliquis syllogismis in Trinitate possibilibus ratiocinandum est.

Tertium argumentum contra identitatem diuinæ 178
essentiæ, & relationum ex variis desumitur prædicatis

tis contradictoriis, quæ illis conueniunt reipsâ, de eisque subinde vere enunciantur, vt constat ex fide, cuiusmodi sunt communicari, & non communicari, produci, & non produci, distingui, & non distingui, & similia. Necnon personalitatem Verbi vnitam esse humanitati Christi immediatè, secus essentiam, seu naturam, & consequenter Verbum ipsum fuisse incarnatum, passum, mortuum, naturam verò minimè. Prædicata enim contradictoria huiusmodi eidem rei prorsus indiuisibili re verâ conuenire non possunt, atque adeo neque essentiæ diuinæ, & relationi conuenirent, si essentia, & relatio vnum, & idem essent reipsâ: consequens ergo est, vt illæ distinctæ sint à parte rei. Hoc argumento inducti sunt Gilbertus, & alij ad ponendam distinctionē realem inter essentiam, & relationes. Scot. autem ad ponendam distinctionē formalē ex naturâ rei, prout vidimus. *q.* 4. & 5.

169 S. Th. verò 1. *p. q.* 39. *art.* 1. *ad* 2. & *ibi* eius expositores communiter. Vasquez. 1. *p. disp.* 120. *cap.* 6. Ruiz. *d.* 15. *de Trin. sec.* 7. & 8. Gran. 1. *p. contr.* 1. *tit.* 2. *disp.* 5. *sec.* 3. & *contr.* 5. *tit.* 3. *d.* 3. *sec.* 4. Soar. *lib.* 1. *de Attrib. cap.* 13. & *lib.* 4. *de Trin. cap.* 4. Alar. *tit.* 5. *de Trinit. disp.* 2. *cap.* 10. *a n.* 1. Fasol. 1. *p. q.* 4. *art.* 2. *dubit.* 13. *n.* 103. & plures alij, qui solam distinctionem rationis admittunt inter essentiam, & relationes, respondent sufficere hanc, vt de relatione, & essentia prædicata contradictoria commemorata verè, & absque contradictione enuncientur. Non enim esse illa contradictoria hoc ipso, quòd subiecta, de quibus prædicantur à nobis, nempe essentia, & relatio distincta sunt secundum rationem: idque etsi in prædicationibus addatur particula *realiter*, aut alia æquiualens: quia per illam non excluditur ordo ad nostrum modum concipiendi talia prædicata, & subiecta; sed tantùm intenditur denotari esse reipsâ id, quod nos per tales præcisiuas prædicationes intelligere, atque significare intendimus, quodque intuentes Deum vnico simplicissimo conceptu absque vllâ prorsus terminorum contradictione vident modo quodam à nobis pro hoc statu neque intelligibili, neque explicabili. Addunt Gran. & Ruiz, si particula *realiter*, cùm dicimus. *Essentia Patris realiter communicatur Filio*; *secus Paternitas*, referatur ad modum significandi præcisiuum earum vocum tunc tales propositiones implicatorias esse, siue de subiecto non supponente, quia supponunt essentiam realiter esse præcisam, seu distinctam à relatione, quod falsum est. Porro prædicata aliàs contradictoria de subiectis per solam rationem distinctis absque vllâ contradictione enunciari, plurimis exemplis etiam à creaturis petitis existimat Ruiz comprobari. Animal enim, inquit, in Petro realiter identificatur cum rationali, & tamen animal non est principium discursus, cuius principium, & radix est rationale, similiter actio, & passio realiter sunt idem, & tamen actio importat respectum à quo est motus, quem non importat passio. Id, quod etiam censent Soar. *cap. illo* 4. *de Trinit. sub finem*; Alarc. *supra*, & alij.

180 Sed verò doctrina hæc, me quidem iudice, argumento facto non satisfacit, quia licet prædicata ex suo genere contradictoria absque vllâ contradictione enunciari possint de subiectis per solam rationem distinctis, quando enunciationes procedunt in sensu formali concernente nostrum modum intelligendi, quia tunc non solùm agitur de veritatibus obiectiuis secundum id, quod habent à parte rei; sed insuper secundum id, quod eis accrescit ex nostro modo concipiendi. At verò quando enunciationes procedunt in sensu merè reali præscindendo à sensu formali, aut etiam illum excludendo, vt fieri potest, adhuc retentis eisdem conceptibus obiectiuis, tum quidem sola distinctio rationis subiectorum non solùm insufficiens, sed prorsus impertinens est ad impediendam contradictionem prædicatorum aliàs sibi contradicentium. Cuius ratio mihi euidens est, quia, quod alicui enti merè reali conuenit, aut repugnat à parte rei, independenter à nostro modo concipiendi cōuenit, aut repugnat: neque, quod ego, sic vel aliter tale ens apprehendā, definet illud ipsum realiter ei conuenire, aut repugnare, vt est manifestum. Ergo si duo aliqua prædicata cōtradictoria alicui enti realiter indiuiso à parte rei sunt repugnantia, quantumuis ego illud per rationem in plura diuidam, itidem repugnantia manebunt: Si verò realiter ei non repugnant, nec repugnabunt, etsi ego illud per rationem pariter indiuisum relinquam. Impertinens ergo omnino est sola diuisio, siue distinctio rationis formalitatum eiusdem entis, vt prædicata cōtradictoria illi conueniant à parte rei, alioquin non conuentura tali distinctione seclusâ, & consequenter, vt veræ euadant enunciationes, quæ in sensu merè reali nihil aliud ab eâ conuenientiâ enunciant, aliàs etiam falsificandæ, ipsâ sublatâ distinctione. Exemplis rem totam declaro. Hæ propositiones sunt veræ in sensu formali. *In homine rationale est principium discursus, non animal*, non minus, quàm hæ. *Homo in quantum rationalis discurrit, non inquantum animal*. Cùm tamen in sensu merè reali, negatiua sit falsa: eo quòd illa in sensu formali accepta significat discursum hominis non nasci, prout à nobis concipitur à formalitate animalis, quod verū est, quia nos hoc ipso, quòd relatè ad discursum, & sensationem intellectu partimur hominem in rationale, & animal, discursum ipsum soli rationali, sensationem autem soli animali cōceptione nostrâ attribuimus. At verò accepta in sensu merè reali significat discursum hominis à parte rei, & nullâ habitâ ratione conceptionis nostræ ab animali hominis non oriri. Quod falsum est, quia cùm animal, & rationale hominis à parte rei sint prorsus, idem repugnat omninò oriri realiter ab vno, & non ab altero discursum, æquè ac repugnat vnum produci, & non alterum, vnum esse in tali loco, aut in tali tempore, & non alterum, & cætera huiusmodi; quia æquè sunt omnia contradictoria sibi inuicem repugnantia. Eodem pacto, & propter eamdem rationem hæ propositiones in sensu formali sunt veræ. *Deus intellectu intelligit*; *Voluntate non intelligit*. *Deus vt iustus punit*; *vt misericors non punit*. & similes. Cùm tamen in sensu merè reali semper negatiua sit falsa. Vide ad rem plura dicta *supra disput.* 2. *quæst.* 4. *Sect.* 4.

Tum sic. Prædicata ex suo genere contradictoria, 181
quę de essentiâ Dei, & relationibus secundum fidem verè enunciantur, non solùm in sensu formali, sed etiam in sensu merè reali verè enunciātur, quia cùm à parte rei, & independenter à conceptione nostrâ Deus sit trinus, & vnus à parte rei, & nullâ habitâ ratione nostri modo concipiendi Pater distinguitur à à Filio, à quo non distinguitur essentia Patris. Filius producitur à Patre, à quo non producitur essentia Filij. Essentia Patris communicatur Filio, cui non communicatur Paternitas, &c. Igitur, vt huiusmodi prædicata à parte rei conueniant Patri, & Filio, siue Paternitati, & Filiationi, essentiæque vtrique communi absque vllâ prorsus contradictione, & consequenter, vt in sensu merè reali de tali essentiâ, & relationibus verè, & sine repugnantiâ enuncientur impertinens est distinctio rationis, quâ à nobis illæ concipiuntur distinctæ. Tametsi aliunde talis distinctio nobis sit necessaria,

vt alia de ipsis prædicata enunciemus, quod est valde diuersum. Aliud quippe est beneficio solius distinctionis rationis exui eiusmodi prædicata à contradictione, vti relati Authores supponunt. Aliud non posse nos illa aliunde iam ab omni contradictione immunia citra distinctionem rationis de essentiâ, & relationibus enunciare. Primum est falsum; Secundum verum, vt latiùs dicemus *infra q.9.*

182 Igitur ad argumentum oppositum *n.*187. faciliùs, & veriùs ex doctrinâ stabilitâ *q.6.* & cum Authoribus ibidem pro eâ citatis respondetur. Quantumuis essentia diuina, & relationes realiter formaliter sint prorsus idem, optimè tamè posse omnia ea prædicata ipsis reverâ conuenire absque vllâ prorsus repugnâtiâ, de eisdemq; subinde etiam in sensu omnino, reali, absq; vlla contradictione enũciari quia in ordine ad talia prædicata æquialeter, seu virtualiter sũt distinctæ; id est, ita se gerunt ob suam infinitudinem, & eminentiã, ac si realiter formaliter distinctę essent.

183 Quartum argumentum desumunt Scotistæ ex multis, variisq; propositionibus, quæ cùm sint falsæ, veræ essent, aut cùm sint veræ, falsæ existerent, nisi distinctio aliqua ex naturâ rei inter formalitates diuinas verè daretur. Huiusmodi sunt. Deus intellectu vult; voluntate intelligit; misericordiâ punit; iustitiâ miseretur. Verbum procedit per volũtatem, Spiritus sanctus per intellectum, & similes, quæ citra dubium sunt falsæ. Tum Deus intelligens mala, non vult illa. Deus non amat malos, sed odit; intellectio Dei eius volitionem præcedit; quia Deus intelligit, vult; nõ è conuerso. Deus, vt vnus operatur ad extra, nõ vt trinus. Et consequenter creaturæ à Deo dependent, cum ipsoque connectuntur vt vno, non vt trino, & aliæ huiusmodi, quæ etiam citra dubium sunt veræ. Essent autem priores quidem manifestè veræ. Posteriores autem falsæ, nisi formalitates diuinæ, quæ in eis interueniunt, aut ab se inuicem, aut ab aliis formalitatibus ex naturâ rei formaliter essent distinctæ. Respondeo iuxta doctrinâ *nuper* traditam ex huiusmodi propositionibus aliquas dumtaxat præ se ferre sensum formalem, pro quo falsificando, aut verificando distinctio rationis formalitatũ satis est, vt docuimus. Ex reliquis, quę in sẽsu merè reali capiuntur, quasdã, quæ aut mysteriũ Trinitatis, aut libertatem diuinorum actuum concernunt, per distinctionem virtualem formalitatũ expediri; quasdam nullâ prorsus distinctione formalitatum indigere. Quænam autem ad vnamquamque harũ trium classium spectet in propriis materiis, ad quas earum singulæ spectãt, determinantur Id vniuersim adnotarim contra Scotistas pleraque eorum argumenta in ipsos posse retorqueri; quia aut probant inter formalitates diuinas distinctionem absolutè realem, quam ipsi catholicè negant, aut non probant distinctionem formalem ex natura rei, quam propugnant. Vt enim constat ex doctrina contra ipsos statuta *q.* 5. quoties agitur de prædicatis conuenientibus, aut repugnantibus formalitatibus diuinis, nõ solùm formaliter, sed simpliciter & absolutè realiter, ad quamuis eorum contradictionem abolendam inutilis est, & impertinens distinctio dumtaxat formalis, vtpote, quæ in vi talis distinctionis præcisè nullatenus æquialere potest distinctioni absolutè reali: quod si pro huiusmodi æquialentia ad Dei infinitudinem, & eminentiam recurratur, vti nos recurrimus; potiori adhuc iure dicta distinctio formalis manet impertinens, quia neque est necessaria, nec magis vtilis, quàm distinctio rationis ad talem æquialentiam præstandam, cùm sit distinctio nihil imminuens identitatem absolutè realem, alteriusque subinde generis à distinctione absolutè reali, cuius æquialentia quæritur; & consequenter hæc ab infinitate diuina non facili[illegible] illa supposita, quam illa sublata præstari valeat.

[illegible]atò obiiciunt. Singula attributa diuina vicis- 184
si[illegible] excludunt formaliter, ita vt vnum non sit de[illegible]ceptu quiditatiuo, siue de quiditate alterius in primo modo dicendi per se, diuersaque subinde definitiones habent, vt constat; diuersas etiam subeunt demonstrationes, quandoquidem vnum demonstratur per aliud, & hoc non per se ipsum, sed per aliud, aut per essentiam demonstratur. Diuersas reduplicationes patiuntur, siquidem Deus e.g. non in quantum æternus operatur, sed in quantum omnipotens, neque in quantum verus amatur, sed in quantum bonus. Denique adeo diuersas conceptibilitates habent, vt non solùm alia extra conceptus obiectiuos aliorum sint, sed sæpe alia, aliis ignotis, cognoscantur. Igitur attributa diuina ex naturâ rei formaliter sunt inter se distincta. Hoc argumentum maiori saltem ex parte potest in argumentes retorqueri, iuxta doctrinam *numeri præcedentis.* Respondeo ad singulas eius clausulas singillatim. Ad primam. Attributa diuina excludere quidem se vicissim formaliter, ita vt vnum non sit de conceptu obiectiuo saltem explicito, siue de quiditate obiectiua alterius in primo modo dicendi per se. Hæc tamen omnia non ex naturâ rei, sed nostro modo concipiendi dumtaxat; quia ex naturâ rei omnia sunt vnum, vna, & indiuisa entitas, vna prorsus, & indiuisa quiditas. Vnde rursus dico, definitiones, quas habent, neque diuersas, neque distinctas esse ex naturâ rei obiectiuè, seu quantum ad obiectum per illas significatum, sed tantùm per nostram rationem; qualiter etiam distinguuntur ipsa attributa. Quod autem huiusmodi definitiones ex parte ipsarum vocum realiter diuersæ sint, nullam arguit distinctionem ex naturâ rei obiectorum, quia vt potest eadem realitas obiecti diuersis cognitionibus cognosci, ita & diuersis vocibus potest significari. Ad secundam respondeo, diuersas etiam demonstrationes, quas subeunt attributa diuina, ex parte nostrorum actuum dumtaxat, non itidem ex parte obiectorum, esse ex naturâ rei diuersas, obiecta quippe solùm distingui per rationem. Etenim posse intellectum nostrum vnam formalitatem cognoscere, aliâ eiusdem entis non cognitâ, atque adeo etiam vnam per aliam prius cognitam demonstrare, non nascitur ex eo, quòd tales formalitates ex naturâ rei sint distinctæ; sed ex eo, quòd ille aut vim habet præscindendi iuâ cognitione ea, quæ realiter sunt identificata: aut nihil præscindendo eorum; quæ realiter idem sunt, totam rei obiectæ entitatem modò in ordine ad hæc, modo in ordine ad illa connotata extrinseca concipit, & hoc solum est cognoscere in illa plures formalitates, aut aliquas formalitates, cognitis aliis, ignorare, iuxta diuersas sententias præscindentium obiectiuè, aut non præscindẽtium, de quibus *infra q.*9. Ex quo patet ad quartam argumenti clausulam. Ad tertiam autem dico pro illis reduplicationibus conuenientibus aliquibus formalitatibus, & nõ aliis sufficere distinctionẽ rationis talium formalitatum; quia propositiones reduplicatiuæ capiuntur in sensu formali. De quo satis superque dictum circa argumentum tertium.

Sextò obiiciunt. Conceptus sapientiæ, & 185
iustitiæ, aliorumve attributorum communes Deo, & creaturis sunt inter se distincti ex naturâ rei: ergo etiam conceptus sapientiæ, & iustitiæ, aliorumque attributorum proprij solius Dei. Consequentia est bona, quia quidquid ex naturâ

turâ rei conuenit alicui conceptui communi non potest non conuenire omnibus particularibus contentis sub illo, vt est notum. Antecedens autem probatur pariter, quia si conceptibus sapientiæ, & iustitiæ communibus Deo, & creaturis identitas ex natura rei conueniret, sapientiæ quoque & iustitiæ creatæ conueniret ob eamdem rationem, vtpote conceptibus particularibus contentis sub illis communibus. Respondeo conceptus sapientiæ, & iustitiæ communes Deo, & creaturis à parte rei partim distingui, & partim identificari, distinguuntur enim quantum ad sapientias, & iustitias creatas, quas in se inuoluunt, identificantur verò quantum ad sapientiam, & iustitiam increatam, quam etiam in se includunt. Ex quo patet ad probationem argumenti, id solum, quod ex natura rei conuenit adæquatè alicui conceptui communi, conuenire singulis inferioribus, non verò itidem, quod ex parte conuenit quoad aliqua scilicet, & non quoad reliqua eorum, quæ in tali conceptu inuoluuntur, vti euenit in præsenti. Adde hoc etiam argumentum eadem vi posse intorqueri contra Scotistas ad probandam distinctionem attributorum absolutè realem, quia talis est, quæ reperitur inter sapientiam, & iustitiam creatam.

186 Septimò obiiciunt. Sapientia Dei magis est identificata sibi, quàm iustitiæ: ergo respectu iustitiæ aliquam distinctionem habet. Respondeo; sapientiam Dei habere aliquam distinctionem rationis comparatione iustitiæ, quam non habet comparatione sui; realiter verò æquè esse identificatam iustitiæ, ac sibi.

Octauò. Saltem plus distinguitur sapientia à iustitiâ; quàm sapiens à sapientiâ. Sed hęc extrema vt minimum distinguuntur ratione: ergo illa ex naturâ rei distinguuntur. Respondeo vtraq; distingui per rationem. Priora adæquatâ, posteriora verò inadæquatâ, distinctione, siue includentis ab incluso, quæ minor est iuxta doctriam traditam *suprà d. 2. q. 4. conf. 3.*

187 Nonò obiiciunt. Pluralitas personarum non officit diuinæ simplicitati: ergo neque pluralitas attributorum. Nego consequentiam: quia singulæ personæ perfectissimè sunt idem cum vnicâ, & simplicissimâ essentiâ, ad eamque tanquam ad vnum aliquid rediguntur, vt loquitur D. Bernar. mox referendus. At attributa, qua ratione ab Aduersariis ex naturâ rei ponuntur distincta, nempe formaliter non identificantur cum tertio, quod prorsus sit idem formaliter. Quare pluralitas attributorum sic distinctorum perfectæ simplicitati aduersatur, secus pluralitas personarum.

188 Decimò obiiciunt. Confusio opponitur distinctioni, sed in Deo nequit admitti confusio: ergo debet admitti distinctio. Respondeo, confusionem non opponi distinctioni vtcumque, potius eam supponere, sed distinctioni ordinatæ, siue ordinationi distinctorum: vnde vbi est summa identitas, sicut in Deo impossibilis est confusio.

189 Vndecimo opponunt ea scripturæ loca, quibus attributa diuina in numero plurali ponuntur ad Rom. 1. *Inuisibilia Dei.* 1. ad Corinth. 2. *Ea, quæ sunt Dei*, &c. Aut vnum alteri adnitur *Psal.* 85. *Patiens, & multæ misericordiæ, & verax.* ad Rom. 11. *O altitudo diuitiarum sapientiæ, & scientiæ Dei* &c. Aut vni vnus effectus, alteri alter attribuitur, vt *ad Rom.* 1. Benignitati Dei tribuitur ad pœnitentiam adducere, iustitiæ verò reddere vnicuique secundum opera sua. Opponunt pariter plurima Patrum testimonia eisdem itidem modis loquentium de attributis diuinis, Sed respondetur facile scripturam, & Patres, atque etiam passim Theologos de diuinis attributis loqui, vt de pluribus, non quòd reipsa pluta sint, sed, quod à nobis concipiuntur vt plura. Quo etiam iure vni vnus, & alteri alter effectus attribui solet; imo eumdem, qui huic tribuitur, illi negari in sensu scilicet formali iuxta *superius* dicta. Dicendum itaque cum Bern. *serm.* 80. *in cant. post medium* de diuinitate loquente. *In ea, & multa in vnum, & diuersa in idem rediguntur, vt nec de numerositate rerum sumat pluralitatem: nec alterationem de varietate sentiat.* Quia nimirum pluralitas secundum rationem nihil imminuit de vnitate, atque identitate reali. Videatur ad rem Gillius noster 1. *part. libro.* 2. *tit.* 5. *cap.* 7.

Duodecimo ex Scot. *in* 1. *distinct.* 8. *quæst.* 4. §. *ad quæstionem*, Opponitur specialiter August. *libro* 15. *Trinit. capite* 3. docens omnia attributa Dei esse æqualia, qualia non essent, si inter se non essent distincta, quia nihil sibimet est æquale; & *libro* 3. *contra Maximum cap.* 10. *sub finem* inferens ex eo quod Deus non est ex attributis compositus, multo minus esse compositum ex personis, quæ illatio mala esset, nisi attributa ex naturâ rei inter esse distinguerentur. Hæc etiam contorqueri possent in Scotum. Respondeo ad primum. Attributa diuina à parte rei solum esse æqualia fundamentaliter, quatenus quodlibet secum habet identificatam omnium aliorum perfectionem, ad quod nullâ egent distinctione ex naturâ rei, potius eam repudiant: ad æqualitatem autem formalem, quam nos in illis eo fundamento ducti concipere possumus, sufficit, quod per rationem nostram distincta sint, vt pluribus est explicandum *infra suo loco.* Vnde ex dicto Augustini de quâcumque earum æqualitatum Sanctus loquatur nihil ad rem inferri potest. Ad secundum dico vim illationis Augustini in eo stare, quod attributis ex suo genere abstractissimo, cùm sint instar accidentium, minus repugnat compositio, quam personis, quæ ex suo genere sunt substantiæ completæ. Quare si Deus in attributis nullam pati potest compositionem, multò minùs poterit in personis. 190

Decimo tertiò arguunt ex Arist. sæpe asserente 191
in eâdem entitate esse plures rationes, seu quiditates. Sic *lib.* 3. *Physic. text.* 21. dixit in eadem entitate esse plures rationes actionis, & passionis; & *lib.* 4. *Met. text.* 3. passiones entis esse rationes distinctas ab ente, &c. Respondeo Arist. solùm velle in eâdem esse plures conceptus per rationem nostram distinctos; vti legenti eius contextus notescet.

Plura alia argumenta congerunt Scotistæ ad 192
probandam suam distinctionem formalem ex naturâ rei inter formalitates, seu gradus entium creatorum. Quæ iam proponenda, atque diluenda sequuntur.

Primum, & potissimum, in ordineque decimum 193
quartum est. Eidem entitati reali hominis conuenit esse similem, & dissimilem comparatione eiusdem; quæ sunt prædicata contradictoriè opposita, non minùs, quàm esse aliquid comparatione eiusdem æquale, simul & inæquale. Homo enim in quantum animal est similis equo, eidemque in quantum rationalis dissimilis. Ergo formalitates animalis, & rationalis hominis ex naturâ rei distinguuntur, quia prædicata contradictoriè opposita eidem subiecto omnino indistincto neutiquam conuenire possunt. Posse argumentum hoc, & similia in Scotistas retorqueri, eorumque distinctionem formalem, retentâ extremorum identitate reali ad illa soluenda nihil prodesse *superius qua.* 5. *à numero* 102. monstraui.

Respondet Arriag. cũ aliis *disp.* 5. *log. à n.* 13. simili- 194
tudinem, & dissimilitudinẽ nõ se habere, sicut se ha-

bent æqualitas,& inæqualitas:quia similitudo suscipit magis & minus, æqualitas verò non item. Vnde dissimilitudo non negat omnem similitudinem, sicut inæqualitas omnem æqualitatem, sed tantum omnimodam; cum vnaquaque subinde similitudine compatibilis est. Quo fit, vt possit homo dici aliquâ ratione similis & dissimilis equo, quatenus habet aliquam similitudinem cum equo, non verò omnimodam. Verùm doctrina hæc, nisi amplius explicetur, non videtur facto argumento satisfacere. Per eam namque tantum habemus totam entitatem hominis indiuisim sumptam quamdam quasi remissam, siue imperfectam similitudinem h bere cum equo,quę eo ipso,quod non est exacta, velati mixta dici potest cum aliquâ dissimilitudine. Argumentum tamen contendit hominem in quantum animal præcisè perfectam habere similitudinem cum equo,inquantum rationalem verò simpliciter esse illi dissimilem, tales enim nobis apparent citra dubium hi duo conceptus. Perfecta autem omnimodave similitudo, & dissimilitudo talis dicta simpliciter in eodem comparatione eiusdem planè sunt termini repugnantes æquè, atque æqualitas, & inæqualitas.

195 Alij in quibus est Ouiedo *contr.4. Metaph.punct. 3.n.18.*respõdent,hominem secundum substantiam, neque esse similem equo,quia similitudo,& dissimilitudo tantùm fundantur in accidentibus, non in substantiis, totum tamen hominem in ordine ad operationes sentiendi dici similem equo,quia sensiones hominis sensionibus equi sunt similes; in ordine verò ad operationes ratiocinandi, quas equus non habet,dissimilem. Sicut in ordine ad priores dicitur animal,in ordine verò ad posteriores rationalis. Neque isti placent, primò; quia negari nequit suam etiam esse similitudinem, & dissimilitudinem inter substantias secundum se; quæ certè etsi eas dicas propriè vocandas relationes identitatis,& diuersitatis,ad præsens tamen propositum sub nominibus similitudinis,& dissimilitudinis latiùs saltem acceptis veniunt intelligendæ; neque huic controuersiæ de solo nomine subnixa est argumenti facti solutio. Secundò,quia non explicant, quomodo ipsa accidentia, operationesve substantiarum aliis sint similia quoad gradus genericos præcisè, non quoad differentiales, quoad hos autem dissimilia, non quoad gradus genericos præcisè,non quoad differentiales, quoad hos autem dissimilia, non quoad genericos; quandoquidem hæc vtpote strictæ similitudinis, dissimilitudinisque capacia secundum eorum sententiam per se ipsa asserenda sunt talia,non per ordinem ad alia accidentia,quæ sæpe non adsunt.

196 Dicendum ergo est, duplicem in rebus, siue illæ sint substantiæ,siue accidentia, spectari posse similitudinem,ac dissimilitudinem;aliam physicam,quam in se habent ante omnem nostri intellectus operationem;aliam quasi intentionalem,siue obiectiuam, quam habent prout concipiuntur à nobis: & de priori quidem vera est doctrina,quam ex Arriga retulimus;non itidem de posteriori. Itaque à parte rei aliqua sunt omnino siue exactè similia, vt duo circuli, duo trianguli, duæ albedines &c. Alia sunt dissimilia, ita tamen vt aliqualem nihilominus similitudinem,siue analogiam habeãt,in qua quidem infinita,vt reor,est latitudo. Nam huiusmodi analogia, similitudove temperata maior, & maior esse potest sine fine citra metas exactæ similitudinis, aut minor, & minor,quin ad exactam dissimilitudinem possibile sit peruenire. Sic circulo dissimile est quadratum, sed magis dissimilis triangulus, & magis dissimilis linea recta &c. colori albo dissimilis est fuscus, sed dissimilior viridis,& dissimilior niger &c. Tantumdemque euenit in substantiis. Quæ quidem physicæ similitudines, & dissimilitudines indiuisim conueniunt rebus,non verò penes diuersos conceptus,siue formalitates earum. Cæterùm,quoad nos dũ illas per species alienas concipimus,non solùm aliter,quàm in se sunt, apprehendimus, sed in diuersos etiam, dissimilesque conceptus,siue formalitates partimur,efficitur vt inter huiusmodi rerũ formalitates, prout à nobis sunt apprehensæ,suæ quoque similitudines,dissimilitudinesque intercedant. Vnde rursus fit, vt per abstractionem,siue adunationem formalitatum exactè similium,conceptus communes, atque generici enascantur,qui per formalitates dissimiles iterũ ad constituendas species determinantur, & contrahuntur. Quibus verè fundamentis ducatur intellectus noster in vniuersum,ad efformandam in rebus multiplicem hanc conceptuum tum similium, tum dissimilium varietatem *superiùs disp.2.q.3.* traditum est, atq; ex dicendis in sequentibus ampliùs cõspicuum fiet. Ecce quomodo homo,& equus spectati,vt sunt à parte rei,similitudinem quamdam cum dissimilitudine temperatam habent eis conuenientem indiuisim citra omnem distinctionem formalitatum;spectati verò,vt à nobis apprehenduntur, exactè sunt similes, quoad conceptum animalis in vtroque repertum, dissimiles autem simpliciter,qnoad conceptus rationalis,& hinnibilis,quorũ primus in homine secundus in equo inuenitur. Quæ quidẽ similitudo,& dissimilitudo, licet inter se oppositæ, vt sunt à nostrâ dumtaxat ratione oriundæ, ita maiorem distinctionem,quã rationis inter extrema,quibus competunt, non efflagitant. Quo cessat argumentum factum.

Argumentum decimum quintum fere recidit in 197
præcedens hoc modo:Conceptus animalis in homine est ratio conueniendi cum equo,conceptus rationalis disconueniendi,sed idem respectu eiusdem nequit esse ratio conueniendi,atque disconueniendi, vt constat. Ergo tales conceptus inuicem sunt inter se distincti. Distinguo maiorem iuxta dicta;conceptus animalis, & rationalis in homine sunt rationes conueniendi,& disconueniendi cũ equo per nostram rationem,concedo:à parte rei(vbi integer homo indiuisim est diuersus ab equo,siue illi temperatè dissimilis)nego. Et concessâ absolutè minore, distinguo consequens. Ergo tales cõceptus inuicem sunt inter se distincti eodem pacto, quo sunt rationes conueniendi,& disconueniendi,nimirum per solam rationem,concedo. Aliter;nego.

Argumentum decimum sextum est. Actus super- 198
naturalis vitalis titulo supernaturalitatis exigit principium supernaturale, titulo vitalitatis principium vitale,& non è conuerso. Ergo vitalitas,& supernaturalitas talis actus ex naturâ rei distinguuntur. Hoc argumentum simile est illi. Deus intellectu intelligit,voluntate vult, & non è conuerso. Ergo intellectus, & voluntas ex naturâ rei distinguuntur. Respondeo ergo iuxta doctrinam traditam *n.183.* Si antecedens accipiatur in sensu formali, esse quidem verum;ad id tamen sufficere, quod vitalitas, & supernaturalitas actus propositi ratione distinguantur. Acceptum verò in sensu mere reali falsum est;quia dictus actus secundum vtramque formalitatem indiuisim exigit à parte rei vtrumque principium, à quo etiam indiuisim promanat. Recognosce,quæ ad rem sunt dicta *loco citato.*

Argumentum decimũ septimum. Species compo- 199
nitur ex genere,& differentiâ,sed omnis cõpositio fit

ex

ex distinctis: ergo genus, & differentia distinguuntur ex natura rei. Confirmatur primò. Genus, & differentia habent essentias diuersas, nam differentiæ, cùm sint oppositæ, non possunt habere eamdem essentiam cum vno genere. Ergo genus, & differentia inter se distinguuntur. Confirmatur secundò. Quia differentia secundum Aristot. *lib. 3. Metaph. text. 10.* est extra rationem generis. Tum differentia determinat genus, illudque contrahit. Sed nihil determinare potest, aut contrahere seipsum, aut esse extra rationem sui. Ergo differentia ex naturâ rei formaliter distinguitur à genere. Respondeo differentiam realiter identificatam cum genere, de quâ sermo est, dumtaxat per rationem nostram distingui ab illo; atque adeo compositionem ex genere, & differentiâ non esse physicam, sed metaphysicam, aut logicam; vnde differentia neque determinat, neque contrahit genus, neque est extra rationem eius re ipsâ; sed tantum conceptione nostrâ. Quo solum modo essentia generis, & essentia differentiæ diuersæ sunt. Tum à parte rei non magis opponuntur inter se differentiæ specierum, quàm ratio generis reperta in singulis, sed integra quæque species indiuisim est alteri opposita, siue ab eâ diuersa, vt paulo ante dictum est.

100 Argumentum decimum octauum. Scientiæ sunt de naturis vniuersalibus, non verò de singularibus. Ergo naturæ vniuersales ex natura rei distinguuntur à singularibus. Nego consequentiam: quia scientiæ sunt actus intellectus, qui attingere possunt vniuersalia, relictis singularibus, citra omnem eorum distinctionem ex natura rei, vt superiùs dictum.

101 Argumentum decimum nonum. Id, quod est de essentiâ Petri, distinguitur ex naturâ rei ab eo, quod non est de eius essentiâ: sed natura specifica est de essentiâ Petri, de quâ non est differentia indiuidualis: igitur hæc ab illâ distincta est. Respondeo differentiam indiuidualem intrinsecam indiuiduo, non minùs pertinere à parte rei ad eius essentiam, quàm naturam specificam. Tametsi: quia de singularitatibus non solemus scientiam habere, solùm censemus in essentiis, quæ sub scientiam cadunt, prædicata communia. Quo sensu id commune, in quo primò indiuidua conspirant, scilicet naturam specificam essentiam eorum appellamus, ad quod satis est distinctio rationis inter commune, & singulare. Mitto alia, quæ in dies exaggerant Scotistæ, & ad prædicta reuocari, vel ex dictis circa illa facillimè ab vnoquoque poterunt dilui.

## QVÆSTIO VIII.

### *Vtrum formalitates diuinæ, atque etiam creatæ identificatæ realiter per nostram rationem distinguantur?*

102 QVod ad Deum attinet, non solùm de attributis communibus collatis inter se, & cum essentia, sed de personalibus etiam cum essentiâ comparatis tractamus. Ariani teste Ruiz *disputat. 12. de Trinit. sect. 1.* acriter oppugnabant in diuinis distinctionem rationis: quoniam videbant esse eam necessariam Catholicis ad defendendam consubstantialitatem Filij. Fuit etiam sententia Præpositiui, vt referunt Altisiodor. *apud* Maior. *in 1. distinct. 26. quæst. vnica sub initium* & S. Thom. *1. part. q. 32. artic. 2.* & *quæst. 40. artic. 1.* proprietates personales in abstracto, & personas in concreto, vt Paternitas, & Pater solo nomine, & vocabulo differre, & nullo modo ratione, neque conceptu.

Id ipsum videntur docere Nominales de attributis communibus tum inter se, tum cum essentiâ comparatis: dum absolutè pronunciant (vt ipsis cõmuniter à Thologis mox referendis attribuitur) ea ne per rationem quidem nostram distingui, opinantes scilicet vniuersè ea, quæ realiter sunt idem, neutiquam per rationem distingui posse. Ita Ocham *in 1. dist. 2. q. 2.* Gabriel. *q. 1. art. 2.* Gregor. *distinct. 8. q. 2. art. 1.* Maior. *dist. 8. q. 1.* Alliaceni. *q. 6. artic. 2.* Mayron. *dist. 8. q. 4.* Andreas de Castronouo *dist. 32. q. 2.* & Aureol. *in 1. dist. 8. q. 3. art. 2.* Quibus re ipsâ consentire videntur Magist. *in 1. distinct. 8.* & Auctor. Coment. in Boëth. *lib. 1. de Trinit.* dum aiunt attributa diuina distingui solùm secundum nomina, &, qui apud Nyphum *libr. 12. Metaph. disputat. 13. cap. 3.* asserunt omnia diuina Deo attributa synonima esse. Cæterùm, quanquam sententia ista, vt dicebam, communiter attribuatur Nominalibus citatis, & ipsi eam re verâ videantur tenere; Petrus tamen Hurtad. *disputat. 6. Metaphys. sect. 4. subsect. 1.* nouissimè conatur illos ab eâ vindicare, quasi solam distinctionem rationis se habentem ex parte obiecti, non verò item, quæ se habet ex parte actus, diuinis attributis, aliisque obiectis abnegauerint. Hanc verò interpretationem extortam esse inde mihi suadeo, quia, negatis præcisionibus obiectiuis, vt negant Nominales, ipso Hurtado testante; consequentiùs negatur etiam omnis distinctio rationis, vt apparebit ex dicendis præsertim *q. sequente.* 103

Communis tamen Theologorum sententia absolutè docet tum relationes personales ab essentiâ, tum etiam attributa communia tam inter se, quàm ab essentiâ distingui à nobis per rationem. Ita S. Thom. *1. p. q. 13. art. 4.* & *q. 14. art. 14.* & *q. 28. art. 2.* & *q. 39. art. 1.* & *2.* & *ibidem* omnes eius discipuli. Necnon *lib. 4. contra Gent. c. 4.* & *in 1. dist. 2. q. 1. art. 2.* & *3.* & *opusc. 9.* & *27. ad q. 4.* sæpeque alibi. Molin. *1. p. q. 28. art. 2. disp. 3.* Valent. *1. p. disp. 1. q. 13. punct. 3.* & *disput. 2. quæst. 2. punct. 4.* Soar. *disp. 7. Metaph. sect. 1.* & *lib. 1. de attrib. cap. 13.* & *lib. 4. de Trinit. cap. 4.* Vasq. *1. part. disput. 117.* Arrub. *disput. 10. cap. 13.* & Gran. *controu. 1. tit. 2. disp. 6.* & *contr. 5. tit. 3. disp. 3.* & *4.* Fasol. *1. part. q. 4. art. 2. dub. 14.* Alarc. *1 p. tit. 5. disp. 2. cap. 8.* Tan. *disp. 2. q. 2. dub. 3.* & *disputat. 4. q. 3. dub. 2.* Ruiz. *disp. 8. de scientia*, & *disp. 12. de Trinit.* Recupit. *lib. 3. de Deo q. 5.* Et apud eos alij plures ex antiquioribus. Qui omnes aut exprimunt, aut supponunt se loqui de distinctione rationis, quæ vulgò dicitur distinctio rationis ratiocinatæ, non de alterâ ratiocinantis, quæ re verâ, prout exponi solet, distinctio rationis non est. 104

Pro cuius explicatione notandum est primò, communiter iam increbuisse diuisionem illam distinctionis rationis in distinctionem rationis ratiocinantis, & in distinctionem rationis ratiocinatæ. Prima dicitur ab intellectu nostro fieri absque vllo fundamento in re, quando prædicatur à nobis idem conceptus de se ipso, vt cum dicimus *Petrus est Petrus*, quasi id sit Petrum per rationem nostram à se ipso distingui. Secunda est, quam noster intellectus concipit cum fundamento in ipsis rebus eamdem scilicet entitatem in diuersos conceptus, siue formalitates partiendo, vt hominem in animal, & rationale, Deum in sapientem, iustum, omnipotentem, &c. Sed verò distinctio rationis ratiocinantis, prout vulgò explicatur, apud antiquiores scholasti 105

scholasticos prorsus fuit inaudita, vt testatur eruditissimus Ruiz *tom. de scientia disp. 8. sec. 6. n. 3.* & *tom. de volunt. disp. 1. sec. 3. num. 17.* & *tom. de Trinit. disp. 12. sec. 2. n. 14.* Et quidem iure, quia re verâ non est distinctio, sed omnimoda identitas etiam rationis, vt *ibidem* docet ipse Ruiz, seu repetitio eiusdem, vt docet Vasquez *1. p. disp. 117. cap. 3.* qui idcirco eam pariter à ratione veræ distinctionis excludit: subscribit Alarc. *tit. 5. disp. 2. citatâ cap. 8.* Etenim, qui iudicat *Petrus est Petrus* non apprehendit duplicem Petrum, sed eundem apprehendit bis concipiens Petrum circa se ipsum exerceri per actum essendi essentialem; sicut cùm quis iudicat *Petrus cognoscit se*, bis Petrum ipsum apprehendit concipiens eum circa se ipsum exerceri per actum cognitionis. Quo iure *disp. 8. q. 3. diuis. 2.* huiusmodi actus circulares vocaui. Apprehendere autem idem bis non est illud adhuc per rationem distinguere; quia sicut ad distinctionem realem est necessarium, quòd plura sint re ipsa extrema distincta, ita ad distinctionem rationis requiritur, quòd plura sint in apprehensione, seu, quòd appareant plura. Qualiter nequaquam apparet, quod prædicatur de seipso vi duplicis apprehensionis, qua semel, vt subiectum, & iterum vt terminus actus essendi apprehenditur. Alioquin, si in prædicatione de verbo substantiuo *est* subiectum, & prædicatum necessariò apparerent duo, nulla possibilis esset prædicatio de verbo *est* vera in sensu formali, ad cuius veritatem requiritur vt subiectum, & prædicatum non solùm sint idem re ipsâ, sed etiam prout apparent in mente, id est, quod in mente non plura, sed vnum appareant, vt latiùs explicatum est suprà *disp. 2. q. cons. 4.*

206 Cæterùm, quanquam ex vi prædicationis, quâ vnumquodque prædicatur de se ipso, nulla distinctio rationis in illo fiat, imò impossibile sit eumdem conceptum obiectiuum à se ipso adhuc per rationem distingui aliquo genere distinctionis, vt paulò infrà ponderabo. Nihil tamen vetat posse intellectum nostrum pro arbitratu concipere vt plura id, quod realiter vnum, & idem est, subrogando scilicet pro eodem plura spectra, siue phantasmata sensibilia adæquata, seu similia, seu dissimilia, iuxta doctrinâ à nobis statutam *disp. 2. q. 3.* & iterũ tradẽdam postmodũ *q. 9.* Quo casu verè fiet distinctio rationis, ratiocinãtis non qua idem à seipso distinctũ sit, sed, quâ idem in plura multiplicetur; quia talis distinctio absque vllo oblato fundamẽto ex parte rerũ, sed prolibito dumtaxat fiet hominis ita apprehẽdẽtis, supposito modo connaturali, quem habet concipiendi per species alienas. Ex quo patet, quo sensu sit vera, & meritò retinenda diuisio illa distinctionis rationis in distinctionem rationis ratiocinantis, & distinctionem rationis ratiocinatæ. Ita, quod prima sit, quæ libere ab intellectu humano quoquomodo formatur, nullo ad id fundamento ex parte rerum conducente: siue illud aliàs adsit re verâ, siue secus. Secunda, quæ formatur reali aliquo inducẽte, aut etiã cogente fundamento.

207 Circa fundamenta autem, quibus innititur intellectus noster ad faciendam distinctionem rationis ratiocinatæ; non vna est Doctorum sententia. Nam Vasquez *disp. illa 117.* citatâ censet in re ipsâ, quæ per rationem distinguitur, nullum extare fundamentum ad talem distinctionem, sed solùm in aliis rebus distinctis realiter, relatè ad quas illa concipitur, dum per rationem multiplicatur; & in imperfecto modo, quem habemus cognoscendi per species alienas. Alij verò etiam in re distinguendâ reperiunt fundamentum ob distinctionem rationis ratiocinatæ, scilicet ipsius rei eminentiam, seu perfectionem, quæ meliùs per plures conceptus, quàm per vnum est cognoscibilis, quamque multi distinctionem eiusdem rei virtualem, eminentialem, seù fundamentalem appellant, iuxta primam acceptionem distinctionis virtualis relatam à nobis *suprà q. 6.* Sic P. Soar. *in Metaph. disp. 7. sec. 1. n. 4.* P. Ruiz loquens de Deo *tom. de scient. disp. 8. sec. 8.* & *tom. de Trinit. disp. 12. sec. 2.* P. Fasol. testans de communi *1. p. q. 4. art. 2. dubit. 14. n. 114.* & *117.* Tann. *1. p. disp. 2. q. 2. dub. 3. n. 6.* & alij, quos ibi citauimus. Consentit Ouiedo quantum ad Deum *cont. 4. Metaph. punct. 7.* Tametsi quantum ad creaturas sentiat cum Vasq. Addit tamen cum Ruiz *sec. illa 8. de scien. n. 3.* contra Vasquem ex parte cognoscentis non esse vnicum fundamentum distinctionis rationis ratiocinatæ solum imperfectum modum, quem nos habemus cognoscendi per species alienas. Posse enim etiam eos, qui cognoscunt per species proprias, & intuitiue, eiusmodi distinctionem in rebus cognitis efformare. Id, quod & alij plures sentiunt *q. 12.* referendi.

Ego arbitror primò, eos, qui per species proprias 208
intuitè vident obiecta, nullam in illis distinctionem rationis per eiusmodi cognitionem posse formare. De quo ex professo in *dicta q.* est tractandum. Secundò arbitror supposito modo imperfecto cognoscendi, quem nos habemus pro hoc statu, duplex extare fundamentum ex parte rerum etiam creatarum inducens nostrum intellectum ad distinguendas in illis varias formalitates, alterum extrinsecum, alterum intrinsecum ipsis: extrinsecum est multa, & diuersa connotata, relatè ad quæ vnamquamque rem ex necessitate concipimus, iuxta modum, quem habemus acquirendi rerum notitias, earumdemque formandi conceptus. De quo multa sunt dicta à nobis *disp. 2. q. 3.* sæpeque *aliàs*. Quotiescumque enim comparamus rem ad connotatum diuersum, diuersum solemus formare conceptum eius, vt ex ibidem dictis constat. Possunt etiam dici fundamentum extrinsecum ea, ad quorum instar alia distinguimus, vt si distinguamus in Deo intellectionem, & volitionem ad instar nostræ intellectionis, & volitionis, quæ realiter distinctæ sunt. Necnon principia, quibus inducimur ad cognoscendam vnam rei formalitatem præ reliquis, iuxta doctrinam traditam suprà *disp. 2. q. illa 3. citata*, tradendamque iterum *infra q. 9.* Intrinsecum autem fundamentum est aliqua rei cognoscendæ veritas, quam nos citra diuersum connotatum, sine diuerso nihilominus formato in ipsâ re conceptu non possumus vllomodo percipere e.g. dum iudicamus de homine, quòd potest intelligere, non possumus non formare duos conceptus, iuxta doctrinam de modo nostro iudicandi *disp. 2. q. 4.* & sæpe alias repetitam: alter est potentia ad intelligendum, alter subiectum, cui talem potentiam tribuimus, cùm tamen vtriusque conceptus vnicum tantùm sit extrinsecum connotatum nempe intellectio. Tantumdemque euenit, dum iudicamus de homine, quod potest sentire. Habemus itaque in homine conceptum potentis intelligere conflatum ex potentiâ intelligendi, & subiecto eius per ordinem ad connotatum intellectionis. Parilerque cõceptum potentis sentire in ordine ad connotatum sensionis, qui sunt conceptus animalis, & rationalis. Rursumque dum iudicamus *rationale est animal*; alium conceptum superaddimus absque vllo addito connotato, qui est actus essendi, siue identitas formalis inter animal, & rationale. Simili modo in Deo Trinitas personarum in vnitate essentiæ fundamentum est vrgentissimũ ad distinguẽdas per rationem ipsas personas ab essẽtiâ: quia nos nõ possumus iudicare

veritates

veritates spectantes ad hoc mysterium, nisi apprehendamus essentiam vt quid distinctum à relationibus, & vice versâ, vt ex dicendis *q. 9. prop. 1.* constabit. Intellectio etiam diuina, potentia ad intelligendum, & subiectum intellectiuum fundamentum nobis præbent citra realem connotatorum distinctionem ad illa formaliter per nostram rationem distinguenda. Itaque non solùm connotata, aut alia quæpiam rebus cognoscendis extrinseca, sed etiam veritates ipsis intrinsecæ fundamentum nobis dant ad distinctionem rationis ratiocinatæ, quando eiusmodi sunt, vt à nobis sine diuersis formatis conceptibus concipi nequeant.

209 Hæc dicta de distinctione rationis non ficta, quæ meâ sententiâ à distinctione reali prouenit sensibilium phantasmatum, in quibus vt in substitutis cognoscimus nos pro statu præsente cuncta insensata, in quibusque subinde distinctum, multiplicatumve in plura apparet id, quod in se realiter est vnum, & idem, vt ex dictis *disput. 2. quæst. 3.* constat, ampliusque constabit ex dicendis *quæst. 9.* ob id huiusmodi distinctionem supposititiam ego appello. Quidquid alij dictâ *quæst. 9.* impugnandi putent eam à distinctione cognitionum prouenire formaliter, quibus à nobis cognosci solet, quod realiter vnum, & idem est, ideoque non tam ex parte obiecti, quàm ex parte ipsarum cognitionum se habere.

Cæterum ob omnibus præterea alia distinctio rationis ficta adstruenda est; eam nimirum, quam nos extremis realiter identificatis tribuimus, dum illa per deceptionem realiter distincta putamus, taliaue citra deceptionem per simplicem solùm apprehensionem concipimus. Quæ quidem etiam potest diuidi in distinctionem rationis ratiocinantis, & distinctionem rationis ratiocinatæ. Prima dicetur, quæ pro mero nostro arbitratu inter extrema realiter identificata à nobis apprehensa fuerit. Secunda, quæ aliquo ad id ex parte rerum fundamento inducente à nobis inter talia extrema fuerit concepta; quale adest quidem, quando decepti iudicamus talia extrema realiter esse distincta; aut saltem an talia sint dubitamus, siue in quæstionem vertimus. Quomodo autem huiusmodi distinctio rationis ficta supposititiam necessariò supponat, atque adeo solùm ab iis, qui cognoscunt per alienas species, & consequenter in substitutis alienis, fingi, & concipi possit; non verò itidem ab iis, qui per species proprias cognoscunt, obiectaque subinde cognita in ipsismet immediatè tanguit ex dicendis *q. 12.* compertum fiet.

210 Porro distinctio quæuis rationis, quemadmodum de reali diximus *supra. q. 2.* & fundamentaliter & formaliter sumi potest. Fundamentaliter sumpta nihilo differt ab ipsis extremis distinctis, quâ ratione inter se distincta, seu plura sunt nimirum in mente nostrâ obiectiuè; formaliter autem sumpta ille actus obiectiuus est, quo nos concipimus vnum dictorum extremorum, prout sunt in mente nostrâ obiectiuè distingui ab alio, & vice versâ. Quemadmodum enim Petrus & Paulus extrema sunt seipsis à parte rei fundamentaliter distincta, formaliter autem distincta euadunt ad actu obiectiuo distinctionis, quem eis tribuimus, cùm dicimus *Petrus, & Paulus à parte rei inuicem distinguuntur*, iuxta modum, quem iudicandi habemus expositum *suprà disput. 2. quæst. 4.* & sæpe *alibi*. Ita rationalitas, & animalitas Petri extrema sunt seipsis distincta fundamentaliter, prout sunt in mente nostrâ obiectiuè; formaliter autem distincta euadunt ab actu obiectiuo distinctionis, quem eis tribuimus cùm dicimus; *rationalitas, & animalitas Petri, prout nobis apparent, siue prout sunt in mente nostrâ obiectiuè, inuicem distinguuntur*. Quomodo autem rationalitas, & animalitas, & aliæ quæque formalitates à parte rei identificatæ extrema sint, prout nobis apparent, siue prout sunt in mente nostrâ obiectiuè seipsis distincta modo dicto, & nihilominus non fictitia, sed vera extrema, veræque rerum formalitates sint; ex dicendis *q. 9.* compertum fiet.

Aduertendum tamen est hic pro dictis iam in su- 211
perioribus, dicendisque in sequentibus. Vbicumque de distinctione extremorum, siue reali, siue rationis absolutè, & sine aliquâ declaratione agitur, non de formali, sed de fundamentali distinctione in ipsis extremis consistente sermonem esse. Quia isti fundamentales conceptus rerum sunt, quos venamur, dum de eis absolutè, & sine reflexione tractamus, non de formalibus, quos illæ induunt à nostro modo iudicandi, seu concipiendi, vt ex dictis *disput. 2. quæst. 3.* & 4. & *disputatione 8. quæst. 1.* & 2. colligere est.

Addo vt distinctionem realem extremorum in- 212
dispensabiliter comitatur negatio identitatis eorum, quâ verè dicitur vnumquodque non esse alterum à parte rei; ita distinctionem rationis extremorum indispensabiliter etiam debere comitari negationem identitatis eorum, quâ verè dicitur vnumquodque non esse alterum, prout nobis apparent, siue prout sunt in mente nostrâ obiectiuè. Alioquin non erunt verè distincta per rationem. Quomodo autem huiusmodi negatio identitatis, non tam formalis, quàm illatiua distinctio dicenda sit ex dictis *q. 2.* satis est notum. De quibus omnibus plura *in sequentibus quæstionibus* dicenda sunt. Pergo iam ad resolutionem præsentis.

## *Propositio* 1.

Essentia, & relationes diuinæ inter se se distin- 213
guuntur per nostram rationem. Quemadmodum etiam essentia, & attributa communia, ipsaque attributa inter se.

Hæc propositio quoad primam partem constat imprimis ex locis Concilij Florentini relatis à nobis *suprà q. 4. proposit. 1.* Vbi expressè habetur substantiam, & personam diuinam *Secundum modum intellectionis nostræ differre*, & rursus semel, & iterum *sola ratione, aut intelligentia differre*. Puta tanquam includens ab incluso. Persona enim per rationem nostram ex relatione, seu personalitate, & ex substantiâ, seu essentiâ coalescit.

Deinde integra propositio planè probatur pri- 214
mum ex scriptura quatenus loquente in plurali de perfectionibus diuinis etiam toti Trinitati communibus. Ad Rom. *Inuisibilia ipsius* &c. Ioan. 6. *Omnia quæcumque habet Pater mea sunt*, &c. Deinde ex Conciliis. Præter Florent. enim citatum Sexta Synodus generalis. *Actione 11. in Epist. Sophronij approbata Actione 13.* docet aperte, *Per nostram intelligentiam separari perfectiones diuinas, quæ iure separabiles non sunt*. Præterea ex testimoniis Patrum, quorum primum locum obtinent ea, quæ expressè ponunt distinctionem rationis inter diuinas personalitates. Basil. *lib. 1. contra Eunom. proprius ad medium, quam ad principium* ait. *Quæcumque repentinâ comprehensione simplicia videntur ac vnica, varia verò ac multiplicia, si subtilius exquiruntur, hæc cum mente diuidantur, opinione sola diuisa dicuntur*. Et infra. *Incorruptibilem, ac ingenitum Deum dicimus diuerso mentis obiectu his nominibus*

*appellantes*. Cyrill. Alexan. *lib.* 11. *Thesau. cap. vnic.* Paulò post medium ita habet. *Non omnia, quæ in Deo sunt, & de Deo dicuntur, substantiam significant. Reliquum est igitur, vt voce, modoque dicendi accidentia esse dicamus, quoniam modo accidentium ea intelligimus.* Nazian. orat. 35. quæ est 3. de Theol. circa medium dicit. *Vnam quoque Dei essentiam, & naturam, & appellationem esse. Tametsi per cognitiones quasdam distinctas, nomina quoque simul distinguantur.* Et *orat. 36. quæ est 4. de Theol. propius ad medium, quam ad principium. Cùm naturæ*, inquit, *animo, & cognitione distinguantur: simul quoque nomina diuiduntur.* Damasc. *lib.* 1. *fidei cap.* 11. Loquens de essentia Dei ait. *Quod in ea dictum est, cogitatione sola distinguitur.* Secundum locum ad probandam propositionem habent alia Patrum testimonia, quibus asseritur diuersam esse significationem nominum, quæ dicuntur de Deo, & quod vno nomine significatur, alio non significari, quod planè supponit distinctionem inter significata nominum. Ita apud præcitatos DD. docent. Iustinus *in expositione fidei de Trinitate non longè à principio*. Basil. *lib. 2. contra Eunom. pag.* 2. Athanas. *dial.* 1. *de S. Trinitate contra Anomœum col.* 2. & *lib.* 1. *dialog. de S. Trinit. contra Maced. initio.* Nyssen. *lib. de differentia essentiæ, & hypothaseos.* Nazian. sæpissimè *orat.* 13. 32. 35. 36. 44. & 45. Cyrill. Alex. *dial. de Trinit. lib.* 2. *post medium.* Damasc. *lib.* 1. *fidei cap.* 6. Ambrosius *lib. de Incarnationis dominicæ mysterio cap.* 9. Hilar. *lib.* 8. *de Trinit. prope medium.* August. *lib.* 7. *de Trinit. cap.* 1. 2. & 4. Ansel. *lib. de Incarnatione Verbi cap.* 3. & *tit. de processione Spiritus sancti* frequenter, & alij. Tertio loco sunt pro eadem propositione Patres, qui ad affirmandum, aut negandum aliquid de Deo, dictionibus reduplicatiuis vtuntur, quæ manifestè supponunt distinctionem formalitatum, seu rationum formalium per intellectum factam. Ita loquuntur Athan. *dialogo.* 1. *citato de S. Trinit. contra Anomœum in medio, & orat.* 4. *contra Arrian. colum.* 3. Basil. *lib.* 5. *contra Eunom. sub initium.* Chrysost. *homil.* 1. *in Ioann. circa medium.* Cyrill. Alex. *dialogo de Trinit. lib.* 1. *post medium*, & *lib.* 2. & 7. *prope med.* Damasc. *lib.* 1. *fidei cap.* 6. August. *lib.* 5. *de Trinit. cap.* 5. & *in Psal.* 68. *colum.* 3. & alij. Quartum locum habent Patres, qui supponentes in Deo esse plura, affirmant ea omnia esse vnum, quod aliter nequit intelligi nisi de pluralitate per rationem, & omnimodâ vnitate reali. Horum testimonia multa indicauimus *suprà q.* 4. & 5. Quintũ locum obtinent Patres, qui vnanimiter docent nomina, quæ de Deo dicuntur, non Dei essentiam, sed quæ circa Essentiã sunt, in ipsâve inspiciuntur, significare. Quorum multa etiam testimonia proferemus suo loco vbi de essentia & attributis Dei sermo sit. Postremo deniq; loco sunt, qui de diuinis attributis, seu perfectionibus in numero plurali loquuntur, quorũ etiam aliqua testimonia in locis citatis reperies. Hi enim modi loquendi manifestè supponunt distinctionem rationis inter essentiam, & attributa ipsa. Nullatenus enim posse Patres quoad loquutiones istas intelligi de pluralitate aliquâ, seu distinctione reipsa conueniente attributis independenter à nostro modo concipiendi, satis superque in superioribus est demonstratum etiam, ex ipsis Patribus, tum contra alios, tum contra Scot.

216 Præterea probatur propositio primò ab experientiâ ipsâ. Nemo enim est, qui non experiatur plures se conceptus, eosque diuersos formare de perfectionibus diuinis, quod ipsum est eas distinguere per rationem. Confirmat id tam multiplex impositio nominum, quæ ad diuinas perfectiones significandas sunt imposita, nomina enim diuersa ad diuersos conceptus significandos solent communiter imponi. Perperamque, & prorsus temerè contra omnes Theologos, atque etiam contra Patres quispiam assereret omnia nomina, quæ de Deo dicuntur, esse synonima eumdem prorsus conceptum significantia. Secundò, quia sæpissimè agimus de aliquo attributo, de aliquâve perfectione Dei omnino immemores reliquarum: ergo hanc à reliquis manifestè tunc cognitione nostrâ præscindimus, atque distinguimus. Tertio sæpissimè vnum attributum alteri, aut vnam perfectionem alteri comparamus vt similem illi, vel dissimilem, vt æqualem illi, vel inæqualem, vt priorem illâ, vel posteriorem. Palam est autem tales comparationes non posse fieri, nisi inter extrema, quæ concipiuntur distincta. Quartò attributa, siue perfectiones Dei apud nos diuersas subeunt definitiones, descriptiones, demonstrationes, & reduplicationes. Quod licet argumento non sit eas distingui ex naturâ rei, vti prætendunt Scotistæ, apertè tamen probat eas per rationem nostram distingui. Quintò: non adeo est euidens vnum attributum ab alio ex naturâ rei non distingui, vt Scotistæ non opinentur oppositum: cùm tamen euidentissimum sit idem attributum à seipso nullatenus posse distingui; tum faciliùs assentimur propositioni, in quâ idem attributum dicitur de se ipso; quàm propositioni, in quâ vnum dicitur de alio: ergo concipimus ea inter se distincta. Patet consequentia: quia si non magis distinctam apprehenderemus sapientiam à iustitiâ, quàm sapientiam à sapientiâ, æque euidens, & assensu facile esset sapientiam esse iustitiam, quàm sapientiam esse sapientiam. Hæc satis modò. Nam, quæcumque producemus *quæst. seq.* ad probandum intellectum nostrum præscindere ex parte obiecti vnam diuinam formalitatem ab aliâ, apprimè propositionem, de quâ nunc agimus, comprobabunt.

## *Propositio* 2.

Distinctio essentiæ Dei, & attributorum tum personalium, tum communium, de quâ in *propositi* 1. rationis ratiocinatæ est, non verò solùm rationis ratiocinantis. 217

Est certum primò, quia ita sentiunt omnes Theologi, & omnes Patres commemorati, cùm tribuant essentiæ Dei, & attributis tum personalibus, tum communibus distinctionem rationis, quæ verè talis sit, & eis conueniat ex modo ordinario, & communi, quem nos habemus ea concipiendi, & per nomina illis imposita significandi, qualis sola distinctio rationis ratiocinatæ est: nam distinctio rationis raciocinantis, iuxta vulgarem eius notionem verè non est distinctio, sed summa identitas, & repetitio eiusdem conceptus, neque illa vnquam in mentem scholasticorum antiquiorum, nedum priscorum Patrum venit, vt dictum *n.* 205. Prout autem à nobis admittitur, cum prorsus sit arbitraria, & à nullo fundamento ex parte rerum se habente dependens, nec potest ordinaria aut communis in concipientibus diuina esse, nec possunt diuinorum diuersa nomina iuxta eam tam vniformi consensu imposita fuisse, aut in dies ad illa significandi tam vniformiter vsurpari,

Secundò, quia certum est etiam, & ipsâ experientiâ manifestum eam conceptuum pluralitatem, quos formamus de Deo, iuxta dicta nuper, non ex me- 218

to arbitratu nostro, sed ex modo connaturali, quem cognoscendi habemus, & rebusque ipsis suam trahere originem, Quod ipsum est distinctionem inter conceptus eos plures repertam rationis ratiocinatæ esse.

219 Tertiò, quia certum est pariter non posse nos pro hoc statu omnes diuinas perfectiones distinctè vno obtutu complecti, atque adeo coactos esse naturaliter ad Deum paulatim, & quasi per partes cognoscendum; quod est coactos esse ad distinguendas per rationem ipsas perfectiones diuinas, & consequenter huiusmodi distinctionem non esse in nobis prorsus spontaneam, sed aliunde, quàm ab arbitrio nostro inductam, in quo consistit esse eam rationis ratiocinatæ.

220 Quarto denique, quia non minus est certum dari tam in Deo cognito, quàm in rebus, ad quas comparatur fundamenta, quæ nos inducant ad prædictam distinctionem faciendam, iuxta dicta *n.* 208. Ergo omnino credendum est eam in talibus fundamentis fundari, atque adeo rationis ratiocinatæ esse.

221 Obiici tamen potest primò contra vtramque propositionem statutam. Omnis distinctio faciens aliud, & aliud, atque adeo faciens pluralitatem, aduersatur vnitati, atque adeo simplicitati Dei. Sed talis est distinctio rationis ratiocinatæ. Ergo ea vnitati Dei, simplicitatique aduersatur, & consequenter à Deo procul est releganda. Distinguo maiorem: omnis distinctio faciens aliud, & aliud à parte rei (præter personarum distinctionem) aduersatur vnitati, atque adeo simplicitati Dei concedo: faciens aliud, & aliud dumtaxat per rationem; nego; & concessâ minore, nego consequentiam. Quoniam vt perfectio diuinæ simplicitatis à nostrâ conceptione non pendet in suo esse realis; ita neque per nostram conceptionem potest aliquid illi detrahi, quacumque demum ratione Deum concipiamus, vel vno, & simplici conceptu, vel pluribus. Aliàs etiam spiritualitati Dei obesset, quod illum instar corporei conciperemus, vti reuerà concipimus pro hoc statu, quin possimus aliter, iuxta dicta *disputat. 2. quæst. 3.*

222 Secundò obiicitur. Perfectæ simplicitati omnis compositio aduersatur: sed si in diuinis admittatur distinctio rationis, compositio saltem rationis est admittenda: ergo si in diuinis admittatur distinctio rationis, aliquid est admittendum oppositum perfectæ Dei simplicitati. Respondeo pariter perfectæ simplicitati reali, qualis est diuina, nullatenus aduersari compositionem solius rationis. Quare lubens ego illam, & absque vllo prorsus inconueniente admitto in Deo cum Vasq. *1. p. disp. 22. c. 2.* Soar. *lib. 1. de essen. & attrib. cap. 4. n. 8.* Gilli. *lib. 2. tit. 4. c. 14.* & *titul. 6.* Tann. *disputat. 2. quæst. 2. dub. 3. num. 9.* & aliis.

223 Tertiò obiicitur. Res omnino simplex, qualis est Deus non exigit repræsentari, & cognosci tanquam multiplex sub conceptibus, seu formalitatibus diuersis, sed potiùs tanquam vna & indiuisa, sicuti est in se. Ergo si vt multiplex à nobis concipitur, absque fundamento ex parte ipsius rei se habente concipitur, & consequenter non distinctione rationis ratiocinatæ, sed ratiocinantis distinguitur. Admisso imprimis antecedente, nego consequentiam; quia vt sit ex parte rei cognoscendæ fundamentum distinctionis rationis, non opus est, quòd ipsa talem exigat distinctionem, sed sufficit, quod ea sit talis, vt ab aliquo intellectu distinctè, quoad omnes suas veritates nequeat cognosci nisi distinctione rationis interueniente. Deinde distinguo antecedens: res simplex non exigit cognosci vt multiplex absolutè concedo; casu, quod ab intellectu nostro distinctè sit cognoscenda, nego. Et nego consequentiam.

## *Propositio 3.*

Aliquæ perfectiones diuinæ absque respectu ad creaturas distinctas, vt ad extrinseca, atque diuersa connotata distinctione rationis ratiocinatæ distinguuntur à nobis. 224

Ita Ruiz *disp. 12. de Trinit. sect. 4. n. 2.* & Tañer. *suprà dub. 4.* cum S. Thom. Molin. Gillio, & aliis ab eo relatis. Constatque ex doctrinâ præmissâ suprà *num. 208.* vbi ostendimus citra omnem connotatorum extrinsecorum distinctionem, sæpe ipsas veritates rei cognoscendæ præbere nobis fundamentum sufficiens ad efformandam distinctionem rationis (quæ eo ipso rationis ratiocinatæ erit) quatenus illas eo, quem habemus, modo imperfecto cognoscendi, absque huiusmodi distinctione non valemus cognoscere. Sic personalitates diuinas ab essentiâ distinguimus; sic essentiam Dei metaphysicam ab eius passionibus: sic potentias, siue actus primos à secundis immanentibus, & alia huiusmodi.

Dixi absque respectu ad creaturas distinctas, vt ad extrinseca, atque diuersa connotata, quia aliter, quàm vt connotata, non possunt non distinctæ creaturæ, seu potiùs distincta phantasmata sensibilia interponi, quoties distinctos conceptus formamus de Deo, hoc ipso, quod eum per species alienas rerum sensibilium cognoscimus, iuxta doctrinam à nobis *suprà* statutam *disp. 2. quæst. 3.* tradendamque *quæst. seq.* Id enim fert secum modus connaturalis, quem habemus cognoscendi per species alienas. Neque aliud fortassis voluit Vasq. cùm dixit absque habitudine ad res distinctas non posse nos in Deo distinguere per intellectum attributa, Idque ipsum videtur velle Tann. *suprà assert. 2.* dicens cum aliis à se relatis, attributa diuina à nobis distingui non posse sine respectu quasi virtuali, seu habituali ad creaturas distinctas. 225

## *Propositio 4.*

Relationes, seu personalitates diuinæ ab essentiâ, tanquam modi à re distinguuntur per nostram rationem. 226

Ita Ruiz *disput. 12. de Trinit. sect. 5.* cum Henr. Alex. Albert. Ricard. Bonauent. & aliis. Estque constantissima Patrum sententia sæpe appellantium modos essentiæ, siue substantiæ Dei personalitates diuinas, seu relationes, vt videre est in Iustin. *in expositione fidei de Trinit. sub initium*, & *q. 129. ad Orthodoxos.* Basil. *lib. 4. contra Eunom. sect. 2.* & *lib. 5. paulo post medium.* Nyssen. *libr. Quod non tres dij ad Ablauium prope finem.* Nazian. *orat. 29. inter medium & finem.* Cyrill. Alex. *lib. 11. Thesau. cap. 1. circa finem*, & *in Dialogo de Trinit. lib. 1 inter medium & finem*, & *lib. 2.* frequenter. Theodoret. *in in epitome diuin. decret. lib. 5. cap. 3.* Anastasio Synaita *de rectæ fidei dogmatibus libr. 1. propè medium.* Damasc. *lib. 1. fidei cap. 9. 11. & 13.* Alexand. Alexandri. *in epistola ad Alexand. Constantinopol. col. 3. lib. 1. Actorum ante Concilium Nicænum.* Richard. Victorin. *libr. 4. de Trinitat. capite 19. & 24. lib. 5. cap. 5. & 6.* Quorum verba recitat Ruiz *loco citato.*

Impulsi

227 Impulsi sunt autem Patres, teste Ruiz, ad asserendum personalitates diuinas esse modos essentiæ, vt defenderent contra hæreticos, ac potissimum contra Arianos totam substantiam, & essentiam Patris, & totum quod quid est Patris, conuenire Filio, licet illi non conueniat Paternitas, quia hæc non est substantia, & essentia, sed modus substantiæ, & essentiæ. Verùm ad hoc non satis esset quòd personalitates diuinæ essent modi essentiæ per rationem nostram dumtaxat, nisi etiam à parte rei virtualiter essent tales, iuxta doctrinam à nobis traditam *quæst. 6.* Inde tamen probatur debere nos etiam illas vt modos essentiæ concipere, vt hoc mysterium intelligere, atque defendere valeamus ad mentem Patrum.

228 Absolutè autem inde constat, concipere nos vt modos essentiæ personalitates diuinas; quia illas concipimus vt relationes, siue ut subsistentias per se ipsas necessariò affixas essentiæ ipsi, quod est esse eas ex suo conceptu ipsius essentiæ modos.

## *Propositio 5.*

229 Reliqua etiam attributa communia tanquam modi quidam à re distinguuntur ab essentiâ Dei metaphysicâ per nostram rationem ex suo primario conceptu.

Quoniam vt ex doctrinâ generali traditâ *disp. 2. q. 4.* & *disput. 8. q. 1.* & *2.* colligitur omnia prædicata diuina, qualia sunt attributa, ex suo primario conceptu actus quidam sunt siue primi, siue secundi, & consequenter modi quidam vnius subiecti radicalis, de quo prædicantur, & in quo essentia Dei metaphysica posita est, vt suo loco ostendemus. Tametsi, quæ transcendentia sunt, aliorum insuper subiectorum, præterquam dictæ essentiæ, sint actus, atq; adeo modi iuxta ibi dicenda. Dico autem ex suo primario conceptu, quia ex secundariis aliter quàm vt modi essentiæ, sæpè concipi solent, iuxta doctrinam etiam vniuersalem traditam *disput. 2. quæst. 3.*

230 Ex quibus facile erit cuique colligere, quo pacto attributa communia Dei inter se se per rationem distincta sint. Quomodo autem modo distinctione adæquatâ, modo verò inadæquatâ, siue includentis ab incluso valeant, & soleant distingui aut ab essentiâ, aut inter se, ex dictis de differentiâ conceptuum abstractorum, & concretorum *disput. 2. q. 4.* citatâ compertum est; & ex dicendis in sequentibus magis conspicuum fiet.

## *Propositio 6.*

231 Formalitates itidem cuiuslibet entis creati, quæ cùm sint identificatæ realiter, diuersos conceptus sibi vendicant oriundos ab intellectu nostro, diuersisque à nobis vocabulis non synonimis nuncupantur, distinctione rationis ratiocinatæ oriunda etiam à nostro intellectu sunt distinctæ inter se.

Huiusmodi sunt in homine formalitates substantiæ, viuentis, sensibilis, rationalis, admiratiui, risibilis, & cæteræ huiusmodi; & in quouis aliorum entium formalitates, ex quibus, illud per intellectum nostrum coalescit. In hanc propositionem omnes conueniunt: ex dictisque circa præcedentes satis conspicua est, quia, vt nos Deum intellectu nostro in multas formalitates partimur, ita quoque partimur quodlibet aliud ens, cùm cuncta à nobis pro statu præsente eodem modo, quod ad rem attinet, cognoscantur, vt experientiâ constat. Quare hic ampliùs non est morandum.

Solùm aduerto idem etiam esse dicendum de formalitatibus chymerarum impossibilium, quæ suapte 232
essentiâ, & quiditate re ipsâ sunt identificatæ, & tamen à nobis, sicut & aliæ entium possibilium distinctæ concipiuntur, distinctionemque proinde rationis, perinde ac illæ, sortiuntur ab intellectu nostro.

---

# QVÆSTIO IX.

*Vtrum formalitates tum diuinæ, tum creatæ identificatæ realiter ita per rationem nostram distinguantur, vt aliæ ab aliis ex parte obiecti, siue obiectiuè præscindantur?*

QVæstio hæc celebris facta est hac ætate, post- 233
quam noster Petr. Hurtad. in sua Philosophiâ sententiam in hac re Nominalium penè sepultam iam, atque obliuioni traditam suscitauit, & illustrauit. Tota autem difficultas quæstionis in eo stat, an intellectus noster ita obiectum alias re ipsâ insectile valeat sua cognitione diuidere, siue præscindere, vt aliquid eius cognoscat, & aliquid non cognoscat. e. g. an per eamdem cognitionem, quâ attingit in Deo omnipotentiam, possit sapientiam non attingere; & per quam attingit essentiam, personas, aut personalitates possit non attingere, vel vice versâ? An possit in entitate hominis cognoscere animal, ignoto omnino rationali, cùm tamen sapientia, & omnipotentia, essentia, & personalitates realiter sint idem in Deo, pariterque animal, & rationale sint idem in homine. Si enim id possibile est, fiet vtique, vt dum omnipotentiam Dei, & sapientiam, siue animal, & rationale hominis diuisim per duas cognitiones concipimus, perinde nobis illi duo conceptus ex parte obiecti appareant duo, atque inter se distincti, ac si re verâ tales essent, quod est vnum conceptum obiectiuum, siue vnam formalitatem ab aliâ identificata cum illâ per rationem nostram distingui, siue præscindi ex parte obiecti.

Quanquam autem hæc controuersia apud Scoti- 234
stas locum non habeat, quatenus ipsi non modo per intellectum, sed ex naturâ rei censent formalitates obiectiuas realiter identificatas distingui tam in diuinis, quàm in creatis. Ab eius tamen difficultate non omnimodè exempti sunt, quatenus distinctio solùm formalis, suppositâ reali formalitatum identitate, non videtur sufficere ad hoc vt vna formalitas cognoscatur, altera cum eâ identificata ignota realiter, iuxta argumentum à nobis factum contra ipsos *q. 5. num. 102.* & *seqq.* Igitur prædictas obiectiuas formalitatum præcisiones ab humano intellectus oriundas omninò impossibiles esse tam in diuinis, quàm in creatis sententia Nominalium fuit. Ochami *in 1. dist. 2 q. 2.* Gabr. *quæst 1. art. 2.* Greg. *distinct. 8. q. 2.* Maior. *dist. 8. q. 1.* Alliac. *quæst. 6. art. 2.* Aureol. *dist. 8. q. 3.* Mayron. *quæst. 4.* & aliorum. Quam iam exoletam, vt dicebam, Petr. Hurt. renouauit, acriterque defendit in *Metaph.* sparsim quidem & obiter per totam *disp. 5.* ex professo autem *disp. 6. sect. 4.* Quem postea sequuti sunt Arriag. *disput. 5. Logicæ sect. 2.* & *tom. 1. in 1. p. disp. 9. sect. 1.* & *seqq.* Ouied. *contr. 4. Metaph. punct. 8.* & alij Recentiores. Excipit tamen Arriaga mysterium Trinitatis,

tatis, vbi necessario censet esse admittendas præcisiones obiectiuas inter essentiam, & relationes ob distinctionem virtualem, quam habent: etsi in attributis toti Trinitati communibus, tum inter se, tum cum essentia comparatis nullam apud ipsum distinctionem virtualem habentibus in ordine ad prædicata contradictoria, æquè atque in rebus creatis censeat esse negandas. Cùm tamen Hurtad. & Ouied. vbique illas negent. Accedit Franciscus Alphonsus rem tractans solùm in creatis, & illas negans in logica *Tract. 1. disp. 4. sect. 2.*

235 Communis tamen Theologorum, ac Philosophorum sententia tum in creatis, tum in diuinis præcisiones obiectiuas formalitatum à nostro intellectu pro hoc statu orundas admittit. Pro quâ sine dubio stant S. Thom. & eius expositores. Quin etiam præter modernos paucos, & Nominales commemoratos omnes Theologi, & Philosophi (quidquid Hurtado refragetur) vbicumque distinctionem rationis ponunt, tum inter attributa diuina, tum inter formalitates creatas, eamque ex parte obiectorum se habere supponunt, vt videre est apud citatos *q. præced.*

236 Acuti quidam Recentiores ex nostris media quadam via incedentes dixerunt primò intellectum nostrum in diuinis obiectiuè posse præscindere. Secundò inter creata quædam esse, in quibus præscindere possit, nimirum relatiua. Quædam verò, in quibus non possit, nempe absoluta. Et quia putabant virtutes cauſatiuas rerum creatarum esse absolutas à suis effectibus adhuc vt possibilibus; in solis tandem entibus modalibus dicebant posse inueniri præcisionem; qualem ponebant inter actionem, & passionem, aliisque huiusmodi.

237 Est autem potissimum argumentum, quo Hurt. & alij Recentiores in sententiam Nominalium impulsi sunt. Fore, vt si intellectus noster præscinderet ex parte obiecti vnam formalitatem ab alia, duo simul vera sequerentur contradictoria, nempe cognosci re vera aliqua cognitione, & simul non cognosci eamdem indiuisibilem entitatem. Si namque cognoscitur animal, rationali non cognito; cùm animal, & rationale sint idem, fit vtique, vt idem simul cognoscatur, & non cognoscatur. Quod argumentum fusiùs vrgebo inferiùs pro Nominalibus; libaui tamen illud modo, vt possim in eosdem retorquere inter probandum meam sententiam.

## *Propositio 1.*

238 Intellectus noster pro hoc statu non solum potest, sed prorsus debet circa mysterium Trinitatis obiectiuè præscindere, vt credere, & confiteri valeat veritates catholicas, quæ in tali mysterio fundantur.

Etenim quanquam mysterium hoc in suo esse à nostris præcisionibus non dependeat (in quo plus æquo fidunt Hurt. & Ouied.) Verùm, vt à nobis illud pro hoc statu cum omnibus veritatibus ipsi subnixis possit intelligi, omnino est nobis necessarium obiectiuè præscindere. Quod vt ostendam, supponio aliqua manifesta, & prorsus indubitata principia. Primum est. Omni propositioni formali, siue vocali ex parte obiecti respondere propositionem obiectiuam, circa quam versatur iudicium nostrum correspondens propositioni formali: id namque significamus vocabimus, quod mente concipimus.

239 Secundum est, quoties propositio obiectiua omnino manet immutata, siue his, siue aliis vocibus ea significetur, veritatem, aut falsitatem immutatam manere. Quia veritas, aut falsitas propositionis obiectiuæ à varietate vocum illam eodem modo significantium non pendet; atque adeo nec veritas, aut falsitas propositionis formalis his vocibus, potiùs quàm aliis est alligata; sed ex quibuscumque compingatur, immobiliter erit vera, vel falsa, si semper est eadem propositio obiectiua per tales voces significata. Vnde manifestè consequitur, quoties duæ propositiones vocales eamdem prorsus obiectiuam significant, aut vtramque falsam, aut vtramque veram necessariò debere esse, nec fieri posse, vt altera sit falsa, & altera vera. Ita si hæc propositio est vera: *hæc vestis est mea*, & hæc necessariò erit vera: *hoc indumentum est meum*; & si falsa, falsa: quia vtriusque obiectum idem est prorsus.

Tertium est. Qui auditis diuersis propositionibus formalibus, eamdem semper apprehendit propositionem obiectiuam, æquè illi poterit assentiri per iudicium, aut non assentiri, siue per hanc, siue per illam propositionem formalem significetur, quia impertinens est variatio vocum respectu apprehendentis semper idem significatum. Vnde, qui non potest, aut, cui non licet assentiri propositioni obiectiuæ apprehensæ ex vi huius formalis, nec poterit, nec ipsi licebit assentiri eidem apprehensæ ex vi alterius. 240

Quartum est. Si repugnat præscindi per cognitionem vnam formalitatem ab alia, etiam repugnare præscindi per significationem vocis. Est clarum, primò: quia non est magis impossibile cognosci vnum, & non aliud identificatum cum illo, quàm significari vnum. & non aliud identificatum cum illo, vt constat; quandoquidem eamdem inuoluit, aut non inuoluit contradictionem significari vnum re verâ per aliquam vocem, & non significari per eamdem, quod est idem cum illo, ac repræsentari vnum re verâ per aliquam cognitionem, & non repræsentari per eamdem quod est idem cum illo. Secundò, quia, qui non potest cognoscere vnum ab altero præcisum, nec poterit ei significari, aut ab ipso significari per vocem vnum ab altero præcisum, vt etiam est notum. Vnde planè consequitur, qui negant possibiles præcisiones obiectiuas respectu cognitionis, non posse non pariter illas negare respectu significationis vocis. 241

Quintum est. Eidem prorsus propositioni obiectiuæ assentiri simul, & dissentiri impossibile esse: quia id esset assentiri simul duobus obiectis formaliter, & immediatè contradictoriis, quod repugnat nostro intellectui, saltem loquendo naturaliter, vti fatentur omnes. 242

Ex his, quæ manifestissima sunt. Arguo sic primò pro statuta propositione. Si repugnat, subindeque de facto non datur præcisio obiectiua circa mysterium Trinitatis facta per cognitionem, & consequenter neque facta per vocum significationem, iuxta principiũ quartum; hæ duæ propositiones vocales *Pater distinguitur à Filio. Essentia distinguitur à Filio* eamdem prorsus significabunt propositionem obiectiuam; quia vocis *Pater*, & vocis *essentia*, in qua solùm discriminantur idem omnino significatum erit, nempe tota, & indiuisa entitas Patris. Igitur, vel ambæ erunt veræ, vel ambæ falsæ necessariò; nec fieri poterit vt altera sit vera, & altera falsa, iuxta principium secundum. Absurdum. Quia certâ fide tenendum est primam dictarum propositionum veram, secundam autem falsam esse. Ergo omnino dicendum est, ne tale absurdum necessariò sequatur, circa 243

mysterium

mysterium Trinitatis, per vocum significationem, atque adeo per cognitionem etiam nostram obiectiue præscindi. Ita, quod vox *essentia* non totum Patrem, sed aliquid eius commune etiam Filio significet, nullatenus significatâ proprietate paternâ, quæ re ipsâ cum eo communi prorsus est idem. Idem argumentum fieri potest circa plures alias huiusmodi propositiones, ex quibus altera est vera, & altera falsa secundum fidem. Cùm tamen propositiones obiectiuæ eis respondentes penès præcisionem obiectiuam dumtaxat alicuius termini discriminentur. e.g. *Deus est Trinitas: Pater est Trinitas: Paternitas non communicatur filio: essentia non communicatur Filio: Filius producitur à Patre: essentia producitur à Patre*; *Humanitas Christi Domini vnita fuit immediatè Verbo: Humanitas Christi Domini vnita fuit immediatæ naturæ Patris*, &c.

243 Secundò idem argumentum aliter potest sic formari iuxta principium secundum. Quotiescumque propositio obiectiua est eadem, veritas, aut falsitas immobiliter est eadem, quibuslibet demum vocibus ea propositio obiectiua significetur. Sed si non datur circa mysterium Trinitatis præcisio facta per vocis significationem, propositio obiectiua respondens huic vocali *Deus est Trinitas*, semper est eadem, siue per hanc eamdem significetur, siue per quamlibet illarum *Pater est Trinitas*: *Filius est Trinitas*: *Spiritus sanctus est Trinitas*, vt constat, quia tali præcisione sublatâ, omnes illi termini *Deus*, *Pater*, *Filius*, *Spiritus sanctus* non possunt non habere idem omnino significatum quod habet *Deus*. Ergo siue dicamus *Deus est Trinitas*, siue *Pater est Trinitas*, &c. eamdem semper veritatem, aut falsitatem proferemus; cùm tamen fide sanctum sit, qui profert primam, verum dicere; falsum autem, qui secundam, tertiam, aut quartam.

244 Tertiò sic arguo. Seclusâ omni præcisione obiectiuâ, qui audit hanc propositionem vocalem *Pater distinguitur à Filio*, eamdem prorsus apprehendit propositionem obiectiuam, quam apprehendit hâc auditâ, *essentia distinguitur à Filio*, quia seclusâ omni præcisione obiectiuâ, obiectum vtriusque prorsus est idem, quandoquidem prædicatum in vtrâque idem est, subiectum autem non potest non etiam esse in vtraque totum, quod reipsâ est idem cum Patre. Igitur, qui audit hæreticum affirmantem propositionem secundam, æquè potest ei assentiri, ac potest assentiri catholico affirmanti primam, vel si secundæ assentiri nefas est, pariter nefas erit primæ assentiri, iuxtà principium tertium. Quod est immane absurdum; quandoquidem prima de fide est, & ex obligatione credenda, secunda hæretica, & detestanda.

245 Quartò. Seclusâ omni præcisione obiectiuâ, nemo potest assentiri huic propositioni, *Pater distinguitur à Filio*, quin assentiatur huic, *essentia distinguitur à Filio*, quia seclusâ omni præcisione obiectiuâ, obiectum vtriusque prorsus est idem, iuxta super dicta. Sed secundæ non potest quis assentiri per actum fidei diuinæ, cùm sit hæretica: ergo nec primæ. Ergo seclusâ omni præcisione obiectiuâ, nemo potest credere fide diuinâ mysterium Trinitatis, creditis propositionibus de fide, quæ ad ipsum pertinent, qualis est illa prima, & cæteræ huiusmodi, de quarum singulis idem potest fieri argumentum.

246 Quintò. Ex duabus propositionibus propositis *n. præc.* primæ tenetur vnusquisque assentiri, secundæ autem dissentiri ex fidei obligatione. Sed seclusâ omni præcisione obiectiua, idem omnino ambæ habent obiectum, vt ostensum est. Ergo si nulla datur præcisio obiectiua, eidem omnino obiecto tenetur vnusquisque ex fidei obligatione assentiri simul & dissentiri. Quod est teneri ad impossibile, iuxta principium quintum. Vel conuertendo. Impossibile est eidem omninò obiecto assentiri simul & dissentiri; iuxta idem principium. Sed sublatâ præcisione obiectiuâ, vtriusque illius propositionis est idem omnino obiectum, vt dictum. Ergo citra obiectiuam præcisionem impossibile est assentiri primæ, & simul dissentiri secundæ, prout fieri debet secundum fidem. Et consequenter sine obiectiuâ præcisione, nequaquam possunt à nobis credi veritates catholicæ, quæ circa Trinitatis mysterium per fidem proponuntur credendæ. Tantumdemque eisdem argumentis concluditur de veritatibus catholicis, quas circa mysterium Incarnationis tenemur credere.

247 Sextò denique. Sublatis præcisionibus obiectiuis oriundis à significatione vocum iuxta principium quartum, idem significabit, qui dixerit *essentia distinguitur à Filio* ac, qui dixerit *Pater distinguitur à Filio*. Ergo integrum erit vnicuique affirmare primam harum propositionum, æquè ac secundam. Aut si nequit primam, quia hæretica; nec poterit secundam. Rursus si neget primam, vti debet, affirmatâ secunda, idem simul affirmabit, & negabit sibi contradicendo. Aut si nequit sibi ipsi serio, & ex animo contradicere, vt reuerâ nequit, nequibit serio, & ex animo negare primam, & simul affirmare secundam, & consequenter nec poterit veritates catholicas, quas circa mysterium Trinitatis atque adeo etiam circa mysterium Incarnationis confiteri tenetur.

248 Tandem ratio à priori huius doctrinæ est, quia nos neutiquam possumus de vnico, eodemque conceptu obiectiuo apprehenso ex parte subiecti duo simul prædicata contradictoria distinctè concepta enunciare, quia id esset eidem omnino propositioni obiectiuæ assentiri simul, & dissentiri, siue idem prædicatum de eodem omnino subiecto simul affirmare, & negare. Quod nobis repugnat iuxta principium quintum. Vnde quando alicui rei realiter indiuisibili reverâ ralia prædicata conueniunt eo quod ob suam eminentiam virtualiter duplex est, necessariò sunt nobis proponendæ, repræsentandæque vt distinctæ obiectiuè illæ duæ formalitates, in quas eiusmodi res relatè ad talia prædicata virtualiter distincta est, vt de illis, tanquam de duobus subiectis, diuisiuè, atque distinctè possimus ipsa prædicata enunciare. Quod vtique fit in mysteriis Trinitatis, & Incarnationis, vbi prout nobis viatoribus proponuntur credenda, prædicata ex suo genere contradictoria non eidem conceptui per eamdem vocem significato, sed distinctis, qui vocibus diuersis respondent, attribuuntur, vt in exemplis suprà positis cernere licet. Vtrum autem in iis, qui intuitiuè vident ista mysteria, huiusmodi etiam formalitatum præcisio sit necessaria, vt eis assentiantur *q.* 11. examinabimus.

249 Petrus Hurtado *disp. illâ 6. metaph. sec.* 4. citatâ, cum sibi argumenta similia, licet non ita digesta opposuisset, respondet à §. 134. primò. Argumenta eiusmodi æquè esse contra sententiam satis communem P. Soar. & aliorum asserentium essentiam diuinam in conceptu relationum includi formaliter. Sed contra: quia opinio illa de inclusione formali essentiæ diuinæ in relationibus, vel eo nomine fortasse erit itidem reiicienda, quod aduersus eam etiam militant argumenta à nobis facta contra non

præscin

præscindentes, de quo tractandum *suo loco*.

Secundò respondet. Mysteria fidei à nostrâ formalitatum præcisione non dependere, cùm illa independenter omnino à nostris cognitionibus, imò, & ab earum possibilitate subsistant. Sed contra: ego non contendo probare mysteria in suo esse pendere à nostris præcisionibus obiectiuis: quod esset ridiculum; sed non posse nos illa intelligere, neque credere pro hoc statu sine obiectiuis præcisionibus; quod est valde diuersum; & absque dubio probant facta argumenta.

251 Tertiò respondet: quam ingerunt dicta argumenta difficultatem, cuius catholico esse communem, potiúsque nasci ex mysteriorum profunditate, quàm ex specialitate opinionum. Quod probat: quia in creatis, iuxta quamuis sententiam siue adstruentem, siue negantem pluralitatem obiectiuam formalitatum, quidquid verè, & realiter prædicatur de rationali, vere etiã, & realiter prædicatur de animali, vt in hac propositione, *Rationale est principium discurrendi*. Principium discurrendi verè prædicatur de animali, quia animal est idem realiter cum rationali: & licet non cognoscatur immediatè, & formaliter; cognoscitur tamen materialiter per cognitionem de rationali; atq; ita licet propositio non sit vera de animali in sensu formal, & reduplicatiuo; est tamen vera in sensu reali & specificatiuo. Ergo si in diuinis, perinde atque in creatis, liceat philosophari, hæc propositio: *Paternitas est Filiatio*, non potest non esse vera saltem in sensu identico, quia hæc: *Natura est Filiatio* vera est, & Paternitas à parte rei idem est cum naturâ. Cùm tamen hæreticum sit asserere Paternitatem esse Filiationem adhuc in sensu identico. Idemq; euenit in similibus propositionibus, vnde concludit supradicta argumenta non minus premere præscindentes quàm non præscindentes. Sed contra; quia male supponit Hurt per cognitionẽ præcisiuã vnius formalitatis non posse non attingi etiam à nobis alteram identificatam cum illâ saltem materialiter, & identicè. Id enim falsum planè est, quia in nostrâ sententiâ, quâ ratione vna formalitas ab aliâ per cognitionem præscinditur, ita diuisiuè ab aliâ cognoscitur, vt alia per talem cognitionem nullo omnino modo tangatur: nihilo enim magis concipit intellectus alias eiusdem rei formalitates, præter eam, quam suâ apprehensione præscindit, quàm si illæ in tali re non essent. Quod maximè in diuinis formalitatibus, de quarum præcisione modò tractamus, locum habet, quidquid sit de aliis, de quibus postea: quia, quâ ratione Paternitati. e.g. conuenit formaliter à Filiatione distingui, quin id conueniat essentiæ adhuc materialiter, & identicè: ita eidem Paternitati conuenit formaliter per cognitionem nostram præcisiuam attingi, quin id ne materialiter quidem, aut identicè conueniat essentiæ. Quo semel statuto, tota redargutio Hurt. cassa fit, vt apparet.

252 Quartò: absurda illata per argumenta supradicta ex cognitione viatorum non præscindente circa mysteria commemorata in cognitionem, quam Deus, & beati habent eorumdem mysteriorum, quamque ipse supponit, nullatenus præcisiuam esse conatur Hurtad. transferre, vt inde probet difficultatem esse communem, & vtrobique ab omnibus esse soluendam. Sed contra; quia vel Deus, & beati præscindunt etiam obiectiuè, dum dicta mysteria cognoscunt, vt quibusdam placet: vel alia est ratio de cognitione, quâ Deus, & beati intuentur ipsa mysteria, nec locum in eâ habent argumenta facta, de quo *infrà q.* 11. tractandum ex professo est.

Quintò tandem magis ad difficultatem accedens 253
respondet Hurt. §. 148. *& seqq.* per hoc iudicium: *Natura est Filiatio* (& eadem est ratio de similibus) ex parte subiecti, & naturam, & Paternitatem immediatè attingi absque vllâ præcisione; nihilominus tamen Filiationem non affirmari de Paternitate, sed de naturâ: quia Paternitas non est subsectum, eo quod propter virtualem distinctionem, quâ à naturâ distinguitur, fugit rationem subiecti in ea prædicatione. Sed contra primò, quia nemo hactenus cogitauit, nedum asseruit fieri posse, vt per iudicium nostrum non affirmetur prædicatum de integro conceptu obiectiuo apprehenso ex æquo, & directè ex parte subiecti. Et quidem iurè; quia si id possibile est, tota vis iudicatiua nostri intellectus irrita penitus, & cassa redditur, quia nesciri poterit de quonam ex contentis ex æquo, & directè in subiecto de facto affirmetur prædicatum per quamlibet enunciationem externam, aut iudicium internum; semel enim statuto vt possibili, quod possit de partè, & non de toto subiecto affirmari, quantumuis eodem modo concipiatur, quidquid est in ipso subiecto, sciri vtique non poterit etiam affirmante ipso, de quo affirmetur.

Contrà secundò. Cùm dicit Hurt. Paternitatem 254
non esse subiectum illius iudicij, sed naturam; aut per nomen Paternitatis significat aliquid à natura præcisum, aut significat totam entitatem Patris? Tantumdemque inquiro vice versâ de nomine naturæ. Si primum ipsâ suâ solutione planè præscindit ex parte obiecti Paternitatem à natura, & è contra, tum per significationem vocum, tum per cognitionem, quia id sine dubio mente concipit, quod significat ore. Eamdemque subinde præcisionem, quam negat, ipso exercitio negandi adstruit. Quo quid absurdius. Si secundum? Eamdem omnino propositionem absurdo non minore simul affirmat, & negat, nempe totam entitatem Patris esse subiectum, & simul non esse subiectum prædicti iudicij. Si autem dicat rursus Hurt. etiam in suis ipsius propositionibus Paternitatem, & naturam fugere rationem subiecti. Iterum supra hoc dictum reflectetur argumentum, & sic sine fine; quin possit vnquam significare, quod intendit, nisi tandem præscindat. Præterquam quod hoc esset etiam de suis ipsis propositionibus mysterium facere cæteris nostris impugnationibus euidentiùs expositum.

Contra tertiò. Nam ex doctrinâ huius Doctoris 255
manifestè consequitur his duabus propositionibus. *Natura est Filiatio: Pater est Filiatio*, eamdem omnino obiectiuam propositionem correspondere. In vtraq; enim tota enim entitas Patris ponitur ex parte subiecti, & prædicatum est idem. Ergo sicut prior est vera, verissimèque ei assentimur: quia Paternitas significata, & apprehensa ex parte subiecti simul, & indiuisim cum natura, refugit nihilominus rationem subiecti ob distinctionẽ virtualem, qua ab illa distinguitur. Pariter secunda erit vera, verissiméq; ei assentiemur ob eamdem rationem. At hoc sine errore in fide dici non potest, quia posterior propositio planè est hæretica; hæreticusq; esset citra dubiũ, qui illi, vt sonat assentiretur: quantumuis postea reflexè assereret tam in propositione externa, quàm in suo iudicio interno Paternitatem fugere rationem subiecti, non obstante, quòd de illa, & natura indiuisim, eodemque modo concepta prædicatum tum externè, tam internè affirmetur. Vnde tandẽ impugnari potest Hurtado, quia, cùm prima dictarum

propositionum sit de fide, secunda autem hæretica, necesse est, vt non significent prorsus idem; & consequenter vox *Natura*, & vox *Pater*, in quibus solis discriminantur, diuersa habent obiecta. Sed secunda significat totam entitatem Patris: ergo prima non totam, sed aliquid illius solùm debet significare, & consequenter suâ significatione obiectiuè præscindere. Neque ad diuersum modum significandi, & concipiendi idem obiectum recurri potest. Quia posito, quod natura, & Paternitas per quamlibet vocem, per quamlibetque cognitionem eodem modo significentur, & concipiantur, prout necessarium est, si non præscinduntur, non possunt non eamdem fortunam subire respectu talis vocis, & cognitionis, quæcumque ea sit, vt satis ex se est notum.

256 Quiedo non satis quiescens in solutionibus Hurt. per alia insuper effugia à præsenti difficultate conatur euadere, *controuer. 4. Metaph. punct. 8. citato n. 49. & seqq.* Primum itaque respondet ex parte subiecti huius propositionis: *Natura communicatur*, idem esse obiectum cognitum atque ex parte subiecti huius: *Paternitas communicatur*. Nihilominus primam propositionem esse summè veram, secundam summè falsam: quia nos loquimur de eisdem conceptibus obiectiuis cognitis per diuersa media, ac si essent distincti in hoc mysterio; sicut præscindentes loquuntur de formalitatibus per rationem præcisis, ac si à parte rei distinctæ essent. Contra tamen primò, quia conceptus obiectiui, quos nos in mysterio Trinitatis formamus, non per diuersa media, sed idem diuinæ reuelationis nobis notescunt. Contra secundò, quia iuxta principium quintum statutum *n. 242.* eidem omnino propositioni obiectiuæ per nulla media possumus assentiri simul, & dissentiri: quia nulla media possunt intellectum nostrum inducere ad iudicanda simul duo contradictoria prorsus formalia, & immediata. Assentiremur autem, simulque dissentiremur eidem omnino propositioni obiectiuæ assentientes huic: *Essentia communicatur*, & dissentientes huic: *Paternitas communicatur*. Si ex parte subiecti vtriusque eumdem omninò apprehenderemus conceptum obiectiuum, vt constat. Contra tertiò, quia si huic vtriq; propositioni vocali eadem prorsus obiectiua respondet, vt est necesse, si vox *essentia*, & vox *Paternitas* eumdem omnino significant conceptum obiectiuum, impossibile est, quòd altera vera, & altera falsa sit (vti esse debent secundum fidem) iuxta principium secundum positum *n. 239.* Contra quartò: quia omnia argumenta à *n. 243.* proposita æquè, & vniuersaliter probant intètum, quibusuis tandem mediis sit cognoscibilis propositio obiectiua respondens formalibus, siue vocalibus *ibidem* in exemplum adductis, vt perpendenti singula compertum fiet. Contra deniq; quintò: quia media diuersa, per quæ res eadem concipitur, vt summum possent prodesse non præscindentibus loco diuersorum connotatorũ, per ordinem ad quæ tota res modò cognosci, & modò non cognosci diceretur. Verumtamen asylum hoc, quod perperam etiam ex mediis cognoscendi construitur, vt infrà ostendemus, in mysteriis, de quibus agimus, nullum omnino locum habet: quia dici non potest citra hæresim totam entitatem Patris respectiuè, ad tale medium communicari Filio, & totam non communicari respectiuè ad aliud. Iam verò, quod addit Quiedo, loqui nos in mysterio Trinitatis de formalitatibus tantùm per intellectum præcisis, ac si realiter distinguerentur, falsum est; quia vt veritates in illo repertæ sine contradictione constent reipsâ, nostra præcisio formalitatum facta per intellectum insufficiens est, & impertinens, vt contra plures suprà ostendimus *quæst. 7.* id namque habent à distinctione virtuali, quâ eiusmodi formalitates à parte rei distinctæ sunt, quâ ratione declarauimus *quæst. 6.* Tametsi vt tales veritates à nobis cognoscantur formaliter, insuper à nobis per intellectum formalitates ipsæ obiectiuè distingui debeant. Quod modo contendimus.

Deinde respondet Quiedo, vt in hac propositione: *Aliquis homo currit*, subiectum prædicationis, & subiectum verificationis non est idem; quia subiectum, de quo verificatur cursus est solus Petrus; cùm tamen non de solo Petro, sed de Petro, vel Ioanne sub disiunctione cursus prædicetur, ita in hac propositione. *Natura communicatur*, subiectum quidem prædicationis esse naturam & relationem, & totum quod est in Trinitate: subiectum tamen verificationis tantùm esse naturam, quia de illâ verificatur hoc, quod est communicari, non de personalitatibus. Sed contra primò. Nam quidquid modo sit de verificatione propositionum de subiecto vago, de quibus multa *suo loco*. Id prorsus certum, & minimè dubitabile debet esse, in propositionibus de subiecto determinato, vt non sufficit ad earum veritatem, quod conueniat alicui parti subiecti id, quod de subiecto integro prædicatur, vt constat; ita neque possibile esse, quod pars sola subiecti sit subiectum verificationis, quando illud integrum est subiectum prædicationis. Cùm igitur propositio illa: *Natura communicatur*, de subiecto determinato sit, si ex parte subiecti ponitur tota entitas Patris, necesse est omnino, vt vel propositio sit falsa, vel de tota entitate Patris verificetur prædicatum, quorum vtrumque hæreticum est. 257

Contra secundò: cùm asserit Quiedo de solâ naturâ verificari, quod communicatur, aut concipit ex parte subiecti huius suæ assertionis solam naturam, aut totam entitatem Patris? si solam naturam. Ergo eam à Paternitate præscindit ipso actu, quo intendit eius præcisionem negare. Si totam entitatem Patris: ergo imprimis errorem profert; erroneum namque est asserere, quod de totâ entitate Patris verificatur communicari. Deinde cùm dicat simul non verificari id de Paternitate pariter ponens ex parte subiecti huius dicti eamdem totam entitatem Patris, nequit non affirmare simul duo contradictoria, nempe de totâ entitate Patris verificari, & non verificari, quod communicatur. Quod si respondeat in eâ itidem suâ assertione quâ affirmat de solâ naturâ verificari, quod communicatur, subiectum prædicationis esse quidem totam entitatem Patris; verificationis verò solam naturam, ob idque illam nihil erroris continere; sicut neque aliam, quâ directè asseritur iuxta fidem naturam communicari. Contra est; quia quidquid sit modo de verificatione nequit non esse erroneum asserere, quod de totâ entitate Patris verificatur communicari, quibuslibet verbis asseratur. 258

Vnde sumitur tertia impugnatio præcipuæ solutionis, contra quam agimus. Qui interius iudicaret totam entitatem Patris communicari, apertè erraret contra fidem, veréque vt errans damnaretur, si id ipsum verbis affirmaret; quantumuis prætexeret suum iudicium, & assertionem de solâ naturâ verificari. Sed, qui interiùs iudicat obiectum illius propositionis: *Natura communicatur*, totam entitatem Patris communicari iudicat, iuxtâ præfatam 259

solutionem

solutionem, & idem ipsum verbis affirmat: ergo etsi addat iudicium suum, externamque affirmationem de solâ naturâ verificari; verè nihilominus errat in fide. Cùm tamen propositionem de fide iudicet, & affirmet. Quod est implicatorium.

260 Tandem si hæc propositio vera est: *Natura communicatur*, quantumuis subiectum prædicationis sit tota entitas Patris, quia prædicatum non de toto subiecto, sed de naturâ solâ verificatur. Igitur hæc quoque *Paternitas communicatur*, vera erit, quandoquidem idem ac prima habet subiectum prædicationis, idemque pariter subiectum verificationis dici potest habere. Quid enim interest ad rem poni ex parte subiecti vocem *Paternitas*, aut vocem *Natura*, quando idem omnino est conceptus obiectiuus per vtramque vocem significatus? Ast secunda propositio vera dici non potest, cùm sit hæretica: ergo nec prima, cùm sit de fide. Vel si prima, etiam secunda dicenda est vera. Quorum vtrumque absurdũ ipsi fidei aduersum est. Respondet Ouied. *n.* 52. In omni propositione prædicatum debere verificari de subiecto formaliter cognito tam ex parte obiecti, quàm ex parte actus: quo pacto de Paternitate verificari nequit, quòd cõmunicatur, & ideo falsa est propositio secunda. Sed male primò, quia prædicata merè realia quale est id, de quo modò agimus, non conueniũt subiectis formaliter, & reduplicatiuè prout cognitis, sed secundum se, & specificatiuè, vt aiunt, consideratis quoad id, quod habent à parte rei, vt est notissimum: alioquin cessante cognitione non conuenirent quod est absurdum. Quapropter ad eorum verificationẽ impertinens est, quòd subiecta per hãc potiùs, quàm per aliam cognitionem apprehendantur, dummodo conceptus obiectiui apprehensi semper sint idem, vti euenit in proposito, cùm concedatur, cõceptum obiectiuum vtriusq; illius propositionis, vt adæquatè conditinctum à cognitionibus, & vocibus idem omninò esse. Secundò, si per cognitionem respondentem voci *Naturæ*, idem omninò concipitur ex parte obiecti, ac per cognitionem respondentem voci *Paternitas*, idemq; ipsum per voces ipsas significatur. Igitur per neutram earum cognoscitur, aut significatur formaliùs, quàm per alteram id, quod in Patre est proprium Patris, aut id, quod in Patre est commune aliis personis. Sed per vtramque tota entitas Patris significata, & cognita æquè formaliter, aut æquè non formaliter significatur, & cognoscitur. Nullus ergo superest prætextus ad defendendum, suppositâ doctrinâ, quam impugnamus, secundam dictarum propositionum falsam esse, si prima est vera, aut primam veram esse, si secunda est falsa; cùm tamen prima de fide, secunda autem hæretica sit.

261 Stet ergo firmum circa mysterium Trinitatis, atque adeo etiam Incarnationis omnino esse nostro intellectui pro hoc statu necessarium obiectiuè præscindere, vt veritates catholicas ad talia mysteria spectantes possimus credere, & profiteri. Cui veritati tandem ad extremum annuit Ouied. *n.* 53. suis euasionibus non satis fidens. Annuentque, vt reor, quotquot nostra argumenta sincero studio veritatis perpenderint.

262 Aduertendum tamen est ad extremum per argumenta facta mutuam præcisionem obiectiuam probari inter essentiam diuinam, & relationes, de quâ dumtaxat est sermo in totâ *hac quæst.* Vtrum autem aliqua præcisio obiectiua non mutua possibilis sit, qualem nonnulli imaginantur, in conceptibus transcendentibus *quæstion. sequent.* examinabitur.

## *Propositio 2.*

Vbicumque inter diuinas formalitates distinctionem virtualem in ordine ad prædicata contradictoria necessarium fuerit admittere; ibidem inter easdem præcisio obiectiua ab intellectu nostro oriunda necessariò admittenda est. 263

Quoniam nos non possumus ea prædicata contradictoria de talibus formalitatibus enunciare, nisi illas præcisas ex parte obiecti apprehendamus, vt probant omnia argumenta facta pro primâ propositione, quæ huic pariter sunt applicanda. Quam gratia vniuersalitatis adiicio, vt sciatur non solùm circa mysteria Trinitatis, & Incarnationis esse nobis necessariam omnino præcisionem obiectiuam formalitatum, sed etiam circa mysterium libertatis diuinæ (& si quid aliud est huiusmodi) vbi necessariò debere etiam admitti distinctionem virtualem inter actus Dei tum intellectionis, tum volitionis *suo loco* probandum est.

## *Propositio 3.*

Præscindere nos obiectiuè in diuinis non solum relationes ab essentiâ, & ab attributis communibus; sed etiam attributa communia tum ab essentia ipsa, tum inter se, argumenta alia theologica in vniuersum persuadent. 264

Primum desumi potest ex illo Pauli 1. *ad Corint.* 13. *Videmus nunc per speculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem. Nunc cognosco ex parte, tunc autem cognoscam, sicut & cognitus sum.* Cùm enim Paulus cõparans notitiam, quam de Deo habemus pro hoc statu, cum ea, quam in patriâ habebimus, dicat non solum cognoscere nos ipsum *per speculum*, scilicet creaturarum, & *in ænigmate*, puta phantasmatum sensibilium, iuxta dicta à nobis suprà *disp.* 2. *q.* 3. sed etiam *ex parte*, cognituros postea illum *facie ad faciem*, id est, intuitiuè, & sicut cogniti sumus ab ipso, plena nimirum, & adæquatâ cognitione totius essentiæ, seu substantiæ, vt exponũt Ambros. Theoph. Theodoret. Anselm. S. Thom. & alij ad hunc locum communiter. Cùm, inquam, dicat Apostolus modò nos *ex parte* cognoscere; planè videtur significare nos cognitione nostrâ obiectiuè partiri Deum cognoscentes de Deo ipso aliquid, & aliquid non cognoscentes atq; adeò præscindẽtes ex parte obiecti. Id enim est propriissimè cognoscere Deũ *ex parte.*

Secundum argumentum desumendum est nobis ab auctoritate Concilij Florentini ponentis expressè distinctionem rationis inter Personam, & essentiam diuinam. Et omnium communiter Patrũ ponentium illam tum inter essentiam, & relationes, tum inter attributa communia iam inter se, iam cum essentia cõparata; vti ipsis citatis ostendimus *q. præc.* Etenim Conciliũ, & Patres indubitate censendi sunt loqui de distinctione rationis, quæ verè, & propriè in suo genere talis sit, & ratione cuius perfectiones diuinæ verè, & propriè dici possint per rationem distingui. Sed talis distinctio rationis absque præcisione obiectiuâ diuinarum perfectionũ constare nequit. Igitur Concilium, & Patres docentes perfectiones diuinas per rationem nostrã distingui, eo ipso docent eas ex parte obiecti per rationem nostram præscindi. Maior est certa; consequẽtia legitima. Probo minorem. Ea dumtaxat dici possunt verè, & propriè distingui, quorum vnum non est alterũ, quâ ratione ab eo distinctum est: quandoquidẽ distingui verè, & propriè vnum ab altero, & vnum non esse alterũ aut formaliter, aut consequẽter in idem recidunt, vti fatentur 265

omnes. Ergo ea dumtaxat verè,& propriè dici poſſunt per rationem diſtingui;quorum vnum non eſt alterum per rationem. Eſt certum. Sed vnum non eſſe alterum per rationem nihil aliud eſſe poteſt, vt ſtatim oſtendam, quàm vnum non eſſe alterum, prout ſunt in mente concipientis illa,ſeu,quod idem eſt,quàm vnum non apparere alterum concipienti, ſiue, quàm ea concipienti apparere plura, quod ipſum eſt ex parte obiecti apparere diſtincta. Ergo ea dumtaxat verè,& propriè dici poſſunt per rationem diſtingui, quæ ex parte obiecti concipienti apparent diſtincta, ſiue plura. Aſt hoc in perfectionibus diuinis abſque præciſione obiectiuâ earum nullatenus conſtare poteſt. Ergo.Probo hanc minorem, quia perfectiones diuinæ non apparent nobis plura ex parte obiecti, quaſi plures Dij adæquatè inter ſe diſtincti, vt ſatis ex ſe eſt notum, ampliuſque poſtmodùm oſtendetur;ſed quaſi plures partes eiuſdē Dei,quod ipſum eſt eſſe eas per noſtrā rationē formalitates eiuſdē entis præcilas ex parte obiecti.

266 Dicent non præſcindentes, ad diſtinctionem rationis veram, & propriam neceſſarium non eſſe, quòd plura appareant ex parte obiecti;ſed ſufficere, quod idem obiectum pluribus cognitionibus,iiſque diuerſis attingatur. Sic enim fiet,vt illud prout cognitum per vnam cognitionem reduplicatiuè à ſe prout cognito per aliam diſtingui per rationem dicatur. Sed contrà primò, quia ex eo præciſè, quòd aliquid per plures cognitiones tangatur, dici nō poteſt, niſi perperam, & abuſiuè diſtingui per rationem; alioquin dum Deus pluribus cognitionibus idem obiectum tangit,nempe in ſe,& in alio,in hoc medio,& in illo,conditionatè,& abſolutè &c.vt docent Theologi communiter in materiâ de ſcientiâ Dei, tot modis diceretur illud per rationem diſtinguere. Nos etiam dum eamdem prorſus formalitatem e. g. ſapientiæ, exiſtentiæ,aut potentiæ Dei per apprehenſionem ſimul,& iudicium,aut per iudicium naturale,& ſimul per aliud ſupernaturale fidei attingimus, illam diceremur per rationem à ſe ipsâ diſtinguere.Duo etiam homines ſimul eamdem rem cognoſcentes tum intellectione internâ, tum externâ oculorum ſenſione, per rationem, & per oculos dicentur illam diſtinguere. Quæ omnia abſurda ſunt prorſus aliena à communi omnium conceptione,etiam Aduerſariorum.

267 Contrà Secundò. Quia ex eo,quòd aliquid plures denominationes ſiue intrinſecas, ſiue extrinſecas à pluribus formis accipiat,nullatenus dicitur diſtingui in ſe ipſo per tales formas. Quis enim,vel ſomniauit dicere,hominem per omnes amores,quorum eſt obiectum,& per omnes relationes,quarū eſt terminus, aut etiam per omnia accidentia,quorū eſt ſubiectū, diſtingui,quo ſēſu de diſtinctione loquimur in præſenti? Ergo ex eo,quod aliquid plures terminet cognitiones, pluresve denominationes cogniti ab illis recipiat, neutiquā dici poteſt per tales cognitiones diſtingui. Contra tertiò:quia eiuſdem à ſeipſo nulla eſt poſſibilis diſtinctio adhuc per rationē, vt ſatis conſtat ex dictis,*q. præced.* eo,quod omnis diſtinctio vera,& propria pluralitatem extremorū poſtulat ex conceptu ſuo:ergo idē à ſe ipſo per plures cognitiones,quas terminat,nequit diſtingui. Quanquā enim in quantum cognitum per vnam,& aliam quandam importare videatur pluralitatē;ſed tamen hæc pluralitas cognitionum dumtaxat eſt,à quā ne extrinſecè quidē obiectū ipſum plura in ſe fit, niſi cognitiones ſint tales, vt per illas plura in ſe appareat cognoſcenti,prout nos exigimus ad veram diſtinctionem rationis. Cōtra quartò:quia vt ea,quæ realiter plura ſunt,per rationem adunentur,ſiue fiant vnum, non ſatis eſt,quod illa vt cumque per vnicam cognitionem tangantur(alioquin intellectus diuinus,& quilibet alius diſtinctè per vnam cognitionem cognoſcens plura,vt plura,illa adunare diceretur,& facere vniuerſale vi talis cognitionis, idque non ſolùm ex ſimilibus,ſed ex omnino diſſimilibus particularibus ita cognitis.Quod eſt abſurdū)ſed inſuper requiritur,quod cognitio ſit talis,vt vi eius ea plura ex parte obiecti appareant vnum. Ergo vice versâ, vt id, quod realiter eſt vnum,per rationem diſtinguatur,& conſequenter per rationem ſit plura, non ſatis eſt, quòd illud vtcumq; per plures cognitiones tāgatur, ſed inſuper requiritur, quòd tales cognitiones ſint, vt illud ipsū vi earū ex parte obiecti appareat plura.

268 Dicent fors alij:debere quidē plura ex parte obiecti apparere ea,quæ per rationē diſtingui verè,& proprie dicūtur:idque euenire in attributis, ſeu perfectionibus diuinis Sed nihilominus eas ex parte obiecti non præſcindi,quia in conceptu cuiuſq; earum integrè attingitur totus Deus. Sed cōtra primò,quia iam hoc eſt deſerere ſententiā non præſcindentium, qui ſemper negant diſtinctionem rationis ſe habere ex parte obiecti, eamq; dumtaxat ponunt ex parte intellectus,vt videre eſt in Hurt.& aliis ſuæ opinionis ſuprà citatis. Contra ſecundo,quia perfectiones diuinæ,vt dicebā,nō ita apparent plura ex parte obiecti,vt quæl.bet videatur nobis eſſe integer quidam Deus,ſed ita apparent plura,vt videantur componere vnicum Deum verum. Et ideo, qui cognitā ſapientiâ Dei,non cognoſcit iuſtitiā,nō dicitur cognoſcere vnum Deum,& alium Deum apparentem tunc non cognoſcere;ſed potiùs aliquid veri Dei cognoſcere,& aliquid eiuſdē nō cognoſcere. Tum,qui plura diuina attributa ſimul habet cōcepta vt plura nō plures Deos apparentes,ſed plures eiuſdē veri Dei perfectiones dicitur habere conceptas. Quod adeo communi omnium conceptioni inſitū eſt, vt ſi quis aſſereret,dum concipimus ſapientiā,iuſtitiam,omnipotentiā,& cætera Dei attributa,nos non concipere plures eiuſdem Dei perfectiones; ſed plures Deos adæquatos,vel Deum multiplicatum in plures: riſu profecto,ac ſibilo ab omnibus tale aſſertum excipieretur. Quæ omnia ex dicendis in *ſeqq.* pleniùs conſtabunt. Igitur perfectiones diuinæ per noſtrā rationem non vt entia adæquata,ſed vt partes eiuſdem entis inter ſe diſſectæ multiplicantur ex parte obiecti,quod eſt ex parte obiecti à reliquis vnāquamque præſcindi. Ecce cur Nominales citati *ſupra q.* 8. præciſiones obiectiuas negantes etiā diſtinctionem rationis inter attributa diuina abſolutè nēgarunt,vt fertur. In quo quidē cōſequentiùs,quā Recentiores; tametſi apertiùs refragantes Patribus procellerunt.

269 Stat itaq; diſtinctionē rationis verā,& propriam, quam Patres attribuūt attributis,ſeu perfectionibus diuinis,ſine pluralitate ex parte obiecti,atq; adeo ſine præciſione obiectiuâ cōſtare nō poſſe. Quod confirmatur primò:quia,vt vidimus dicta *q.* 8. læpe dicūt Patres nomina,quę dicuntur de Deo,diuerſa habere ſignificata,quod falsū eſſet ni ex parte obiecti haberent pluralitatē ea,quę talia nomina ſignificāt,prout à nobis concipiuntur in Deo,eo,quòd nomina conceptus noſtros obiectiuos ſignificant ex ſuâ directâ impoſitione;non verò formales,vt conſtat.

270 Confirmatur Secūdò, quia ſæpe etiam dicunt Patres,vt ibidem notabimus,in Deo plura eſſe;ea tamē plura eſſe vnum. Sæpiſſimè etiā dicunt nomina, quæ Deo attribuūtur,nō eius eſſentiā;ſed quę circa eſſentiam ſunt,ſiue, quę in ipsâ inſpiciuntur,ſignificare. Quæ loquutiones manifeſtè ſupponunt pluralitatem attribu

attributorum diuinorum ex parte obiecti se habere secundum nostrum modum concipiendi, vt satis apparet.

271 Confirmatur tertiò ex S. Basil. *in particulari lib. 1. contra Eunom. circa medium*, vbi cùm dixisset de attributis diuinis: *hæc cum mente diuidantur*, expresse ponit paulò post hanc diuisionem rationis ex parte obiecti dicens. *Incorruptibilem, ac ingenitum Deum dicimus diuerso mentis obiectu his nominibus appellantes.* Idem sibi vult Cyril. Alex. dum ait attributa modo accidentium à nobis intelligi, verbis relatis à nobis *loco citato*. Accedat S. Thom. disertè exprimens, & latè explicans sententiam nostram *in 1. distinct. 2. quæst. 1. art. 3.* dicit enim *in corp. initio. Respondeo dicendum, quòd sicut suprà dictum est sapientia, & bonitas, & omnia eiusmodi sunt omnino vnum re in Deo, sed differunt ratione. Et hæc ratio non est tantùm ex parte ipsius ratiocinantis, sed ex proprietate ipsius rei.* Statimque §. *Quantum ad primum* dicit; *Quod ratio, prout hic sumitur, nihil est aliud, quàm id, quod apprehendit intellectus.* Vnde patet S Thom. *per rationem* conceptum obiectiuum significare. Quo posito. §. *Quantum verò ad quartum.* Cùm dixisset intellectum nostrum non posse Deum vnà conceptione intelligere, prosequitur. *Et ideo oportet, quòd diuersas conceptiones de Deo habeat, quæ sunt diuersæ rationes, & quod diuersa nomina imponat significantia rationes illas, vnde nomina illa non sunt synonima, in quantum significant rationes diuersas.* Et paulo infrà. *Vnde patet, quòd pluralitas istarum rationum non tantùm est ex parte intellectus nostri; sed etiam ex parte ipsius Dei.* Nec dici potest obiectiuam eiusmodi rationum plulitatem penes plura connotata extrinseca, ad quorum singula totus Deus integrè, & indiuisim comparatur pensari à S.Th. vti solent non præscindentes philosopharì, quandoquidem ipse *art. 2.* eiusdem quæstionis ita scriptum reliquerat. *Quidam autem dicunt, quod ista attributa non differunt nisi penes connotata in creaturis, quod non potest esse*, &c. Lege insuper S.Thom. *1.p. q. 14. art. 14.* vbi eamdem exprimit doctrinam.

272 Tertium argumentum potest desumi ex alio Patrum testimonio asserentium relationes personales in Deo ex conceptu suo modos esse diuinæ substantiæ, vt vidimus *q. 8. sæpe citata*. Nequirent enim vllatenus concipi relationes vt modi substantiæ diuinæ, nisi ex parte obiecti ab ipsâ substantiâ præcisæ, distinctæque conciperentur; siquidem de ratione modi est distingui à re, cuius est modus, eâ ratione, quâ est modus eius, vti fatentur omnes.

273 Quartum argumentum capi potest ex vniformi Patrum, atque Theologorum sententiâ, asserentium cum S.Thom. *1. part. quæst. 13. art. 4.* nomina attributorum, quæ prædicantur de Deo, non esse synonima. Hoc namque planè falsum esset, si ex parte obiecti attributa ipsa non essent conceptus diuersi, quia nomina synonima sunt, quæ eumdem prorsus conceptum obiectiuum significant, vt *indumentum*, & *vestis*. Vnde quò non sint synonima, conceptus obiectiuos diuersos debent nomina necessariò significare. Dici enim non potest, sat esse, quod cognitiones sint diuersæ, nam si conceptus obiectiuus, ad quem significandum nomina imponuntur, prorsus est idem, ea vtique non possunt non esse synonima, quia aliud non est nomina esse synonima, quàm ea significare idem. Et quidem, si ad tollendam synonimiam diuersitas cognitionum eiusdem obiecti sufficeret, nulla essent nomina synonima, quod est absurdum; quia nulla sunt nomina, quorum obiectum non possit per diuersas cognitiones cognosci diuersis ipsis vocibus respondentes.

Nec rursus valebit dicere ad tollendam synonimiam nominum sufficere, quod ita ea significent idem, vt illud significent respectiuè ad connotata diuersa: nam licet solutio hæc admittatur vbi respectu diuersorum nominum Dei diuersa connotata assignari possunt; ast, quia sunt plura citra omne dubium non synonima, quorum significata, aut non habent connotata diuersa, aut maiorem postulant obiectiuam diuersitatem, quam extrinsecam connotatorum, vt patet in nominibus proprietatum Dei personalium, & essentiæ, attributorumque communium, quorum significata, pluspuam per connotata diuersa debent ex parte obiecti distingui, prout monstrant argumenta, quæ adduximus *propos. 1.* necnon in nominibus intellectionis, & volitionis eiusdem obiecti, siue increati, siue creati; in nominibus intellectus, & intellectionis, in nominibus essentiæ, & existentiæ, & similibus, quorum obiecta diuersa connotata non habent. Idcirca dicta solutio insufficiens est. Addo eam admittendam non esse, nisi diuersa nomina Dei connotata ipsa diuersa indirectè saltem significent, quod rarò reperitur in illis. Alioquin si idem prorsus obiectiuum significatum habeant; quantumuis conceptum relatè ad connotata distincta per alia nomina significanda, non desinent vtique esse synonima, stante Aduersariorum sententiâ; quia eorum significatum adæquatum omnimodis manebit idem; vti hæc nomina *indumentum*, *vestis* non desinunt esse synonima, ex eo, quod ego eorum significatum comparem ad connotata diuersa dicendo, *hoc indumentum est Petri*: *hæc vestis empta est à Ioanne*, &c. 274

Quintum argumentum vrgentius præcedentibus est. Pro quo suppono certissimum esse apud omnes mysterium Trinitatis nullatenus posse ratione naturali effectibus creatis cognosci, vt cum S.Thom. *1. part. q. 32. art. 1.* docent omnes Theologi, quorum multi putant id esse de fide, aut certè valde fidei proximum, vt videre est apud Valent. *1. part. disput. 2. quæst. 6. punct. 1* Soar. *lib. 1. de Trinit. cap. 11.* Ruiz *tom. de Trinit. disput. 41. sect. 3.* & alios. Deinde non minus certum, nec minus consentaneum est fidei posse ratione naturali ex eisdem effectibus perueniri ad notitiam Dei etiam demonstratiuam, vti *suo loco* ex scripturâ, & Patribus monstrandum est. Quocirca multi censent Aristot. & alios Ethnicos Philosophos euidenter fuisse assequutos naturali discursu vnam Deitatem, à quâ cætera cuncta promanant, tanquam à causâ primâ. Quibus suppositis ita argumentum formo. Deus cognoscitur à Philosopho perspicuâ cognitione, vt causa prima aliorum omnium productiua, & non cognoscitur Trinitatis personarum vllomodo. Ergo essentia, & aliqua attributa Dei præscinduntur ex parte obiecti eâ cognitione. Patet consequentia; quia cognoscitur Deitas, ignotis personalitatibus, quarum quælibet est idem realiter cum Deitate. 275

Respondet Hurt. *disp. 5. citata sect. 10. § 130.* Trinitatem quidem attingi illo actu naturali immediatè quia est idem cum naturâ diuinâ, tamen quia actus ille oritur ex cognitione creaturarum, ex quibus non arguitur Trinitas, hinc fit, vt Philosophus non possit diiudicare, sit ne trinum illud obiectum. Egregia petitio principii. Ergo contendo ex cognitione creaturarum arguendam esse Trinitatem æquè ac Deitatem. Quod ita probo. Arguitur Dei- 276

tas, sed eâdem claritate, ac Deitas, attingitur Trinitas: Ergo & arguitur Trinitas ex cognitione creaturarum. Quia argui aliquid ex cognitione alterius nihil aliud est, quam ex illo per discursum cognosci. Clariùs. Impossibile est cognosci Deitatem, quin eodem actu, eâdem claritate, eodemque modo cognoscatur Trinitas, iuxta doctrinam tuam, alioquin per talem actum obiectiuè præscinderetur Deitas à Trinitate, quod censes repugnare. Ergo impossibile est, quod intellectus noster inductus per creaturarum cognitionem veniat in notitiam Deitatis, quin pariter veniat in notitiam Trinitatis; quod est impossibile esse, vt ex creaturis inferatur, siue arguatur Deitas, quin itidem inferatur, siue arguatur Trinitas.

277 Respondet Ouiedo *contr. 4. cit. punct. 8. n. 44.* & 45. Philosophum naturalem eadem cognitione, quâ attingit Deum vt vnũ, necessariò attingere etiam Trinitatẽ personarum, siue Deum vt trinum; non tamen per conceptum respondentem his, vocibus, *Deus est trinus*; sed per alium confusiorem respondentem his *Deus est vnus*, ex vi cuius Deus trinus, & verus ab alio non trino, si esset, aut, qui fingi potest, non discernitur, sicut discernitur per priorem, sed cum eo, confunditur. Quę, inquit, diuersitas conceptuum non est formaliter, & directè in obiecto primario cognito, sed formaliter in ipsis cognitionibus, & obiectiuè in mediis, quibus obiectum directum cognoscitur. Quia quando formatur conceptus respondens his vocibus. *Deus est vnus*, cognoscitur obiectum per connotata distincta ab illis, quibus cognosceretur idem obiectum per conceptum correspondentem his vocibus *Deus est trinus*, *& vnus*: verba sunt eius.

278 Tria hic inuoluuntur, ad quæ se solent recipere non præscindentes, vt nostra soluant argumenta, nempe diuersitas conceptuum, seu cognitionum, diuersitas mediorum, & diuersitas connotatorum. Incipio ab hoc postremo. Nullum est excogitabile connotatum extrinsecum, quo solo ignoto, dici possit Trinitas ignorari, si tota Dei substantia intrinseca absque vllâ præcisione cognoscitur, vti in Aduersariorum sententiâ dicitur ignorari iustitia Dei ab eo, qui opera iustitiæ externa ignorat, etsi cognoscat totam Dei substantiam intrinsecam: igitur effugium diuersorum connotatorum nullum hic habet locum. Clariùs. Philosophus cognoscens solo lumine naturę Deitatem, non ideo Trinitatem ignorat, quia ignorat aliquod connotatum realiter distinctum à Deo, quod Christianus eiusdem Trinitatis gnarus cognoscit, vt est notissimum: ergo quia ignorat aliquid cum Deitate identificatum, à quo subinde illam suâ cognitione præscindit. Rursus cùm Deus Christianis suam Trinitatem reuelauit, non quidem extrinsecum aliquod suæ Deitatis connotatum ignotum antea reuelauit, sed perfectionem omnimodè intrinsecam sibi, cum ipsâque Deitate identificatam, vt est certissimum. Ergo Ethnicus, siue Iudæus aut ignorans, aut non assentiens veritati reuelatæ Christianis, id ignorat, aut non assentit, quod est identificatum Deitati, quam tamen simul pleno nescit assensu; atque adeo præcindit. Confirmatur. Nam si quis persuaderet Aristoteli eam omnium causarum primam, quam ipse agnoscebat, constare tribus personis cum vnâ essentiâ identificatis, nihil à tali primâ causâ distinctum, ab eoque ignotum ipsi notificaret, sed veritatem omnino indistinctã, ab illa, quam veritatem, cùm Aristoteles, causam primam cognoscendo, ignorabat vtique præscindebat.

279 Dicet aliquis fortasse negationem identitatis, à qua personæ diuinæ habent formaliter distingui, & quæ conceptus est negatiuus à parte rei distinctus à Deo, esse peculiare connotatum, ex cuius ignorantiâ præcisè nascitur, quod Ethnicus euidenter cognoscens Deum ignoret Trinitatem. Contra tamen est primò. Quia negatio identitatis, qua quoduis extremum ab alio distinctum dicitur non esse illud, nihil est à parte rei reale adhuc negatiuum præter extrema ipsa, quæ distingui dicuntur, vt doctrinâ à nobis datâ *disput. præced. quæst. 3.* satis constat, quod certius adhuc est de negatione identitatis, quâ vna persona diuina dicitur non esse alia. Ex quo patet eiusmodi negationem non posse esse connotatum reale distinctum à Deo, à cuius ignoratione dicatur Trinitas ignorari. Sed esto sit talis negatio conceptus verus à Deo distinctus. Contra secundò. Quia si Ethnicus totam Dei substantiam positiuam absque obiectiuâ præcisione cognosceret, sufficientem notitiam haberet de Trinitate, etsi non cognosceret talem negationem, quia clarè cognosceret distinctionem positiuam, quam habent inter se diuinæ personæ per suos conceptus positiuos, quâ cognitâ præcisè cognosceret esse eas tres personas, vti reuerâ sunt per se ipsas antecedenter ad dictam negationem. Contra tertiò. Quia, qui cognoscit clarè dictam distinctionem positiuam extremorum, confestim per euidentem discursum venit in cognitionẽ negationis identitatis talium extremorum, eoquòd ipsa extrema essentialiter connexa sunt cum tali negatione, dato, quod hæc ab illis distincta sit: ergo si Ethnicus clarè cognosceret totam substantiam Dei positiuam, confestim etiam deueniret in cognitionem prędictæ, negationis. Quo nihil deesset vt diceretur Trinitatem cognoscere. Vrgetur hoc; quia Ethnicus iudicans euidenter omnem veritatem positiuam identificatam cum Deo, vti iudicat, si non præscindit, iudicando Deitatem; eo ipso iudicat personas diuinas cum negatione prædictâ identitatis necessariò connexas esse per suos conceptus positiuos: tali autem iudicatâ connexione, euidenter inferre potest dari terminum eius, nimirùm dictam negationem. Quia ex quâuis connexione iudicatâ euidenter, statim intellectus noster mouetur ad iudicandum pariter terminum eius, vt apud omnes est certissimum. Quod est posse cognoscere Ethnicum Trinitatem etiam, quoad dictum connotatum contra suppositionem. Contra quartò. Quia per reuelationem de Trinitate, non ea sola negatio notificatur, sed multæ veritates positiuæ Dei, quas Ethnicus citra dubium ignorat, dum clarè cognoscit Deitatem, vt Deum esse Patrem, Filium, & Spiritum sanctum, in Deo esse aliquid producens, & aliquid productum, &c. Ex quibus liquet in præsenti (quemadmodum, & in aliis plurimis casibus) connotatorum asylum nihil prodesse.

280 Venio ad aliud de diuersitate mediorum, & arguo sic. Aut per medium naturale creaturarum scitur æquè euidenter à Philosopho Deum esse trinum, ac esse vnum; aut non? Primum dici non potest, iuxta principia suppositа pro præsenti argumento. Secundum sine obiectiuâ præcisione est prorsus impossibile, vt patet. Ergo. Dicis per medium naturale creaturarum sciri euidenter à Philopho Deum esse vnum conceptu respondente his, verbis, *Deus est vnus*, non verò conceptu respondente his, *Deus est trinus*, prout oportebat, vt diceretur pariter sciri ab illo Deum esse trinum. Contra tamen sic. Aut loqueris de conceptibus obiectiuis, aut de formalibus, qui sunt ipsi actus intellectus: de obiectiuis loqui non potes. Quia si præcisio obiectiua

iectiua est impossibilis cognitioni, etiam erit significationi vocum, vt arguebam in simili *propos.* 1. proindeque dictis duabus propositionibus idem omninò respondebit conceptus obiectiuus. Si autem loqueris de formalibus, dato, quod sint diuersi, qui per diuersa media habentur, quid id interest ad rem? cùm probet argumentum factum non posse Ethnicum per conceptum formalem, seu cognitionem, quæcunque ea sit, quam habet de Deo vt vno, eodem modo cognoscere Deum vt trinum, si non præscindit obiectiuè; quod est absurdum; vt amplius vrgebo paulò post.

281 Nec dici potest media diuersa, quibus Ethnicus, & Christianus cognoscunt Deum, ille vt vnum, hic vt trinum, diuersorum connotatorum vicem habere, à quorum notitiâ, vel ignorantiâ præcisè nascitur, quod Deus vt vnus, vel vt trinus dicatur ignorari, aut cognosci. Hoc, inquam, dici nequit: primò, quia media, per quæ obiectum cognoscitur, obiecti connotata non sunt, sed motiua, quæ prius cognita mouent, inducuntque intellectum ad tale obiectum cognoscendum quoad veritatem, quam ipsum habet in se. Ita enim per reuelationem de Antichristo futuro mouemur ad cognoscendam existentiam, quam Antichristus habebit in se absolutè, & independenter à tali reuelatione. Secundò, esto habeant media, vel non habeant connotatorum munus, ad rem, de quâ agimus, id nihil interest. Quia Ethnicus cognoscens Deum vt vnum, non ideo præcisè Trinitatem ignorat, quia non cognoscit reuelationem de Trinitate; sed quia non cognoscit Trinitatem ipsam. Alioquin si independenter à reuelationis notitiâ, ipsius reuelationis obiectum cognosceret, tali notitiâ accedente nihil in Deo cognosceret nouum, quod antea non noscebat, sed idem per diuersam viam: Ergo ante reuelationem eamdem noscebat Trinitatem, quam post eam noscit. Vrgetur clariùs. Pone Ethnico cognoscenti cum euidentiâ Deum vt vnum reuelationem fieri de Trinitate. Inquiro, vel hic præter reuelationem, aliquid reuelatum cognoscit, quod antea antea non noscebat, vel nihil? si aliquid? ergo antè præscindebat ab illo. Si nihil? ergo quidquid modò per reuelationem cognoscit à reuelatione distinctum, antea cognoscebat per discursum. Dices post reuelationem nihil cognoscere Ethnicum ex parte obiecti reuelati, quod non antea: sed idem diuerso modo. Hoc est recidere in tertium effugium commemoratum de diuersitate cognitionum. Quod iam nunc sequitur præcludendum.

282 Dicunt itaque Aduersarij, Ethnicum per iudicium naturale, & Christianum per iudicium fidei idem omnino obiectum tangere, nimirum totum Deum, seu quidquid realiter est Deus. Cæterùm, quia iudicia ista ex modo tendendi diuersa sunt, aliterque proinde Ethnico, & aliter Christiano exprimunt Deum ipsum: inde fieri, vt licet Christianus per suum iudicium dicatur cognoscere, seu iudicare Trinitatem; Ethnicus tamen per suum solam Deitatem, non verò item Trinitatem cognoscere, seu iudicare dicatur. Quia videlicet Ethnicus per suum iudicium, etsi discernat Deum ab omni non Deo; nequit tamen illum discernere ab omni non trino; proindeque intellectus eius per illud, & suaderi, & rationem reddere de Deitate; non item de Trinitate potest. Quod ipsum est Ethnicum ex parte modi, siue ex parte actus, vt non præscindentes loquuntur; non verò ex parte obiecti præscindere Deitatem à Trinitate. Ex solutionem celebriorem, atque vniuersaliorem, quâ se putant Recentiores plerique non solùm argumentum præsens; sed & cætera, quæ in ipsos fiunt, aut etiam fieri possunt dissoluere. Quam verò facilè, & efficaciter ea refellatur attende.

Argumentor ita. Ethnicus suo qualicunque iudi- 283
cio attingit per te quidquid realiter est Deus: ergo cognoscit, iudicatve quidquid realiter est Deus; neque enim aliter, quam cognoscendo, seu iudicando attingit, vt constat: Ergo cognoscit, & iudicat Trinitatem, quia Deus realiter est Trinitas. Deinde per tale iudicium eodem modo attingit Ethnicus integrum Deum etiam per te (alioquin si vno modo Deitatem, & alio modo Trinitatem attingeret, vel præscinderet vtrouis eo modo obiectiuè; vel tua illa, quæ in nos cõtendis, cõtradictoria sequerentur; nempe eamdem realem entitatem simul attingi, & nó attingi quouis ex dictis modis.) Igitur eodé omnino modo, eádemq; subinde expressione, & euidentiâ, quâ Ethnicus suo iudicio iudicat, atque cognoscit Deitatem, iudicat etiam, atque cognoscit Trinitatem. Absurdum contra principia suprà statuta pro præsenti argumento. Aut aliter. Dum euidenter iudicat Ethnicus, ac suadetur de Deitate, vel iudicat pariter, suadeturque de Trinitate; vel secus? si dicas primum, incidis in idem absurdum. Si secundum, inde conficio, vel præscindere suo iudicio Ethnicum Deitatem à Trinitate obiectiuè, vt ego contendo; vel iudicare eum, suaderique, & simul nec iudicare, nec suaderi de eodem obiecto, vt tu arguis. Hoc apud omnes implicat: ergo illud est verum.

Dices Ethnicum quidem iudicare, suaderique de 284
Deitate, & non de Trinitate, id tamen non quia præscindit obiectiuè vnum ab alio; sed quia iudicat, suadetur de toto Deo iudicio discernente illum ab omni non Deo, & non discernente eumdem ab omni non trino. Hoc namque sonat iudicare Ethnicum, suaderique de Deitate, & non de Trinitate; non illud. Sed contra primò. Quia sæpe iudicat Ethnicus, aut iudicare potest de Deo aliquid iudicio non discernente illum ab omni non Deo; quippè iudicium discernens Deum ab omni non Deo aliud non est; quàm, quo iudicatur Deus omni non Deo dissimilis, ab omnive non Deo diuersus, vt satis est notum. Quis autem neget multa Ethnicum posse iudicare de Deo identificata cum ipso, quin iudicet esse illum dissimilem, diuersumve ab omni non Deo? Igitur iudicare Deitatem præ Trinitate nequit esse discernere Deum per iudicium ab omni non Deo, non discernendo ab omni non trino. Contra Secundò: quia Trinitas non est conceptus comparatiuus, qualis est discretio obiectiua, siue diuersitas Dei ab omni non trino. Plerumque enim iudicamus catholici Trinitatem absque vllâ omnino comparatione ad entia non trina, immemoresque prorsus eorum, aliudque subinde in nobis iudicium est, quo iudicamus esse Deum trinum, ab eo, quo iudicamus esse eum ab omni non trino diuersum. Igitur dum Ethnicus iudicans, siue cognoscens Deitatem, Trinitatem ignorat, neutiquam dici potest eam ignorare, quia non scit per tale iudicium an Deus diuersus sit ab omni non trino, sed quia non scit Trinitatem ipsam, quod est obiectiuè præscindere Deitatem à Trinitate. Contra tertiò: quia semel factâ comparatione inter Deum, & omne non trinum, vt ab Ethnico fieri potest; hoc ipsum, quod est non discernere extrema ista, seu non cognoscere diuersitatem, dissimilitudinemve eorum, cognitis ipsis quoquo modo, præscindere obiectiuè est; siquidem sententiâ communi, & etiam Aduersariorum,

diuersitas. dissimilitudóque extremorum conceptus est identificatus realiter cum ipsis extremis. Igitur neque per istud circumloquium circumscribitur ab intellectu Ethnici præcisio obiectiua. Vide ad rem infrà plura in simili à *numero* 302. In summa Ethnicus Deitate cognitâ Trinitatem ignorat, vt nemini fas est negare, iuxta supra dicta principia. Sed Trinitas non est aliquid adhuc inadæquatè extrinsecum Deo, sed prædicatum penitus Deo intrinsecum, cum ipsoque adæquatè identificatum, vt planè constat, tum ex dictis, tum ex terminis ipsis. Ergo Ethnicus Deitate cognitâ, aliquid ignorat indistinctum realiter ab ipsâ Deitate, atque adeo obiectiuè præscindit.

285 Iam vero quod Aduersarij addunt. Eam esse Ethnici cognitionem de Deo, vt licet possit ille rationem reddere de Deitate; de Trinitate tamen non possit; nouam quidem verborum phasim præ se fert, sed sine nouo nucleo. Quoniam reddere rationem de obiecto, vel sonat, obiectum iudicatum notificare aliis, vel sonat, signare fundamentum, siue motiuum, vnde in obiecti iudicium deuentum est? Si primum. Ex dictis constat, Ethnicum, nisi præscindat obiectiue, neutiquam posse reddere rationem de Deitate, quin possit itidem de Trinitate, quia non præscindendo obiectiuè, nullatenus potest iudicare, aut aliis significare Deitatem, quin iudicet, significetque eodem modo Trinitatem. Si secundum. Ex dictis etiam patet nullo fundamento posse Ethnici intellectum moueri citra obiectiuam præcisionem ad iudicandam Deitatem, quo pariter non moueatur ad iudicandam Trinitatem, nullamque subinde citra obiectiuam præcisionem posse illum rationem reddere de Deitate, quam pariter non possit reddere de Trinitate. Ex quibus omnibus, quæ iterum, atque iterum in sequentibus tangenda venient, facile apparet, quàm efficax pro sententiâ nostrâ sit argumentum factum. Pergo, sitque.

286 Sextum argumentum eidem affine: sublatis præcisionibus obiectiuis, impossibiles omnino fuissent omnes errores, qui in decursu Ecclesiæ extiterunt circa substantiam Dei. Ergo necessariò illæ sunt asserendæ. Consequentia est necessaria; quia negari nequit plures huiusmodi errores hactenus extitisse. Probo ergo antecedens. Quoniam Arius, e. g. qui Verbi consubstantialitatem, atque adeo identitatem eius cum Deitate negabat, firmiter credebat, aut etiam euidenter iudicabat alias veritates obiectiuas realiter à Deitate ipsâ indistinctas, vt Deum existere, esse sapientem, & esse bonum, &c. Ergo si obiectiuè non præscindebat, minimè poterat interius dissentire consubstantialitati Verbi, quam verbis externis negabat; quia hæc propositio, *Deus est bonus*, & hæc, *Deus est suum Verbum*, sublata præcisione obiectiuâ, idem omnino obiectum habent, proindeque impossibile est, vt Arius assentiens priori, vt citra dubium assentiebat, posteriori dissentiret, cùm sit impossibile assentire simul, & dissentire intellectum eidem obiecto, vt ex sententiâ omnium statuimus *suprà num.* 242. Quæ ad hoc argumentum responderi possunt, ex dictis circa præcedens facile reuincentur.

287 Argumentum septimum. Si præcisiones obiectiuæ sunt impossibiles, eâdem expressione reuelauit Deus Istraelitis mysterium Trinitatis, ac reuelauit alias veritates ad se pertinentes, quia reuelatio illa e. g. facta Moysi Exod. 3. *Ego sum, qui sum*, non potuit nisi præscindendo obiectiuè suâ significatione, & expressione, & non notificare Trinitatem æquè omninò clarè, & expressè, ac notificauit Dei existentiam reipsâ à Trinitate indistinctam, vt ex superiùs dictis constat. Ast dici nullâ ratione potest æquè expressè fuisse Istraelitis reuelatam Trinitatem, ac existentiam Dei, vt est certissimum iuxta ac notissimum, & tradunt Theologi in materiâ de Trinitate. De quo videri possunt Bellarm. *lib. 1. de Christo.* Valent. *in contron. de Trinit. libro 1.* Vasquez 1. *part. disputatione* 108. Ruiz *disput.* 36. & alij. Igitur neque dici potest præcisiones obiectiuas esse impossibiles.

Octauum argumentum accipi potest ex aliquibus loquutionibus, quas sanctè docent obseruandas Theologi circa Deum; quæ tamen sine obiectiuis præcisionibus non videntur posse locum habere. Huiusmodi sunt. *Deus voluntate vult, non intellectu. Intellectu intelligit, non voluntate. Deus in quantum vnus causat, non inquantum trinus. Vt omnipotens; non vt æternus*; & similes. Si enim idem omnino conceptus obiectiuus est voluntas, & intellectus diuinus, æque impossibile est nobis seriò enunciare. *Deus voluntate vult, non intellectu.* ac *Deus voluntate vult, non voluntate.* Neque in vllo sensu potest complexum primum magis verum esse, quàm secundum. Idemq; de cæteris exemplis iudicium esto. Adde, seclusâ præcisione obiectiua, intellectionem, Dei, aut volitionem dici non posse esse actum intelligendi, aut amandi ex suo conceptu, contra receptissimum modum loquendi Theologorum, quia talis non est ex suo conceptu voluntas, substãtia Dei, personalitates, &c. quorum quodlibet, seclusâ præcisione, idem omnino conceptus est intellectionis, & volitionis. Nec prodest hic ad diuersa connotata appellare intellectus, & voluntatis; tum quia intelligere, & velle non tribuuntur in dictis propositionibus connotatis extrinsecis adhuc partialiter; sed potentiis intelligendi, & volendi adæquatè intrinsecis Deo: tum maximè, quia non sunt hic connotata diuersa, quia intellectio, & volitio realiter sunt idem, & seclusis præcisionibus, etiam formaliter, obiectum autem aut Deus ipse, aut vna, & eadem creatura vtriusque actus esse potest. 288

Nonum denique argumentum sit: quia si non præscindimus obiectiuè, multæ quæstiones in Theologicâ grauissimæ, accuratissimèque disputatæ ab omnibus Theologis, prorsus nugatoriæ sunt ac ridiculæ, aut saltem penitus vacuæ omni ratione dubitandi. Exemplo sint. Prima. In quo consistat essentia metaphysica Dei, an in radice attributorum, an in eorum aggregato, an in actuali intellectione, &c? Secunda: an attributa sint proprietates essentiæ metaphysicæ. Tertia: an habeant aliquem ordinẽ prioris, & posterioris? Quarta: an sint æqualia in perfectione? Quinta: an in Deo detur intellectus, & voluntas per modum actus primi? Sexta: an Deus suam intellectionem per ipsammet, vel per reflexam aliam intelligat. Septima; an omnipotentia diuina consistat in actuali Dei volitione? Et sexcentæ aliæ huius generis. Etenim si essentia, & attributa Dei sunt vnicus & idem omnino conceptus obiectiuus, nugatio est quærere, in quo conceptu essentia consistat? Nugatio, an sint attributa proprietates essentiæ? ridiculum, an attributa ordinem habent, vel sint æqualia in perfectione, vt si id de eodem conceptu simplici quæreretur. Ridiculum, an in Deo detur intellectus per modum actus primi, quandoquidem, si asseratur, nulla formalitas obiectiua tribuitur Deo, ampliusque, si negetur; idemque euenit in cæteris. Adde, sublatis præcisionibus, euanidum prorsus, & nugatorium reddi modum communissimum, quem omnes habẽt philosophandi, tum in Deo, tum etiam in 289

in creaturis, dum iuxta diuersas formalitates diuersa prædicata rebus attribuunt. Vt cùm dicimus, Deus ex prædicato à se habet, quod sit æternus; non ex prædicato creatoris. Actus charitatis ex prædicato supernaturalis exigit supernaturale principium; non ex prædicato vitalis: gratia habitualis non ex prædicato qualitatis; sed ex prædicato talis habet, quod non possit cum mortali coniungi, &c. Quæ omnia absurda ne quis deuorare cogatur, præcisiones obiectiuas admittat necessarium est.

## *Propositio 4.*

Præscindere nos ex parte obiecti formaliter tam in creaturis, quàm in Deo, argumenta philosophica persuadent.

190 Quorum primum ab ipsâ petitur experientiâ in hunc modum, sæpe intellectus noster cognoscit aliquid de entitate aliquâ indiuiduâ, & aliquid ignorat eiusdem. Ergo præscindit in illâ obiectiuè vnam formalitatem ab aliâ. Consequentia est certa; Antecedens probari potest variis exemplis. Sæpe enim contingit, vt quis cernens à longè hominem, iudicet illum animal esse; quia videt in eo operationem aliquam animalis, vt motum progressiuum, aut quid huiusmodi; cùm tamen iudicare non possit vtrum sit homo, an brutum, quia nullam hominis, aut bruti proprietatem assequitur. Tum sæpè ignoramus virtutem talis, aut talis effectus productricem in rebus, quas alioquin noscimus esse talis, aut talis naturæ quoad alia prædicata; qui enim magnetem videbat antequam illa eius mirabilis virtus trahendi ferrum, & collimandi in polum detegeretur, bene noscebat esse lapidem, esse verò talis virtutis ne cogitabat quidem. Quot herbas, quot frutices, quot arbores passim offendimus, in quibus cùm cognoscamus planè esse plantas, esse viuentia, &c. nescimus prorsus esse productiuas, seu causatiuas plurium effectuũ, quorum aliqui iam notescunt medicis, multi adhuc latent eosdem. Igitur cùm esse rationale animal illud à longè visum; & plantam, aut lapidem compotem esse ad talem effectum causandum sit aliquid cum eis entitatibus identificatum, efficitur vt intellectus aliquid noscat in his rebus, ignoto alio identificato cum illo, quod est præscindere. Similiter sæpissimè euenit, vt homo aut ignarus, aut certè immemor omnino aliquarum Dei perfectionum; de aliis indentificatis cum illis iudicet, ratiocinetur, loquatur; Quod etiam est has ab illis tum mente, tum verbis præscindere.

191 Huic argumento respondent aliqui per cognitionæ illam, qua attingitur animal procul visum (& idem est de aliis exemplis) etiam attingi rationale; non tamen clarè, & explicitè vt animal, sed confusè, & implicitè. Verumtamen solutio hæc meritò ab aliis non præscindentibus repudiatur; vtpote ex quâ eadem, & eodem modo sequitur contradictio, quam ipsi improperant præscindentibus, nempe eamdem entitatem cognosci clarè, & simul non cognosci clarè. Etenim cognoscere animal clarè, & non cognoscere rationale clarè, sed confusè, manifestè est præscindere animal à rationali obiectiuè per eam cognitionis claritatem, si verba, vt absolutè sonant, sumantur.

192 Quare Petr. Hurt. *disput. 5. Met. §. 125.* & *disput. 6. §. 158.* Arria. *disputatione 5. Logicæ sect. 2.* Quied. *contr. 4. Met. punct. 8. num. 38.* & alij meliùs respondent per illam cognitionem attingi totam hominis entitatem relatam ad motum progressiuum, seu sensationem, sub quo respectu dicitur animal, non verò relatam ad discursum, sub quo respectu dicitur rationalis. Idem sibi vult Franc. Alph. *disput. 3. Logicæ sect. 3.* quamuis dicat cognosci per dictam cognitionem animal clarè, & rationale confusè; reducit enim totam confusionem in ignorantiam discursus, seu ratiocinationis, quæ est connotatum rationalis. Vnde in solo modo loquendi, eoque satis abusiuo, & improprio differt ab aliis.

Contrà hanc tamen solutionem est primò, quòd 193
hoc asylum connotatorum non semper adest ad similes effugiendas difficultates, vt ex dictis in superioribus constat, & dicendis ampliùs constabit. Vnde patet illud tutum non esse, suspectamque esse argumentorum solutionem illi subnixã, etiam si eâ specie tenus, & plausibilior sit & probabilior videatur.

Sed esto demus adesse vbique connotatorum asy- 194
lum, suppono pro casu præsenti cum sententiâ communi, quam plerique etiam tenent Aduersariorum, causas creatas transcendentaliter esse relatas ad suos effectus, siue cum illis vt possibilibus intrinsecè, & essentialiter esse connexas. Neque enim sententiæ oppositæ paucorum Recentiorum est alliganda doctrina non præscindentium, quando, etsi alligetur, nihil eis proderit, vt postmodum ostendam.

Deindè suppono, vt apud omnes certum, qui iu- 195
dicat de aliquo ente, quod scit existere, esse connexum essentialiter cum alio quopiam, siue id iudicet euidenter, siue probabiliter eo ipso posse induci ad iudicandum pariter terminum talis connexionis. Ob id enim, qui videt fumum existentem, inducitur ad iudicandum ibi esse ignem, quia iudicat fumum existere, & cum igne connexum esse, & in exemplo, quod versamus ob id, qui videt illam entitatem procul positam sentire, iudicat eam esse animal, seu principium sentiendi; quia iudicat sensionem illam, quam experitur existere, & necessariò connexam esse cum principio sentiendi; & vniuersè propterea in omni humano discursu, seu euidente, seu probabili, aut necessariò, aut pro discurrentis arbitrio iudicatur consequens, quia iudicatur esse antecedens, & illud esse connexum cum tali consequente, vt *suprà disput. 2. quæst. 5.* statutum est. Ex quo manifestè consequitur, qui iudicat de aliquâ entitate, quam scit existere, esse connexam intrinsecè cum aliquo ente vt possibili, eo ipso iudicare posse, tale ens possibile esse, quocumque iudicio iudicet illud seu euidenti, seu possibili. Est certum.

His positis retundo euidenter Aduersariorum so- 196
lutionem. In casu proposito, si iudicans illud ens procul visum esse animal, non præscindit obiectiuè, aut necessariò etiam iudicat, aut saltem potest iudicare pro arbitrio esse illud rationale, contra id, quod ex experientiâ supponimus. Ergo dicendum est præscindere. Consequentia est bona. Probo antecedens; quia, sublatâ præcisione obiectiuâ, iudicium de animalitate existente illius entis eminùs visi iudicium est de connexione existente, quam illud intrinsecè, & essentialiter habet cum ratiocinatione sibi possibili, iuxta suppositionem primam, tali autem iudicio posito in promptu est iudicare, seu necessario, seu pro libito ratiocinationem esse talem enti possibilem, iuxta suppositionem secundam, quo nihil desiderari potest neque ex parte recti, neque ex parte connotati, quominus iudicetur esse, tale ens rationale, siue principium ratiocinationis vt constat.

Dices: etsi cognoscens illud ens esse animal, co- 197
gnoscat pariter connexionem, quam illud habet cum ratiocinatione sibi possibili, non tamen ita expresè cognoscere connexionem istam, vt possit

quidpiam

quidpiam iudicare de termino eius ; neque enim omnis cognitio connexionis inducit ad cognoscendum terminum, vt patet in oculis, qui videndo colorem, vident connexionem, quam color habet cum Deo, quin possint vllo modo Deum ipsum attingere. Ignotâ autem ratiocinatione , quantumuis per illud iudicium dicta connexio cognoscatur , ignotum manere rationale defectu iudicij de connotato. Sed contrà primò ; quia vt constat ex certa doctrinâ ex omnium sententia statutâ in secundâ suppositione iudicium quoduis de connexione existente siue euidens, siue obscurum , & tantùm probabile sufficiens est ad inferendum terminum eius ( alioquin impossibile esset ex antecedente solùm probabili iudicare adhuc probabiliter consequens , omnisque subinde humanus discursus solùm probabilis cessaret, quod patet esse absurdum. In quo iudicium intellectuale de connexione à simplici eius apprehensione, qualis est visio corporea, manifestè discriminatur ) constat autem, qui iudicat illud ens eminùs visum esse animal , connexionem itidem existentem, quam ipsura habet cum ratiocinatione, eodem iudicio iudicare, si non præscindit obiectiuè. Contra secundò, quia non vtcumque, sed euidenter iudicat dictam connexionem, siquidem eodem omnino modo iudicat illam, atque animalitatem , si non præcindit : quis autem dicat iudicium euidens de connexione existente non sufficere ad inferendum terminum eius ? Contrà tertiò , quia si videns ens illud, fide humanâ aut diuinâ crederet esse ipsũ cum ratiocinatione sibi possibili connexum , citra dubium posset inferre inde esse illi ipsam ratiocinationem possibilem , vti ex quibusuis veritatibus fide creditis aliæ, cum quibus illæ connexæ creduntur, passim inferuntur à nobis. Sed longè euidentiùs, quàm per fidem iudicat dictam connexionem , si non præscindit. Ergo. Contra quartò ; quia æquè est euidens in casu posito esse illud ens animal, ac esse sensionem ab eo nascentem cum animalitate connexam : ergo seclusâ præcisione, æquè euidenter iudicatur connexio illius entis ab animalitate indistinctâ, ac iudicatur connexio cum sensatione identificatâ ; sed iudicium de connexione sensationis inducit iudicium euidens de termino eius , nempe de animalitate : ergo & iudicium de connexione illius entis aliud quoque euidens inducit de termino eius, nempe de ratiocinatione possibili. Mitto alia , quia hæc satis sunt in re comperta. Per quæ manifestè conuincitur in casu, quem versamus , euidenter iudicatum iri, seclusâ præcisione obiectiuâ , esse ens illud procul visum rationale , dum euidenter iudicatur esse animal , contra id , quod ex experientiâ supponitur : estò ad id sit necessarium iudicare ratiocinationem possibilem, quæ principij ratiocinandi extrinsecum connotatum est.

298 Addo tamen id necessarium minimè esse ; quia suppositâ doctrinâ , in quâ procedimus, de connexione causarum cum effectibus possibilibus, conceptus principij causatiui adæquatè est condistinctus ab effectu causabili , atque ita in proposito conceptus rationalis , siue principij ratiocinatiui à ratiocinatione possibili. Vnde si, vt Aduersarij fatentur , in casu nostro totum, quod rationale dicit in recto, iudicatur, ignotâ solùm ratiocinatione connotata , planè iudicatur totum, quod rationale dicit in suo conceptu , atque adeo nullomodo ignoratur esse ens illud rationale contra experientiam. Neque refert conceptum rationalis esse respectiuum ad ratiocinationem sibi extrinsecam. Inde enim aut sequitur contra Aduersarios illum non posse cognosci simul cum conceptu animalis , vti ipsi cognosci dicunt, non cognitâ ratiocinatione , prout dicunt etiam non cognosci. Aut certè ( quod ego veriſsimum puto ) sat est, quod ratiocinatio simpliciter apprehendatur , vt talis conceptus iudicetur, vti euenit quoties , iudicata relatione etiam connexionis , sistimus ibi , nec pergimus ad inferendum , seu iudicandum terminum. Quod etiam planè pugnat contra Aduersarios ; quia cum possimus pro libito simpliciter apprehendere ratiocinationem ipsi possibilem, quo nihil deerit, vt iudicet esse illud quoque rationale contra experientiam, si conceptum animalis à conceptu rationalis , quoad id, quod dicunt intrinsecè, non præscindit.

Hæc omnia dicta sunt factâ hypothesi , quod 299
causæ intrinsecè, & essentialiter sint connexæ cum suis effectibus possibilibus. Ne tamen Aduersarij nostra argumentatione pressi ab istâ hypothesi resiliant , sciant mutato casu ad aliam materiam , vbi similem connexionem negare nequeant , præclusum illis manere istud effugium. Posse autem mutari est certum , quia multa sunt connexa citra omne dubium cum suis connotatis, vbi idem argumentum effici potest , e. g. Posito , quòd vera sit sententia Theologorum communis affirmans actionem, qua in nobis de facto producitur gratia sanctificans , esse eductiuam , Scotistæ , qui id negant putantes creatiuam esse, dum iudicant talem actionem esse actionem , negantes eam esse passionem, planè præscindunt obiectiuè , aut simul ignorant talem actionem esse passionem , dum id negant, & sciunt, dum iudicant esse actionem , quod est implicatorium. Hic namque connotatum solùm passionis , nimirum subiectum passiuum nequit dici ignorari : tum quia passio iudicata iudicio de actione illud notificat iuxta argumentum factum , vtpote citrà omne dubium connexa cum illo : tum quia tale connotatum aliunde est cunctis manifestum , cum sit nostra ipsa anima recipiens dictam gratiam. Sufficiat hoc exemplum è multis, quæ possent afferri. Ex quibus omnibus liquidò apparet per experientias dictas satis conuinci, intellectum nostrum obiectiuè præscindere.

Quod aliter stando in eodem exemplo de enti- 300
tate hominis eminus visa probari potest, casu, quod videns illam ita iudicet esse animal , vt simul iudicet non esse hominem , vti potest contingere. Quo posito sic argumentor. Qui iudicat. *Illa entitas intrinsecam habet potentiam sentiendi* , si non præscinderet obiectiuè , nequiret simul iudicare : *Illa entitas intrinsecam potentiam non habet ratiocinandi* , quia id esset idem omnino de eadem entitate simul affirmare , & negare contrà principium ab omnibus receptum, à nobisque suppositum *suprà n.* 242. At simul iudicat vtrumque, vt ponimus: ergo præscindit obiectiuè. Nec potest satisfieri dicendo istas duas propositiones non esse eiusdem de eodem propter diuersa connotata , quæ habent ex parte prædicati. Tum quia non semper connotata diuersa impediunt contradictionem propositionum. Tum quia licet demus in præsenti impedire , cum propositio affirmatiua vt mimimùm inferat apertè contradictorium negatiuæ, iuxta superius dicta, perinde esset vtrique simul assentire , atque assentire simul duabus contradictoriis. Quod planè impossibile est.

Respondet Arriaga *suprà n.* 44. Non repugnare 301
me affirmare simul, & negare idem obiectum, quando ex ignorantia puto esse diuersa , vt patet in illis, qui negant definitionem de definito , quando falsò putant

putant non esse illam veram definitionem, verba sunt eius. Quæ quidem aut præcisionem admittunt, aut nihil noui adferunt. Nam dum affirmo de illâ entitate supradictâ esse animal, & simul nego esse hominem, aut puto hæc prædicata esse diuersa quoad intrinsecum, & ita manifestè præscindo, aut solùm quoad connotata extrinseca, & id non interest, vt ostendimus. Exemplum de negante definitionem de definito non est e re, vt e. dicendis infra constabit.

302 Propterea ad aliud effugium familiare Recentioribus non præscindentibus de discretione, & non discretione ab aliis obiecti cogniti, se se recipit Arriag. *n. 4. & seqq.* dicens primò, tunc cognitionem aliquam esse confusam, quando non discernit suum obiectum à reliquis, tunc claram e contra, quando discernit. Quò fit, vt quo à pluribus discernitur obiectum, eò clarius; quò verò à paucioribus, eò confusius cognoscatur. Deinde dicit, cognoscere aliquid esse animal nihil aliud esse formalissimè, quàm discernere illud à non animalibus; & cognoscere esse rationale, quàm discernere à non rationalibus. Vnde infert in casu argumenti facti cognosci quidem animal, & non rationale; non tamen, quòd aliquid ignoretur de entitate illa eminus visa, sed, quòd tota ea cognoscitur cognitione confusâ discernente illam duntaxat à non animalibus; non verò cognitione clariori discernente illam insuper à non rationalibus. Eadem doctrinâ vtitur Arriag. *tom. 1. in 1. part. disput. 9. à num. 5.* & rursus *à num. 35.* vt defendat etiam per visionem intuitiuam magis, vel minus confusam posse distingui formalitates ex parte actus, ita vt possit intellectus affirmare de Deo, quod est ens, aut substantia, aut etiam, quod est vnus &c. ignotis reliquis attributis, & Trinitate personarum; non quod aliquid ignoret substantiæ diuinæ, sed, quod illam totam discernat modo à non ente duntaxat, modo à non substantia, modo à non vno &c. O quot hic inuoluuntur. Procedamus paulatim.

303 Et primum admisso toto assumpto, infero. Ergo casu, quod vna cognitio non discernat obiectum suum à pluribus, quàm alia, nihil erit, quo respondeas ad argumentum, & experientiam propositam. Pono igitur argumentum idem in diuersâ materiâ, & en omnes tuæ expensæ cassæ penitus fiunt. Contingit passim inter scientificos, vt cognitâ aliquâ entitate quoad prædicatum specificum, plures proprietates cum ipsâ identificatæ ignorentur. Ponamus ergo e. g. id euenire in homine, ne longiùs ab exemplo proposito recedamus. De quo cognoscat quis esse principium ratiocinandi, & nesciat an sit principium risus, aut admirationis, aut fletus. Ecce in hoc casu redeunt omnia argumenta facta circa cognoscentem animal, ignoto rationali, & tamen hic non habet locum tua responsio: nam à tam multis secernitur entitas hominis per cognitionem rationalis, quàm secerneretur per cognitionem risibilis, aut admiratiui. Idem euenit in illis attributis diuinis, quæ insolidum sunt proprietates Dei, vt esse infinitum, omnipotentem, increatum, immensum &c. Constat enim non posse Deum discerni reuerâ à pluribus in quantum omnipotentem, quam in quantum immensum, vel increatum &c. & tamen certum est posse; de factoque sæpe ignorari aliquod horum attributorum, cognitis aliis. Quo iterum doctrina tua funditùs corruit.

304 Deinde, quis vnquam dixit ad cognoscendum hoc animal clarè, & expresè necessarium esse, quod illud à cæteris entibus non animalibus discernatur? nemo profecto; quandoquidem omnes experimur absque vllâ comparatione ad non animalia cognoscere nos vt plurimum vnumquodque animal indiuiduum, de quo vel cogitatio, vel sermo, vel externa sensatio occurrit, idque satis clarè, & expresè; sed demus ad distinctam cognitionem de hoc animali esse necessariam discretionem eius à non animalibus. Pariterque ad distinctam cognitionem de hoc rationali discretionem à non rationalibus; certè cùm tam non animalia, quam non rationalia confuso quodam conceptu ad talem comparationem comprehendi debeant, vt constat, sciri non potest per illam, vtrum eorum à pluribus discernatur, quàm alterum.

Dices non opus esse, quod sciatur vtrum discer- 305
natur à pluribus; sed hoc ipso quod entitas hominis discernitur à non animalibus, quotquot illa sint, quin possit discerni à non rationalibus, quotquot illa sint, cognosci solum inquantum animal, & non inquantũ rationalis. Sed contrà primò. Ergo iã maior, aut minor claritas cognitionis non stat penes hoc, quod obiectum cognitum à pluribus discernatur, vti dicebas. Cõtra secundò. Discernere entitatẽ hominis ab entibus, quæ non sunt animalia, & non ab entibus, quæ non sunt rationalia, nihil est aliud, quàm factâ comparatione eius cum non animalibus, atque etiam cum animalibus, deprehendere dissimilitudinem, quam habet cum non animalibus, & similitudinem cum animalibus. Et non posse diiudicare an inter animalia magis assimiletur rationalibus, quàm non rationalibus, vel vice versâ, vt ipse Arriãg. fatetur. Ergo qui non discernit eam entitatem à non rationalibus, ignorat dissimilitudinem eius cum non rationalibus, similitudinemque cum rationalibus sufficientem, vt illa sit rationalis, cognitâ sufficiente similitudine, quam habet cum vtrisque, vt sit animal, vt sit viuens, vt sit substantia, vt sit ens. Quod est manifestè præscindere obiectiuè vnam similitudinem ab aliâ, siue quamdam similitudinem à quadam dissimilitudine, quæ tum cum extremis similibus, ac dissimilibus, tum inter se sunt realiter prorsus idem, iuxta communem iam, ipsiusque Arriag sententiam de indistinctione relationum à fundamentis. Et sane non discernere vnum extremum ab altero, vtroque concepto, loquendo vniuersè, non potest non esse ignorare aliquod ipsorum prædicatum aut cum altero, aut cum vtroque identificatum, cognitis aliis prædicatis notioribus, quod euidenter est obiectiuè præscindere.

Præterea si cognoscere aliquod alicuius rei præ- 306
dicatum nihil est aliud, quam illam discernere, siue discriminare à non habentibus tale prædicatum, sequitur differentiam specificam, & omnes proprietates veras cuiusque rei vnum, & idem prædicatum esse, quandoquidem ab eisdem omninò extremis discriminatur quælibet res per differentiam specificam, & tales proprietates. Itaq; idem erit formaliter in homine esse rationalem, esse admiratiuum, risibilem &c. quandoquidem idem formaliter est in ipso esse re verâ dissimilem non rationalibus, ac esse dissimilem non admiratiuis, non risibilibus &c. vtpote, quæ reverâ eadem sunt omnino. Vnde sequetur, qui semel scit cuiusuis entis differentiam, nullam posse ignorare proprietatem eius, aut qui scit aliquam proprietatem, eo ipso scire omnes. Quod, quàm sit absurdum, nemo non videt.

Denique in casu argumenti facti, vt quis iudicet 307
eam entitatem procul aspectam esse animal, sat est, quod iudicet esse eam principium sensationis absque vllâ memoria discretionis talis entitatis ab aliis,

aliis. vt est notissimum. Pariterque absque memoriâ simili sufficeret iudicare eam esse principium discursus ad iudicandum esse eam rationalem. Ergo quod hoc non iudicetur, non nascitur ex ignorantia discriminis talis entitatis ab aliis, sed ex eo quod nescitur, an ea sit principium discursus, quod sine præcisione obiectiuâ nesciri non potest, vt ostendimus, ampliusque ostendemus *in seqq.*

308 Postremò, quis hactenus cogitauit, nedum asseruit, eos, qui vident intuitiuè, eiusmodi discretiuis comparationibus indigere ad iudicandum de obiectis visis? quando apud omnes citra omne dubium est statutum videntes intuitiuè, obtutu quodam adhæsiuo iudicare de obiecto viso, quod ipsum est in se citra omnem extrinsecam, extraneamque comparationem; idque vel magis, vel minus clarè iuxta qualitatem visionis. Stat itaque absque fundamento contra experientiam, ac demum sine successu intrudi huiusmodi rerum discretiones ad declinandam vim argumentorum, quæ pro præcisionibus obiectiuis ab intellectu nostro oriundis valide militant.

309 Quiedo suprà *num.* 37. cum sibi argumentum, de quo agimus, obiecisset, & parui momenti, & soluu facile, & instantiæ obnoxium illud esse arbitraretur, solutio ab ipso exhibita ipsa est, quam impugnauimus petita à diuersitate connotatorum, nam alia, quam adiungit, non est ad casum nostri argumenti, sed ad alium, quem ipse ponit. Instantiam autem desumit à visione coloris, ex vi cuius nec sensus, nec intellectus potest discernere an ille sit viridis, vel niger, etsi feratur in differentiam specificam eius; cùm tamen bene cognoscat rationem genericam. Vnde ita arguit. Totum præcisionum fundamentum desumitur ex eo quod intellectus discernat rationem genericam, & non specificam. Sed idem contingit in sensibus; & tamen in sensibus hæ præcisiones non admittuntur: ergo neque ex hoc fundamento præcisiones sunt in intellectu admittendæ. Quo destructo vix mediocre aliud reperitur ad has præcisiones suadendas. Verba sunt eius. Cæterùm cuius momenti, & quantæ difficultatis sit argumentum factum, & quot insuper aliis, quamque firmis fundamentis sententia præcisionum nitatur, legentibus totam hanc quæstionem iudicandum relinquo. Modo, vt perspicuè appareat, quam vim habeat instantia opposita, & quomodo potiùs prodest illa, quàm obest nostræ doctrinæ, suppeditans nobis materiam, vnde premamus Aduersarios. Suppono primò per sensus externos nullatenus obiectiuè præscindi, quia sua illi obiecta cognoscunt per proprias species; & præcisio obiectiua solùm effici potest per facultatem cognoscentem per species alienas, vt ex dicendis in decursu apparebit. Ex quo patet per sensum externum omnia prædicata cum obiecto identificata omninò indiuisim, eodemque prorsus modo tangi siue clarè, siue confusè iuxta qualitatem sensionis.

310 Suppono secundo intellectum nostrum solùm primas apprehensiones obiectorum singulorum oriundas ab externis sensionibus elicere per proprias species. Iudicia enim etiam prima absque vsu alienarum specierum elicere nequit. Et quamuis conceptus communes primarios sensibilium obiectorum quodammodo per species proprias efformet, atque adeò illi simplices sint nullam supponentes, aut inuoluentes formalitatum præcisionem; In cæteris tamen quibusque conceptibus, quos circa obiecta sensibilia format, perinde atque circa non sensibilia vtitur speciebus alienis, & ad extrinseca connotata comparationibus; vnde conceptus generici sensibilium obiectorum, atque etiam specifici secundarij nequeunt non esse comparatiui ad connotata extrinseca. Quæ omnia latiùs explicata sunt *suprà disput. 2. quæst. 3.* Ex quo patet conceptum genericum coloris non posse non connotatiuum esse, formatumque per speciem alienam. Arbitror autem illum consistere in conceptu obiecti condistincti à luce, & per solum visum tangibilis. Sicut conceptus odoris genericus nihil est aliud quàm qualitas solo olfactu tangibilis, & conceptus saporis genericus qualitas sensibilis per solum gustum, &c.

Suppono tertiò: vt intellectus noster ex vi sen- 311
sionum externarum inter obiecta sensibilia possit discernere, & cuiusnam illa sint naturæ, siue specificæ, siue etiam numericæ diiudicare, certum expressionis, seu claritatis gradum debere sensiones ipsas attingere, obiectaque item certum diuersitatis, aut conuenientiæ gradum habere. Iam remissæ enim, seu tam obscuræ possunt esse sensiones, tam exiguaque obiectorum aut differentia, aut conformitas, vt intellectus de propria ipsorum naturâ, seu specificâ, seu numericâ nequeat ferre iudicium; tametsi possit iudicare de illis aliquod prædicatum genericum, in quo cum rebus aliis conspirant, collectum scilicet per discursum captâ occasione ex sensationibus. His positis.

Respondeo ad instantiam propositam *num.* 309. 312
quando visio coloris viridis, vel propter distantiam obiecti, vel propter aduersam medij, aut organi dispositionem adeo est obscura, vt nequeat intellectus vi eius discernere num sit obiectum visum viride, vel nigrum, vel alterius coloris; cum tamen bene possit iudicare in genere esse illud coloratum, seu habens colorem. Tunc sanè per visionem externam nullatenus discerni genus coloris à differentiâ; imò nec per apprehentionem internam à tali visione immediatè oriundam; quia cognitiones istæ indiuisim omnino tangunt eâ obscuritate, quâ tangunt quidquid realiter est color viridis, in quem feruntur. Vnde neque intellectus præcisè ex vi notitiæ obiecti per talem visionem sibi ingestæ iudicat illud esse coloratum; sed aliunde ad id iudicandum discursu ducitur; nimirum quia manifestè experitur per oculos tale obiectum sentiri, & aliàs scit quidquid per oculos intrat, & non est lux, eo ipso esse colorem, quo discursu conceptum coloris, seu colorati obiecti format vtens ad id specie aliená. Sicque genus coloris à differentiâ præscindit, nullâ præeunte præcisione factâ per sensum. Paritérque euenit in iudiciis similibus, in quibus, vt dixi, semper, & necessariò interuenit vsus alienarum specierum. Recognoscantur plura ad rem dicta *disput. 2. quæst. 3.* En quomodò instantia nobis opposita à propositio experimento desumpta nihil momenti contra nos adfert. Videamus modò quantum contra Aduersarios inferat. Sitque.

Secundum argumentum. In dato exemplo de co- 313
lore viridi eminùs viso iudicat videns illum esse colorem, & nequit iudicare an sit viridis, imò fortasse delusus iudicat esse fuscum. Ergo præscindit obiectiuè genus à differentiâ. Probo consequentiam; quia hîc effugium connotati ignoti non videtur habere locum; cùm enim differentia coloris viridis conceptu absoluto sit cognoscibilis, citra omnem ordinem ad extrinsecum connotatum, vt constat ex dictis, ignorare differentiam, cognito genere, coloris viridis non erit ignorare connotatum entitatis talis coloris, sed ignorare aliquid de entitate ipsâ cognito alio

cum

cum eâdem identificato, atque adeo præscindere. Verùm huic exemplo non est hærendum, quando sexcenta alia pleniora suppetunt ad subuertendum hoc asylum connotatorum, præter illa, quæ iam produximus agentes de Deo. sit ergo.

314 Tertium argumentum. Sæpe scimus rem aliquam esse à Deo productam per creationem; ignoramus tamen an talis creatio realiter sit identificata cum ipsâ re creatâ, vel secus: ergo casu, quòd sit identificata citrà omnem extrinseci connotati ignorantiam, quæ hic non datur, ignoramus talem identitatem cognitis aliis rei prædicatis ab eâ indistinctis, quod est præscindere. Sæpe etiam cognoscimus duas res esse inter se similes; ignoramus tamen an sint æquales in perfectione, quo casu eas inter se præcisè conferimus, nullo forinsecus connotato spectato, vt patet. Ergo supposito quod similitudo, & æqualitas realiter non est quid distinctum ab ipsis rebus similibus, & æqualibus, vt fert communis, & vera sententia Aduersariorum, ineuitabilis est in tali casu præcisio obiectiua, vbi & similitudo cognita, & æqualitas ignorata adæquatè est idem realiter cum dictis duabus rebus. Tantumdemque euenit cùm, cognitis duabus rebus, quoad alia prædicata, nescimus an illæ sint inter se connexæ, aut an sint oppositæ, vel absolutè, vel respectiuè ad tertiam, quam, etiam noscimus. Sæpe insuper tam in physicis quàm in moralibus scimus aliquam entitatem esse actum alicuius subiecti, esse accidens eius, esse ei dissimilem in naturâ, & inæqualem in perfectione, tum posteriorem secundum originem, &c. & tamen ignoramus an sit ea tali subiecto consona, aut dissona, conueniens, vel disconueniens, bona vel mala, &c. Quocirca sæpè decepti putamus nobis bonum, & appetibile, quod nobis malum est, & odibile; gnari nihilominus aliorum prædicatorum, quæ illud re vera habet respectiuè ad nos. Ergo cum priores veritates cognitæ in omnibus huiusmodi casibus quoad nihil prorsus seu directum connotatum distinguantur à parte rei à posterioribus ignotis, ab his haud dubiè præscinduntur per cognitionem sæpe denique plurium conceptuum diuersorum eiusdem entis vnicum tantum est connotatum, vti euenit in conceptibus subiecti potentiæ, & actus, tum in conceptibus diuersorum actuum comparatis ad eumdem terminum, realiterque identificatis. Fitque, vt cognito aliquo horum comceptuum, alterum ignoremus; euidenter enim scire solemus Deum cognoscere aliquod obiectum, ignorantes, vel dubitantes an illud amet; cum tamen cognitio, & amor talis obiecti, quod vnicum est vtriusque actus connotatum, in Deo realiter sint idem. Verùm quia præcisio obiectiua actuum liberorum Dei specialem habet difficultatem infrà suo loco tangendam: pono alia exempla. Sæpe scimus aliquam entitatem potentiam habere ad aliquem actum; nescimus tamen, aut dubitamus an ea sit cum tali actu necessariò connexa, an illum exigat, vel appetat aut absolutè, aut datâ tali, vel tali hypothesi; Cum tamen potentia, connexio, & appetitus realiter sint idem, & idem habentes connotatum. Tum omnes sciunt solem existere, & esse idem sibi ipsi; & tamen multi dubitant, aut ignorant an sol realiter sit idem cum suâ existentiâ; cum tamen sol, eius existentia, & identitas vtriusque vel nullum, vel idem connotatum habeant. Mitto plura exempla, quæ passim occurrunt, & facile quisque poterit meditari. Per quæ connotatorum effugium euidentissime Aduersariis manet præclusum.

Quomodo autem eis non liceat, aut certè non 315
prosit recurrere ad alia effugia diuersorum mediorum, vel diuersarum cognitionum, quò in vrgentioribus angustiis, vbi connotatorum deest subsidium, se solent recipere, ex dictis iam in superioribus satis compertum est. Etenim quælibet veritas obiectiua indifferens est, vt per diuersa media noscatur, neque ex eo quod cognoscatur per media diuersa, desinit esse eadem veritas formalissimè. Ob id enim in scientiis ad eamdem formalissimam veritatem obiectiuam probandam pluribus, diuersisque argumentis, hoc est, pluribus, diuersisque mediis vti solemus. In ordinario etiam coniuctu idem ipsum formaliter modo per experientiam, modo per discursum, modò per fidem humanam, modò per fidem diuinam cognosci solet, vt est notissimum. Tantùm abest, vt cognita tota re adæquatè per vnum medium, veritas aliqua ab illa indistincta ignorari possit ex eo præcisè, quod non cognoscitur per aliud. Ratio à priori, quia medium, per quod aliud cognoscitur, eatenus ad cognoscendum illud inducit, quatenus præcognoscitur ipsum connexum cum illo: nihil autem vetat cum eâdem formalissima veritate obiectiua plurima, & diuersa media connexa esse, vt taliaque prænosci. Itaque si iudicans duas res esse inter se similes, & iudicans easdem esse inter se æquales, eamdem omnino, atque indiuisam ex parte obiecti veritatem in talibus rebus attingunt suis iudiciis, impossibile prorsus est, quantumuis per media diuersa illam attingant, quod non iudicet quilibet de talibus rebus, quidquid iudicat alius, & consequenter, quod aliquis ignoret id, quod in ipsis rebus alius agnoscit. Poterit quidem alius clariùs; alius obscuriùs idem ipsum cognoscere penes diuersitatem mediorum, quibus ad illud ipsum cogoscendum ducuntur: at ignorare aliquem in rebus eisdem, quod in illis alius cognoscit, quando idem ipsum, nec amplius, nec minùs in illis cognoscit vterque, euidentissimè profectò repugnat in terminis ipsis. Tum sic. Ergo impossibile est aliquem prædictorum iudicare de dictis rebus esse similes, & non iudicare esse æquales, quibuscumque demum mediis ad id iudicandum ducatur. Ast hoc manifestissimæ oppositum est experientiæ, per quam constat posse aliquem de rebus supradictis scire, quod sunt similes, ignorantem prorsus an sint æquales. Ergo qui iudicat eiusmodi res esse similes, non eamdem, sed diuersam ex parte obiecti iudicat veritatem, atque qui iudicat de eisdem esse æquales, & consequenter primus similitudinem ab æqualitate, secundus autem æqualitatem à similitudine manifestè præscindit; cum tamen similitudo, & æqualitas realiter idem omnino sint. Profectò discursus iste euidentissimè videtur rem demonstrare. Ex quo tandem planè consequitur, quòd sint cognitiones, aut non sint inter se diuersæ ad nostrorum argumentorum vim declinandam nihil prorsus præstare, quandoquidem diuersitas mediorum non præstat, à quibus potissimum cognitiones suam hauriunt diuersitatem.

Quo verò pacto nec aliud, quod interdum Ad- 316
uersarij tentant effugium, de discretione, aut non discretione obiecti propositi ab aliis, quidquam

illis prodesse possit, satis, supèrque ostensum est *supra n.* 302. & *seqq.* Constat enim ex *ibi* dictis hoc ipsum, quod est non discernere obiectum propositum ab aliis absque præcisione obiectiuâ constare non posse. Præterquam, quòd eiusmodi effugium alia fert secum satis aliena ab experientiâ, à ratione, & à veritate, vt *ibi* monstrauimus.

317 Quartum argumentum adhuc insistens in præcludendo connotatorum effugium est. Non solùm in re, quæ comparatur ad connotata diuersa, sunt distinguibiles per nostram rationem plures formalitates, adeo vt iudicatâ vnâ, alia ignoretur: sed etiam in ipsis connotatis, vt est notissimum: quia nullum est excogitabile connotatum, in quo non distinguat intellectus noster diuersa prædicata, vt genus proximum, & remotiora speciem, differentiam, proprietates &c. Igitur pro cuiusque rei connotatis alia sunt ab Aduersariis connotata quærenda, & pro his alia, & sic in infinitum; & consequenter dicendum, quoties nos ea, quæ concipimus, conceptibus inadæquatis concipimus, vt ferè semper fit, aut concipere infinitam seriem connotatorum, factis simul infinitis comparationibus, aut circulum agere comparando vnum ad aliud, & vice versâ, vel immediatè, vel mediatè. Quorum tamen neutrum ab Aduersariis dici posse manifestum mihi est. Si enim dicant primum, imprimis admittunt rem non solùm apertè falsam, sed planè impossibilem, facere scilicet intellectum nostrum infinitas comparationes infinitorum entium simul, quin sistat in aliquâ vltimâ, concipiendo e. g. A relatè ad B, & B relatè ad C, & C relatè ad D, & ita deinceps sine fine. Deinde, hoc etiam deuorato absurdo, integra remanet difficultas; quia cùm ea infinita connotatorum series conceptu inadæquato concipiatur, aut saltem possit concipi; quoad aliquam sc. formalitatem, & non quoad reliquas. Si ad istum modum concipiendi requiritur connotatum extrinsecum vltra omnia omnino connotata, aliud adhuc connotatum quærendum est, & assignandum quod est implicatorium in terminis. Si autem dicant secundum, dari videlicet mutuam, seu circularem connotationem, præterquam quod alienum hoc est ab experientiâ: quia verè non intelligimus hoc modo, iterum relinquunt integram difficultatem, quin præcisiones obiectiuas per hanc viam possint eludere, iuxta eam enim necessarium est, vt intellectus cognoscendo perueniat ad entitatem nullum connotatum habentem vltra entitates ab intellectu cognitas, quæ proximè, vel remotè connotant ipsam: vnde manifestè consequitur, dum talis entitas relatè ad aliquam ex dictis entitatibus retrogradâ, seu mutuâ connotatione cognoscitur inadæquatè, vti & reliquas cognosci ponimus, quoad vnam scilicet, aut alteram dumtaxat formalitatem, ignotis aliis, ineuitabilem prorsus esse præcisionem obiectiuam in illâ, quia iam, quod de ipsâ ignoratur in ignorantiam alicuius connotati reduci nequit, quandoquidem cuncta, quæ talis entitas connotare potest, cognita supponuntur. Nec dici potest talem entitatem postremam in connotatorum serie necessariò debere concipi adæquatè, quoad omnia sua prædicata, quo cessat argumentum; quando exploratissimum est experientiâ in quâuis serie connotationis omnes, & singulas entitates ad illam spectantes, quoad vnum tantùm, aut alterum prædicatum, & non quoad reliqua, quæ habent posse cognosci à nobis, vt quisque ad exempla descendens facilè deprehendet.

Quintum argumentum penitus tandem labefactans, & diluens connotatorum asylum, quod sanè pulchrum iuxta, atque validissimum est, ita formari potest. Hæc propositio est euidens. *Omnia, & singula, quæ Deus iudicat, obiectiuè sunt vera*, quia euidens est, Deum falli non posse; falleretur autem, si iudicaret aliquid, quod obiectiuè verum non esset. Igitur dum ego assentior tali propositioni, euidenter scio de omnibus, & singulis, quæ Deus iudicat, vera esse obiectiuè. At de plerisque, aut etiam de omnibus, vel cuncta, vel aliqua saltem prædicata cum ipsorum veritate obiectiuâ realiter identificata prorsus ignoro. Idque non ex ignorantiâ adæquatâ connotatorum eorum, quia nullum est excogitabile connotatum, de quo non sciam per dictum assensum esse obiectiuè verum, cum nullum sit excogitabile, quod Deus aliquo modo non iudicet. Igitur per talem assensum manifestè præscindo conceptum obiectiuum veri ab aliis prædicatis repertis in omni obiecto iudicabili à Deo, & à me ignotis. Confirmatur, & declaratur vis argumenti, Per iudicium, quo assentior dictæ propositioni, non scio quidquid scibile est in omnibus obiectis scientiæ diuinæ, vt est notissimum. Aliàs, quâ claritate cognosco de omnibus, & singulis, quæ Deus cognoscit, esse vera obiectiuè, cognoscerem cætera omnia prædicata, quæ illa habent, fierètque, vt eo solo iudicio plenè, & euidenter scirem quidquid per omnes scientias ab hominibus scibile est, quod est ridiculum. Ergo ignoro aliquid de dictis obiectis scientiæ Dei: Sed id, quod ignoro, nequit esse res, aut negatio rei adæquata, quia nulla est res, aut negatio rei siue possibilis, siue impossibilis, de quâ non sciam per dictum iudicium prædicatum veritatis obiectiuæ identificatum cum illâ, saltem ex parte. Ergo, quod ignoro, residua prædicata sunt, à quibus subinde illud obiectiuè præscindo. Hoc argumentum in aliis materiis similibus potest etiam formari. Per quæ omnia manifestissimè præclusum est non præscindentibus effugium adeo ipsis familiare diuersorum connotatorum. 318

Sextum argumentum. Sublatis præcisionibus obiectiuis è medio, tollatur necesse est omnis discursus humanarum scientiarum, quæ metaphysicè procedunt, hoc est, menstrando in rebus, de quibus agunt, ex primis passionibus metaphysicis secundas, ex secundis tertias, ex tertiis quartas, & sic deinceps. Cuiusmodi sunt Metaphysica, Mathematicæ disciplinæ, Ethica, legitima Logica, bonáque ex parte etiam Physica, & vniuersim reliquæ omnes, quæ his aliquo modo subalternantur. Tollitur etiam è medio labor has scientias addiscendi. Tollitur eiusmodi proprietatum ordo prioris, & posterioris. Quo & ipsarum scientiarum mirabiles ordines, seriesque ruunt. Tollitur inæqualitas doctrinæ in iis, qui docent, & addiscunt, præsertim quando in paucis principiis nituntur scientiæ conclusiones, vti euenit in Geometriâ, Arithmeticâ, Mechanicâ, & aliis huiusmodi. Quæ omnia, quàm sint absurda nemo non videt. Sequi autem illa ex ablatione præcisionum obiectiuarum, inde apparet; quia si non præscinderemus obiectiuè, cum primum quisque primas passiones, seu proprietates rerum, ex quibus principia scientiarum constant, assequeretur, eodem actu, eâdemque subinde 319

certitu

certitudine, & claritate cæteras omnes cum primis identificatas vno ictu obtineret, ceſſaretque diſcurſus, & labor, qui ad illas obtinendas impenditur, quin per ætates integras tum hominum, tum ſæculorum penitus poſſint exhauriri; eſſentque ſubinde pares in cuiuſuis ſcientiæ doctrina, quicumque ſemel principia talis ſcientiæ callerent. Aſſerere autem vlteriores veritates identificatas cum principiis ſcientiarum defectu notitiæ connotatorum ſtatim non detegi, atque ideo neceſſarium eſſe diſcurſum ad illas capiendas; recurrere eſt iterum ad aſylum funditus iam *ſuprà* ſubuerſum; & quod iterum multis exemplis in præſenti poſſet euerti. Sufficiat tamen vnicum ex Geometria, quæ apud Euclid. *libro* 1. *Elem. propoſ.* 32. demonſtrat in omni triangulo omnes tres angulos æquales eſſe duobus rectis: proprietas quidem triangulorum ante eam demonſtrationem ignota, citra ignorantiam omnium omninò connotatorum ac terminorum eius, qui ſunt *triangulum, angulus, angulus rectus & æqualitas* notiſſimi omnes per definitiones præpoſitas in ipſo ſcientiæ veſtibulo. Quin imò omnes veritates totius Geometriæ, Machanicæ, & aliarum Matheſis partium pro exemplo euidentiſſimoſunt; quia nulla earum ignoratur, dum ignoratur, defectu notitiæ connotati, cùm omnes intra metas pauciſſimorum, notiſſimorumque terminorum contineantur, conſiſtantque in æqualitate, aut inæqualitate, in proportione, aut improportione aliquarum quantitatum aliàs notarum, aut in paucis etiam & notis harum affectionum ſpeciebus. Recurſus etiam ad ignorantiam mediorum iam ſatis, ſuperque in vniuerſum *ſuprà* præcluſus, hic ſpeciatim potius comprobat præciſiones, quàm illas eludat; nam ignorare media, quibus ex principiis dictarum ſcientiarum deuenitur ad concluſiones, nihil eſt aliud, quàm ignorare connexiones, quibus priores rerum paſſiones, ex quibus principia coaleſcunt, cum poſterioribus connexæ ſunt. Quod ipſum plane eſt obiectiuè præſcindere, quandoquidem paſſiones metaphyſicæ rerum priores & poſteriores, ipſarumque connexiones idem reipsâ ſunt.

Septimum argumentum ex cunctis notiſſimâ humani iudicij naturâ depromi poteſt. Concors enim
310 omnium ſententia eſt nos pro hoc ſtatu nihil iudicare poſſe niſi componendo, ſi ſit iudicium affirmatiuum, vel diuidendo, ſi ſit negatiuum. Huiuſmodi autem compoſitionem, & diuiſionem eſſe obiectiuam, ita quod ex parte obiecti non poſſint non duo ſaltem conceptus nobis repræſentari, alter per modum actus reſpondens verbo, alter per modum ſubiecti reſpondens nomini; quorum alter per affirmationem alteri tribuatur, atque ita componatur, ſiue coniungatur cum illo, aut per negationem remoueatur, atque ita diuidatur, ſiue diſiungatur ab illo, *ſuperiùs diſputatione* 2. *quæſt.* 4. auctoritate, & ratione monſtratum eſt. Vnde patet, quoties id, quod alteri iudicando attribuimus, ab ipſo realiter diſtinctum non eſt, non poſſe non præciſionem obiectiuam, de quâ tractamus, interuenire. Tam familiare eſt noſtro intellectui obiectiuè præſcindere. Recole doctrinam traditam *loco citato* circa proprietates noſtri iudicij. Ex eis enim deprehendes ſatis apertè neutiquam poſſe nos iudicare abſque obiectiuis præciſionibus. Et ſanè, cùm plerique eorum, contra quos agimus, vt Hurt. *diſputatione* 7. *de Anim. ſection* 2. Arriag. *diſputatione* 6. *de Anim. ſect.* 4. Ouiedo *contron.* 6. *de Anim. punct.* 2. & alij opinentur iudicium noſtrum actum eſſe in ſe ſimplicem tangentem indiuiſibiliter ſubiectum, & prædicatum, & eorum conuenientiam, ſiue diſconuenientiam; aut habent contra Ariſt. & omnes aſſerere intellectum per iudicium nec componere, nec diuidere, aut debent fateri compoſitionem, & diuiſionem, quam facit, ex parte obiecti ſe habere, quod ſine pluralitate conceptuum obiectorum, atque adeo ſine præciſione obiectiuâ conſtare non poteſt.

Et confirmari poteſt hæc ratio: primò quia
311 iudicium humanum ſuâ naturâ eſt comparatiuum, vt experientia ipſa monſtrat, & omnes fatentur. Igitur vbi illud circa obiectum, aliàs reipsâ indiuiſum verſatur, non poteſt non præciſio obiectiua interuenire, quandoquidem comparatio, niſi inter conceptus diſtinctos, nullatenus poteſt fieri, vt conſtat, eoſque ex parte obiecti ſe habentes; conceptus quippe obiectiuos comparat iudicium noſtrum, non formales, vt etiam eſt notum. Secundò confirmatur: quia ex iſto naturali modo, quem habemus, iudicandi, & concipiendi obiecta, naſcitur diuerſitas concretorum, & abſtractorum tam obuia in ſcientiis, vt *loco citato* declaraiuimus; nemo autem eſt, qui non experiatur, ſi aduertat, & fateri velit, conceptus abſtractos, & concretos diuerſos ſibi ex parte obiecti, atque adeo inter ſe diſtinctos, ſiue præciſos obiectiuè repræſentari. Tertiò confirmatur ipſum ex diuerſitate nominum pro talibus conceptibus impoſitorum, nomina quippe diuerſa ordinariè conceptibus obiectiuis diuerſis; non verò eiſdem ſolent imponi. Neque enim nos ad imponenda diuerſa nomina ſolâ diuerſitate conceptuum formalium, hoc eſt, cognitionum inducimur, aliàs nullus eſſet obiectiuus conceptus, qui innumerâ nomina non haberet diuerſa, quia nullus eſt, qui innumeris diuerſis cognitionibus non ſit cognoſcibilis, aut per diuerſa media, aut aliter. Et quidem variari nomina dumtaxat penes varietatem conceptuum obiectiuorum, non itidem formalium, vel ex eo conſtat, quod non ad formales, ſed ad obiectiuos conceptus ſignificandos imponuntur, eoſque non vt cognitos reduplicatiuè, ſed ſpecificatiuè quantum ad id, quod cognitum; ſeu menti noſtræ repræſentatum eſt. Quartò confirmat idem ipſa nominum, cognitionum, obiectorumque nomenclatura ab omnibus, nemine refragante, hucuſque recepta. Cur namque alia nomina, obiectaque per illa ſignificata abſtracta, & alia concreta dicuntur, niſi quia priora aliquid abſtractum, ſiue præciſum ab alio; poſteriora verò aliquid compactum ex illo abſtracto, & ex reſiduo, præ ſe ferunt? Cur cognitio, quâ obiecta inſenſibilia per alienas ſpecies concipimus, in ſtatu præſenti abſtractiua vocatur, niſi quia ſuapte naturâ præciſiua formalitatum eſt abſtractio, quippe propriè dicta idem eſt, ac præciſio: quia vna veritas ab aliâ, cum quâ identificatur, non poteſt abſtrahi, ſeu (quod idem eſt) ſeparari abſque præciſione, vt eſt notum. Nomina præterea adiectiua ideo talia dicuntur, quia adiiciunt aliquid ſupra ſubiectum, de quo prædicantur, quod adiectum, quando realiter non eſt diſtinctum ab ipſo ſubiecto, vti ſæpiſſimè contingit, neceſſariò debet eſſe obiectiuè præciſum: nam idem omnino neutiquam dici poſſa diici ſibi ipſi.

Octauum argumentum ex iis, quæ paſſim euc- 312

niunt discursui nostro, potest sumi. Sæpissimè enim contingit in scientiis humanis, vt antecedens euidens sit, illatio autem, vi cuius consequens infertur, tantùm probabilis. Quod tamen absque præcisione obiectiuâ nequaquam posset euenire; illatio quippe in connexione antecedentis cum consequente ab ipso antecedente realiter indistincta nititur; nec aliud est illationem esse probabilem, quandò antecedens est euidens, quàm esse probabile iudicium de connexione antecedentis cum consequente, quando iudicium de antecedente ipso euidens est. Ambo enim ista iudicia vel formaliter, vel æquiualenter præcedunt ex parte antecedentis discursus nostri, antequam eliciatur conclusio, quam ipsum causat, vt latè explicui *disp. 2. quæst. 5.* Iudicare autem antecedens euidenter, & non iudicare euidenter, sed tantùm probabiliter connexionem eius cum consequente planè est præscindere obiectiuè. Quemadmodum iudicare vtcumque antecedens, & penitus ignorare connexionem, vt sæpe etiam vsu venit. Hic namque non possunt Aduersarij confugere ad ignorantiam connotati talis connexionis, quod est consequens ipsum, cùm certum sit ad iudicandam connexionem necessarium non esse, quod simul cum ipsâ iudicetur ex parte antecedentis consequens iudicandum postmodum per conclusionem, vt aliàs in hâc *q.* tetigi, *quæst. illa 5. citata* fusiùs exposui.

323 Nonum argumentum potest sumi à Memoriâ nostrâ, quæ tæpenumerò recordatur vnius formalitatis, immemor aliarum eiusdem entis, à quibus subinde & præscindit illam, & supponit præcisam per cognitionem prætiam, vnde ipecies memoratiua, quæ postea ad talem formalitatem præ reliquis cognoscendam excitatur, relicta est.

324 Decimum argumentum. Ex his duabus propositionibus obiectiuis nobis circa attributa Dei propositis, *Sapientia est Sapientia: Sapientia est Iustitia*, primæ longè faciliùs, promptiùsque assentimur, quàm secundæ. Prima euidentissima est ex terminis ipsis, imo ob euidentiam nimiam non doctrinalis dicitur. Secunda ex terminis non est nota, aliundèque subinde identitas realis prædicati cum subiecto debet nobis notescere, vt ei possimus assentiri. Prima in vtroque sensu formali, & identico vera est; Secunda solùm in sensu identico. Quæ differentiæ aliunde præfectò nasci non possunt, nisi quia sapientia, & iustitia perinde nobis apparent vt duo conceptus obiectiui inter se præcisi, & distincti, ac si realiter distincti essent; cùm tamen sapientia à se ipsâ nullatenus distincta repræsentetur. Hinc difficultas assentiendi secundæ propositioni. Hinc necessitas medij, quod ostendat eos duos conceptus reipsâ non esse distinctos, vt sunt in intellectu obiectiuè. Hinc esse propositionem ipsam falsam in sensu formali, iuxta quem affirmatur prædicatum esse idem cum subiecto non solùm re ipsâ; sed etiam prout apparent in mente quarum identitatum secunda desit in præsenti. Tantumdemque de similibus propositionibus tum in creatis, tum in diuinis licebit meditari. Ex quibus satis clarè colligitur formalitates eiusdem entis, quibus diuersa nomina non synonima imposita sunt, ex parte obiecti præscindi à nobis: diuersitas namque connotatorum dumtaxat, aut cognitionum, estò semper adesset, diuersitatem commemoratorum effectuum nullatenus causare, posset, vt cuique rem sincerè consideranti manifestum fiet.

Vndecimum argumentum. Si non præscindi- 325
mus obiectiuè, omninò è medio tollendus est modus ille vsitatissimus, & vtilissimus ad rerum essentias, ac proprietates perscrutandas argumentandi ex aliquâ hypothesi impossibili, quo passim vtuntur Theologi, atque Philosophi tum in diuinis, tum in creatis. Quotiescumque enim ex parte hypothesis ponitur vna formalitas, negatâ aliâ identificatâ cum illâ, vel è conuerso, vt fere semper fit, implicaretur in adiecto, vt aiunt, esseturque hypothesis, & tota argumentatio inutilis, sic quæstio illa celebris in materiâ de Trinitate. An si Spiritus sanctus non procederet à Filio, distingueretur ab illo, in nullo sensu posset tractari, qui non esset implicatorius in adiecto, reddensque subinde quæstionem inutilem, & nugatoriam; cùm enim processio passiua Spiritus sancti, quâ à Filio procedit, realiter sit idem cum totâ substantiâ, & existentiâ Spiritus sancti, si obiectiuam formalitatum præcisionem excludas; idem erit quærere. An si Spiritus Sanctus non procederet à Filio distingueretur ab illo? ac quærere: An si non daretur, nec esset in rerum naturâ. Spiritus sanctus, distingueretur à Filio? Quo, quid ad rem insulsius, ne dicam stultius? At verò præcisis in processione passiuâ Spiritus sancti duabus formalitatibus obiectiuis, altera respectiuè ad Filium, altera respectiuè ad Patrem; vtiliter negatâ priori, & affirmatâ posteriori ex parte hypothesis absque vllâ implicatione in adiecto procedit quæstio proposita in hunc modum. An si Spiritus sanctus non à Filio, sed à solo Patre procederet, à Filio ipso realiter distingueretur? Quanti autem momenti fuerit antiquitus hæc quæstio ad probandam contra Græcos processionem Spiritus sancti à Filio, in materiâ de Trinitate notatur. Tantumdemque dicendum venit de cæteris quæstionibus similibus.

Duodecimum argumentum. Contingit vt de 326
eisdem rebus secundum diuersa earum prædicata tractent scientiæ diuersæ, quod sine præcisione obiectiuâ non posset fieri. Sic de actibus nostri intellectus disquirit ea pars Physicæ quæ tractat de Anima; an sint vitales, &, quomodo, an spirituales, vel corporei; an in actione, vel in qualitate consistant &c. cum tamen Logica de eisdem disputet, quatenus sunt vniuersales, vel singulares, siue de obiecto vniuersali, vel singulari, quatenus sunt simplices, vel complexi, conditionati, vel absoluti &c. idemque in aliis diuersis scientiis pariter solet euenire.

Decimum tertium argumentum. Contingit 327
vt quis deceptus iudicet distingui inter se ea, quæ realiter sunt idem, vt, qui negabant Angelos esse Spiritus. Qui dicebant personalitates, aut etiam alia attributa Dei, & essentiam non esse idem. Decreta Dei ab eius substantiâ distingui, & similes. Quo casu, qui ita iudicat, nequit non duplici titulo obiectiuè præscindere; primò, quia nequit non concipere vt duo prædicatum, & subiectum, quicumque iudicat vnum non esse alterum. Si enim vtrumque vt vnum conciperet, neutiquam posset id iudicare, cùm euidentissimum sit vnumquodque à se ipso nullatenus distinctum esse. Secundò, nam, qui planè sciens essentiam secum ipsâ idem esse, iudicat eam non esse idem cum attibuto, manifestè præscindit identitatem, quâ essentia secum ipsa est idem, ab identitate, quâ cum attributo identificatur, cognoscens

cens euidenter primam, & penitùs ignorans secundam. Vel si non præscindit, idem omnino affirmat simul, & negat, scit euidenter, & prorsus ignorat, quod est chimericum. Esse autem hunc casum è numero eorum, vnde ad asylum diuersorum connotatorum non patet aditus, notissimum est.

328 Decimum quartum ab experientiâ peti potest, quâ omnes experimur formalitates rerum, quæ per diuersa nomina non synonima significantur, diuersas nobis siue dissimiles ex parte obiecti repræsentari, & apparere absque vllâ reflexione supra actus, quibus illæ repræsentantur. Eodem quippe modo apparent dissimiles, atque alia obiecta re verâ inter se dissimilia dissimilia nobis apparent. De quibus certum est non apparere nobis dissimilia dissimilitudine actuum, quibus ea cognoscimus, sed propriâ dissimilitudine ex parte iplorum obiectorum se habente. Quis enim neget rationalitatem Petri eodem modo repræsentari nobis dissimilem animalitati ipsius Petri, ac repræsentatur dissimilis animalitati bruti, cui verè à parte rei dissimilis est? Quo posito necessarium est, quòd rationalitas, & animalitas Petri ex parte obiecti appareant duo: quia vnum, & idem sibi dissimile apparere non potest. Quod est animalitatem, & rationalitatem Petri ex parte obiecti distingui, siue præscindi per cognitiones; & idem est de aliis quibusque cuiusuis entis formalitatibus. Confirmatur primò ex modo loquendi communissimo, quo eiusmodi formalitates diuersas nuncupamus, & tanquam de diuersis obiectis passim ratiocinamur, & loquimur. Confirmatur secundò: quia Petrus inquantum rationalis est dissimilis bruto; inquantum animal verò similis, quod impossibile esset, nisi rationalitas, & animalitas Petri essent dissimiles inter se, vt patet. Confirmatur tertiò: quia si quis per fidem simul, & naturalem cognitionem eamdem Petri animalitatem cognosceret; nemo profecto dicet vi earum duarum cognitionum plus distingui apud illum animalitatem Petri à se ipsâ, quàm de facto distinguitur apud omnes eadem Petri animalitas à rationalitate; & tamen illæ duæ cognitiones de animalitate magis essent inter se diuersæ, & dissimiles, quàm cognitiones de animalitate, & rationalitate, quas omnes habemus de facto; cùm hæ sint ambæ naturales, & æquè claræ, vel obscuræ; ex illis autem altera fidei, & obscura, altera naturalis esset, & clara. Igitur diuersitas, quam experimur inter animalitatem, & rationalitatem Petri non cognitionum, sed ipsorum obiectiuorum conceptuum diuersitas est. Ad connotata autem diuersa ne importunè recurras, quando in superioribus vidisti sexcenta posse exempla afferri, vbi non sunt connotata diuersa.

329 Decimum quintum argumentum sit. Quia si non præscinderemus obiectiuè, neutiquam possemus efficere vniuersalia generica per adunationem plurium specierum sub vno conceptu ipsis communi, quoniam vnicum fundamentum adunandi plura sub conceptu communi eorumdem plurium similitudo est; constat autem conceptus specificos adæquatè sumptos, vt homo, & equus, inter se dissimiles esse: necesse est ergo, vt in vnâquâque specie duplicem conceptum obiectiuum partiamur; alterum, cui in singulis speciebus alij exactè similes correspondeant, ex quibus adunatis sub conceptu communi genus efficitur; alterum exactè dissimilem cæteris speciebus, quæ est differentia. Quod sine præcisione obiectiuâ conceptus generici à differentiali fieri non potest, vt constat. Non posse autem intellectum nostrum adunare sub conceptu communi ad efficiendum vniuersale, nisi ea, quæ ipsi apparent exactè similia, tum experientia ipsa demonstrat, tum à posteriori probatur; quia alioquin à differentiis in quantum diuersis, vt à rationalitate, hinnibilitate, rugibilitate, &c. conceptus communis, & vniuocus abstrahi posset. Sicque homo, equus, leo, &c. non solùm in ratione generica animalis, sed in ratione etiam differentiali conuenirent, quærendæque essent aliæ rationes, quibus differrent, in quibus eadem rediret illatio, & sic in infinitum. Tum nulla alia essent, quantumtuis inter se diuersa, quæ vt talia sub conceptum communem, & vniuocum non caderent. Quo è medio prorsus tollenda esset omnis æquiuocatio, omnisque analogia nominum, & verborum. Quo rursus omnis metaphorica, aut quoquo modo translatitia loquutio prorsus cessaret. Quin imò cuncta iam sub hoc, iam sub illo conceptu communi arbitrario, & sine ordine fundato in rebus confunderentur. Quæ omnia, quàm sint absurda nemo non videt. Hic verò pariter, atque in præcedentibus diuersorum connotatorum agmen est abigendum.

330 Decimum sextum argumentum. Species ex genere, & differentiâ componitur secundum omnes, atque ita differentia extra conceptum generis est, vti etiam omnes fatentur cùm Arist. *lib. 3. Met. text. 10.* Tum differentia & genus diuersas quiditates habent, diuersasque subeunt definitiones. Quocirca de genere dicitur esse commune pluribus speciebus, & prædicabile de illis, secus de differentiis. Tum per differentias ipsas contrahi, atque determinari; sed non è conuerso. Differentiæ verò oppositæ inter se dicuntur, quale non est genus sibi ipsi. Circa genus discurrere, ratiocinari, ac disputare passim solemus immemores omnino differentiarum; & cætera huiusmodi, quæ sine præcisione obiectiuâ generis à differentiis haud quaquam possunt aptè componi, quidquid Aduersarij conentur. Quorum omnes componendi modi ad diuersitatem tandem vel connotatorum, vel cognitionum reuocantur. Quàm verò in cassum ex dictis in superioribut satis apparet. Ex quibus facile possem, sicut & alia singillatim reuincere (ni prolixitatem in re satis, vt reor, demonstratâ timerem) quæcumque ad cuncta proposita aut respondent, aut respondere possunt; sed quia & id quisque facile ex fundamentis iactis præstare poterit, ad reliqua pergo.

331 Decimum septimum argumentum. Sublatis præcisionibus obiectiuis sequitur primò, nulla esse prædicata metaphysicè transcendentia præ aliis, sed omnia æquè dicenda esse aut transcendentia, aut non transcendentia, quia omnia sunt vnus, & idem conceptus obiectiuus. Quod licet fateatur Arriag. *d. 11. Logicæ sec. 3. subs. 3.* alienum est à sententiâ reliquorum Philosophorũ, & Theologorũ, & à modo concipiendi communi. De quo plura dicemus *infra q. 10* Secundò sequitur nomina abstracta, & cõcreta prorsus esse synonima, quia eorum significata, ne penes diuersa quidem connotata, discriminantur, vt constat. Vnde sequitur tertiò has omnes prædicationes, *Homo est animal: homo est animalitas: humanitas est animalitas: rationale est animal: rationale est animalitas: rationalitas est animalitas*, & similes æquè, & omnimodis citra omne dubium esse veras, aut falsas. Frustraque subinde torqueri Philosophos, atque Theologos in examinando, quo inter se differant prædicationes concretorum de concretis,

cretis, abstractorum de concretis, & abstractorum de abstractis, communiter resoluentes posteriores in aliquo sensu esse falsas; cùm tamen primæ in omni sensu veræ sint.

332 Decimum octauum argumentum. Intellectus noster ea, quæ realiter sunt plura, ita valet adunare, vt ex parte obiecti vnum quid, & prorsus indiuisum appareant; ita enim apparent nobis citra dubium conceptus vniuersales à pluribus abstracti. Igitur vice versâ id, quod realiter est vnum, ita valet multiplicare, atque diuidere, vt ex parte obiecti appareat plura diuisa inter sese, siue dissecta. Quod ipsum est obiectiuè præscindere.

333 Decimum nonum argumentum ab ipsâ praxi, & vsu nostrorum Aduersariorum captari potest. Mirum enim est, quàm manifestè, quàmque frequenter in suis scriptis, dum à controuersiâ præsenti remoti, eiusque immemores incedunt, præscindunt obiectiue, ipsaque præcisiones obiectiuas supponunt tribuentes vni formalitati obiectiuæ, quod negant alteri eiusdem entis, reduplicantes circa vnã, alterâ exclusâ, appellantes illas diuersas; & in summâ ita ratiocinantes, qualiter sine obiectiuis præcisionibus ratiocinari aut impossibile, aut etiam interdum nugatorium, & ridiculum esset; vt quisque in dictis ipsorũ scriptis, si sedulò animaduertat, satis apertè deprehendet. Exemplo sit argumentum illud, quo Petr. Hurt. *disp. 7. de Ani. sec. 2.* Arriag. *disput. 6. sect. 4.* Oued. & alij Recentiores probant iudicium humanum indiuisim attingere subiectum, & prædicatum, & copulam obiectiuam propositionis, eo quod hæc respectus quidam est ex suo conceptu ad vtrumque, & cognitio tangens respectum, terminos etiam, quos ipse respicit, debet simul attingere; vbi vides, quomodo in hâc propositione obiectiuâ, *homo est rationalis*, tres conceptus obiectiuos distinctos per rationem, præcisosque subinde agnoscunt, supponuntque hominem, rationalitatem, & identitatem vtriusque, qui re ipsâ sunt idem. Passimque in similes cadunt suppositiones. Sanè non possunt non loqui, vt intelligunt, idcircò præscindunt verbis, sicut & mente. Si quando verò fortassè in hâc re conueniuntur, ne apertè capti videantur, vel præcisionis saltem vocabulo se protegunt dicentes (immani profectò eiusdem vocabuli abusu) se quidem formalitates etiam præscindere; non tamen ex parte obiecti, sed ex parte actus. Atque ita se vti præcisionibus formalibus, quas admittunt, non verò obiectiuis, quas negant. Quæ sanè fucata loquutio adeò abusiua, & impropria mihi est, vt in sententia Aduersariorum vix aliud ægrius feram, quàm illam.

334 Vigesimum argumentum sit lepidum illud dilemma, quo ego quondam non præscindentes parum cautos premebam hoc modo. Tu, qui negas præcisiones obiectiuas, vel præscindis, vel non præscindis. Si præscindis, negas idem, quod exerces; quo quid stultius? Si non præscindis, non negas præcisiones obiectiuas: quid ergo negas? Impossibile quippe tibi est præcisiones obiectiuas negare non præscindendo. Quod ita probo: quia impossibile est negare aliquid, non apprehenso eo quod negatur, vt est certissimum: ergo impossibile est negare sapientiâ Dei e.g. præcisam esse obiectiuè à iustitiâ, non apprehensâ sapientiâ Dei præcisâ obiectiuè à iustitiâ. Hoc autem ipsum est præscindere sapientiam Dei à iustitiâ; quia præcisio obiectiua non aliter fit, quàm concipiendo per cognitionem præcisa ex parte obiecti, siue diuisa, siue distincta ea, quæ à parte rei neque diuisa, neque distincta sunt. Confirmatur primò. Negas sapientiam, & iustitiam repræsentari nobis vt duo inter se distincta, & dissimilia ex parte obiecti, quod nos asserimus, seu quod idem est, sapientiam, & iustitiam, prout sunt in mente nostrâ obiectiuè, duo, eaque dissimilia esse. Ergo non potes non concipere sapientiam, & iustitiam vt duo distincta, & dissimilia: ergo nec possunt sapientia, & iustitia non repræsentari tibi vt duo distincta, & dissimilia; atque adeo nec potes non exercere ipsam præcisionem, quam negas, aut, si non exerces, non negas. Confirmatur secundò. Negas per cognitionem nostram tangi sapientiam sine iustitiâ: ergo concipis cognitionem, quam negas, tangentem sapientiam, & non iustitiam, atque adeo sapientiam, & iustitiam vt duo distincta apprehendis. Scio argumentum hoc ex vi formæ præcisè sophisticum esse; credo tamen ex vi materiæ bene concludere. Quia certum puto id, quod Franc. Alphon. *disp. illâ 4. Logicæ, sect. 3.* planè fatetur neutiquam posse Aduersarios præcisionem obiectiuam, quam nos asserimus, aut apprehendere, aut negare, quin concipiant vt duo ex parte obiecti distincta, & inter se dissimilia ea, quæ nos talia apparere asseueramus. Itaque in exemplo proposito non possunt non concipere sapientiam, & iustitiam Dei, vt duos conceptus obiectiuè diuersos, dum negant ita à nobis concipi. Quod autem in tali casu neuter eorum conceptuum obiectiuorum sit formalitas ficta, aut chimerica, vt asserit Franc. Alph. ex dictis, & ex dicendis satis compertum cuique fiet. Et confirmari modò potest: quia ill iconceptus obiectiui ipsissimi sunt, quos nomina hæc *sapientia Dei, iustitia Dei* nobis significant. Quis autem audeat asserere significatum alterutrius horum nominum esse chimericum? Quomodo autem nihilominus, qui intuitiuè cognoscunt, minimè obiectiuè præscindunt, quantumuis sciant nos præscindere *q. 11.* explicabitur.

335 Vigesimum primum tandem argumentum sit ratio à priori totius doctrinæ de præcisionibus obiectiuis ex modo operandi nostri intellectus pro præsenti statu desumpta. Hoc enim ipso, quod cognoscimus per species alienas, aliter nobis apparent res cognitæ, quàm realiter sunt in se, vnde nascitur vt, quæ reipsâ sunt indiuisa, diuisa nobis repræsentẽtur, & quod realiter est simplex, per partes nihilominus, & paulatim nobis appareat, non quidem per partes, quas in se habeat, sed quas habeat in mente nostrâ, prout nobis apparet, sicuti fusiùs à nobis explicatum est *suprà d. 2. q. 3. inferiúsque* itidem explicabimus dum argumentum potissimum Aduersariorum diluamus. Hæc satis modò.

336 Ex quibus omnibus concludo primò, adeò esse pro hoc statu intellectui nostro connaturalem modum cognoscendi præcisiuum ex parte obiecti, vt non possit non tum in Deo, tum in creaturis formalitates obiectiuas passim præscindere. Quod certè ita mihi per argumenta proposita factum est euidens, vt spem conceperim fore, vt quicunque ea sincero studio veritatis perlegerint ad communem, auitamque Philosophorum, atque Theologorum sententiam, quam illa propugnant, si fortè ab ipsâ desciuerant, reducantur. Præsertim si in residuo quæstionis validissimo illi argumento, quo in partem aduersam deturbati sunt Recentiores, satisfactum viderint, vt etiam spero.

337 Secundò concludo contra Arriag. & suos minùs consequenter negare eos obiectiuas præcisiones in creatis, atque etiam circa pleraque Dei attributa, dum illas circa mysterium Trinitatis admittunt.

Quan

Quanquam enim in eo mysterio, & in aliis, vbi perfectiones diuinæ relatè ad prædicata contradictoria sunt virtualiter distinctæ, iuxta doctrinam traditam *suprà q. 6.* peculiaris ratio inueniatur, ratione cuius non possint non à nobis eiusmodi perfectiones obiectiuè præscindi, vt ex dictis in hac *q. proposit. 1.* & 2. apparet; & ampliùs ex dicendis patebit. Cæterùm, quia talis præcisionis necessitas in nostro insuper intelligendi modo pro præsenti statu fundatur, neque in videntibus intuitiuè dicta mysteria locum habet, vt *quæst. 11.* probabimus, idcirco consequentius multo procedimus, qui vbique tam in creatis, quàm in diuinis præcisiones obiectiuas formalitatum à nostro intellectu oriundas adstruimus.

338 Tertiò concludo contra Recentiores *n. 236.* commemoratos, præcisiones obiectiuas formalitatum, quas facit intellectus noster, minimè esse dependentes ab eo, quòd causæ referantur transcendentaliter, aut non referantur ad suos effectus. Quanquam enim vnum, aut alterum argumentum eorum, quæ contra non præscindentes scripta relinquimus, eiusmodi relationem transcendentalem supponat. Cætera tamen ab illâ nullatenus pendent, sed absolutè demonstrant nostrum intellectum præscindere, siue adsit, siue non adsit talis relatio. Vide, si placet, Quied *contr. citata Metaph. punct. 8. §. 2.* fusè impugnantem mediam sententiam hanc Recentiorum. In quo ego nolo immorari, quia censeo ex hactenus à me dictis in vniuersum, manifestè eam ab vnoquoque retundi posse. Pergo iam ad diluenda argumenta, quæ contra nostram, & communem sententiam militant.

## Potissimum fundamentum sententiæ non præscindentium diluitur.

339 Potissimum, imò vnicum, iudicio etiam Aduersariorum, argumentum, quo præcisiones obiectiuæ non modò acriter impugnari, sed penitus etiam expugnari videntur, & quo conuicti Recentiores *supra* relati eas cum Nominalibus negant, in hunc modum formari potest. Animal & rationale sunt omnino idem reipsâ: ergo impossibile est cognosci animal, quin cognoscatur rationale: ergo, quâ cognitione cognoscitur animal, eâdem rationale debet necessariò cognosci: ergo repugnat, quod animal à rationali ex parte obiecti præscindatur. Antecedens supponitur vt certum apud vtrosque contendentes. Consequentiæ autem vrgentur hoc syllogismo expositorio in primâ figurâ. *'Hoc animal cognoscitur cognitione A; hoc rationale est hoc animal: ergo hoc rationale cognoscitur cognitione A.* Consequentia est legitima; antecedens verum: ergo & consequens. Rursus si animal cognoscitur, rationali non cognito, sequuntur duo contradictoria simul vera: ergo. Probo sequelam; imprimis hæc est vera. *Hoc animal cognoscitur cognitione A*: sed etiam hæc est vera; *Hoc animal non cognoscitur cognitione A.* Ergo. Probo minorem, hoc syllogismo in *Ferio. Nullum rationale cognoscitur cognitione A. Hoc animal est rationale: ergo hoc animal non cognoscitur cognitione A.* Antecedens ponitur verum, ergo & consequens verum est. Dantur ergo duo contradictoria simul vera, si animal per aliquam cognitionem cognoscatur, rationali per eamdem non cognito. Et quidem cum animal, & rationale, vt supponitur, realiter sint prorsus vnum, & idem, vel ex ipsis terminis apparet cum euidentiâ non magis posse reuera cognosci animal, & non cognosci rationale, quam potest cognosci idem, & simul idem ipsum non cognosci reuerâ; hoc autem esse impossibile est clarum; cùm sit aperta contradictio. Hoc argumentum, quod variis aliis modis recidentibus in idem formari potest, & solet, vehementer torsit præscindentes, eosque in varias solutiones distraxit. examinemus singulas.

Prima est eorum, qui distinctionem virtualem in 340
ordine ad prædicata contradictoria, etiam in rebus creatis, non verentur admittere, quâ positâ, apertâ fronte ab argumento facto se expedium dicentes animal & rationale, etsi realiter sint vnum & idem, virtualiter esse duo in ordine ad cognosci, & non cognosci; proindeque hæc prædicata, quantumuis aliàs contradictoria, inter se inuicem non pugnare. Verùm, quàm sit detestandum istud philosophandi genus in rebus creatis, quàm multaque ex illo incommoda, & absurda sequantur abundè confecimus *suprà q. 6.* Quapropter nihil ampliùs contra hanc solutionem necessarium est addere.

Secunda solutio est dicentium, vt duo contradi- 341
ctoria physica, qualia sunt esse, & non esse, produci, & non produci, vniri, & non vniri, verificari possint, physicè debere esse distincta subiecta, de quibus prædicantur; ad verificationem tamen contradictoriorum intentionalium, vt sunt cognosci, & non cognosci sufficere, quod subiecta de quibus dicuntur, distinguantur intentionaliter, seu per rationem; qualiter in casu argumenti distinguuntur animal, & rationale, atque ita verum sine repugnantia esse potest cognosci animal, & non cognosci rationale. Sed contrà primò: quia, quidquid sit modo de appellatione contradictoriorum intentionalium, certum est à parte rei, & non fictitiè cognosci animal, quando cognoscitur: ergo si animal à parte rei idem, quod rationale est, æquè repugnat cognosci animal, & non cognosci rationale, ac repugnat animal ipsum cognosci simul, & non cognosci. Contra secundò; quia cognitio nostra, & distinctio rationis longè diuerso sensu appellantur intentionales. Prima enim dicitur talis, quia quasi euibratur, & intenditur ab intellectu versus obiectum procul positum, quod non tollit esse eam realem, & physicam entitatem. Secunda verò dumtaxat, quia ex vi talis intentionis concipitur ab intellectu, subindeque obiectiuè in illo habet esse, cùm verè, & realiter non sit. Quas duas appellationes perperam confundit respondens. Etenim cùm cognitio nostra, & hoc, quod est cognosci animal per illam, quid reale sit physicè existens; tametsi in sensu explicato, quid intentionale dicatur, hæc prædicata cognosci, & non cognosci, vt simul sine repugnantiâ verificari possint, non minorem distinctionem exposcunt ex parte subiectorum, quàm hæc produci, & non produci. Ex quo patet distinctionem rationis inter animal, & rationale, quæ non vera, sed solùm apparens distinctio est, nihilo magis prodesse, vt possit animal verè, & realiter produci, aut vniri, rationali non producto, aut vnito. Contrà tertiò. Quia, quo sensu dicuntur de subiectis prædicata contradictoria, eodem debent subiecta esse inter se distincta, vt talia prædicata de ipsis verificari valeant, vti *suprà q. 5.* contra Scotistas arguebam. Sed si animal obiectiuè à rationali præscinditur, in sensu omnino reali dicitur de animali cognosci, & de rationali non cognosci, vt constat ex dictis: ergo vt talia prædicata verificentur, realiter omninò debent animal, & rationale distingui, nec sufficit, aut quidquam præstat distingui per rationem, aut si realiter non distinguuntur, vt supponimus, cognosci animal, &

non cognoſci rationale impoſſibile eſt. Nec refert, quod alij reſpondent, eiuſmodi prædicata etſi realia, attamen extrinſeca eſſe: quia etiam remanent æque extrinſeca comparata ad animal ſolùm, de quo nihilominus ſecundum omnes verificari nequeunt, quia animal cognoſci ſimul, & non cognoſci impoſſibile eſt. Ad oppoſitionem namque contradictoriam nihil refert, quod ſint extrinſeca, vel intrinſeca contradictoria prædicata, dummodo ſit ſubiectum vnum, & idem, vt vel ipſi Logici ſciunt. Apud quos lex contradictoriarum enunciationum amplius non poſcit, quàm, quòd affirment ſimul, & negent idem de eodem. Tum contradictorias de prædicato extrinſeco neceſſariò ferre ſecum annexas alias de prædicato intrinſeco certiſſimum eſt; nempe his duabus, *Petrus cognoſcitur*: *Petrus non cognoſcitur*, annexæ ſunt iſtæ. *Aliqua cognitio Petri exiſtit. Nulla cognitio Petri exiſtit.* De quo plura *ſuo loco.*

342 Tertia ſolutio, ſuppoſitis quatuor modis dicendi per ſe enumeratis ab Ariſtot. *lib.* 1. *Poſt. cap.* 4. dicit. Per cognitionem de animali dumtaxat attingi animal per ſe quarto modo; atque ita etſi animal re ipſa, per ſe primo modo ſit rationale; in ordine tamen ad ſui cognitionem perinde ſe gerere, ac ſi rationale non eſſet; eodem quippè omnino modo per talem cognitionem attingeretur, etiamſi per impoſſibile re vera non eſſet rationale. Quemadmodum in ſententia ſatis communi, etſi cognitio, quâ Pater æternus cognoſcit ſe, cognitio ſit totius Trinitatis primo modo dicendi per ſe, at quarto modo dicendi per ſe ſolùm conuertit ad productionem Verbi in quantum eſt cognitio vel ſolius Patris, vt quidam volunt, vel Patris, & Verbi, non verò Spiritus ſancti, vt docuit Vaſq. ita, quod eodem modo procederet à Patre idem Verbum dato per impoſſibile, quod per Spiritum ſanctum non cognoſceret. Quo etiam pacto dici ſolet ſenſatio hominis à ſolâ animalitate eius procedere quarto modo dicendi per ſe; non item à rationalitate, quantumuis hæc cum animalitate re ipſâ ſit idem: eo, quod homo in quantum rationalis, ſed in quantum animal ſentit. Cæterùm doctrina, quam hæc ſolutio ſupponit, eamdem argumenti ſoluendi difficultatem patitur; imò euidentiùs illam patitur: quia clariùs cernitur repugnare, quod vna formalitas præ alia identificata ſecum, ſit cauſa per ſe à parte rei alicuius effectus, quàm, quod vna formalitas præ alia identificata ſecum tangatur à parte rei per cognitionem aliquam, quandoquidem magis intrinſecum, magiſque phyſicum prædicatum eſt eſſe cauſam per ſe, quam per cognitionem attingi. Itaque, ſi ex eo quòd animal ſit obiectum alicius cognitionis, cuius rationale non ſit obiectum, ſequuntur duo contradictoria ſimul vera, vt argumentum factum prætendit, quia animal & rationale re ipſâ ſunt idem; qui fieri poteſt, vt non etiam ſequantur ex eo, quòd animal ſit obiectum per ſe quarto modo alicuius cognitionis, cuius rationale non ſit obiectum per ſe quarto modo? quandoquidem æquè repugnat eſſe idem ſimul, & non eſſe obiectum per ſe quarto modo, atque eſſe idem ſimul, & non eſſe obiectum, vt patet. Certè doctrina Ariſtot. de quarto modo dicendi, ſeu cauſandi per ſe cum diſtributione accommoda capienda eſt, vt latiùs explico *ſuo loco.* Si enim ſermo ſit, vti eſt in præſenti, de cauſâ per ſe, quæ realiter, & phyſicè talis ſit, repugnat omnino, vt aliqua formalitas ſit cauſa per ſe alicuius effectus, cuius etiam non ſit cauſa per ſe omnis formalitas identificata cum illâ (loquor modo ſeclusâ virtuali diſtinctione, quæ inter aliquas dumtaxat formalitates Dei reperitur, iuxta doctrinam traditam *quæſt.* 6. iam citata) ex oppoſito enim duo contradictoria ſimul vera ſequerentur apertè, nempe idem ipſum comparatione eiuſdem effectus eſſe ſimul, & non eſſe cauſam per ſe. Si verò ſit ſermo de cauſâ per ſe, quæ talis ſit ſolùm formaliter ſeu noſtro modo concipiendi, tunc ſufficiet diſtinctio rationis formalitatum, vt altera cauſa per ſe in ſenſu formali, non item altera dicatur. Quo ſolùm ſenſu poteſt animalitas hominis præ rationalitate dici cauſa per ſe ſenſationis. Hic tamen ſenſus ad rem, de quâ modo tractamus, impertinens eſt: quia & ſupponit obiectiuam præciſionem formalitatum, & agit de rebus non prout ſunt ſolùm à parte rei: ſed prout à nobis concipiuntur. Ex quo patet nihilo magis per hanc ſolutionem, quàm per alias difficultatem argumenti emolliri. De ſententiâ autem commemorata Patris Vaſq. & aliorum circa productionem Verbi diuini ex his eiſdem principiis iudicium feram in materia de Trinitate.

343 Quarta ſolutio quorumdam Recentiorum eſt: quidquid à nobis cognoſcitur duplex habere *eſſe*; aliud phyſicum à parte rei; aliud intentionale in intellectu cognoſcentis, ab vno autem ad aliud non licere arguere, quia ex eo, quod animal, & rationale ſint idem quoad phyſicum *eſſe*, non ſequitur debere eſſe idem, quoad *eſſe* intentionale; quoad hoc enim cùm præciſiuè cognoſcuntur, diuerſa ſunt, atque adeò nihil vetat per vnam cognitionem cognoſci vnum, quin aliud per eamdem cognoſcatur. In hanc ſolutionem recidit alia aſſerentium animal, & rationale non cognoſci prout ſunt in ſe, ſed aliter, quàm in ſe ſunt, atque ita bene poſſe eſſe diſtincta prout in mente ſunt obiectiuè, quamuis prout ſunt in ſe à parte rei ſint idem. Vtraque hæc ſolutio verbo tenus ſcopum videtur veritatis attingere, vt ex dicendis apparebit; quoad ſenſum tamen ſuorum auctorum longè aberrat ab illo. Supponunt namque entitatem phyſicam animalis, & rationalis in ſe ipſa à nobis cognoſci, per cognitionémque transferri ab ſtatu phyſico ad ſtatum obiectiuum, ibique accipere illud *eſſe* diuerſum ab *eſſe*, quod habet re ipſa. Quo poſito, tota vis argumenti facti manet illæſa. Quoniam impoſſibile eſt entitatem phyſicam animalis transferri ad ſtatum obiectiuum, quin entitas rationalis, quæ eſt eadem pariter transferatur. Nec fieri poteſt, vt animal accipiat aliquod *eſſe* obiectiuum, quod non accipiat rationale, cum quo phyſicè eſt idem, aliàs eadem contradictio, quam obtendit argumentum, ſequetur. Tum ſtatus ille obiectiuus ſiue intrinſecè, ſiue extrinſecè accidit animali reali, vndecumque proueniat illi: ergo nequit non itidem accidere rationali, quod eſt idem cum animali, aut ſequetur eadem contradictio: ergo animal non poteſt poni ſub ſtatu obiectiuo ſine rationali; & conſequenter neque ſine illo cognoſci.

344 Mitto alias ſolutiones leuioris notæ, quæ ex dictis facilè reuincentur à quolibet. Omnes enim excogitabiles præter noſtram nox exhibendam, eo ipſo quòd ſupponant obiecta per cognitionem humanam tangi in ſe ipſis, & non in ſubſtituto alieno, vti nos arbitramur, in id neceſſariò debent recidere, vt concedant aliquod prædicatum ſiue intrinſecum, ſiue extrinſecum verè, & realiter conuenire vni formalitati reali, quin conueniat alteri re vera identificatæ cum illa. Pro quo ſemper argumentum factum recurrit inſtaurandum. Nam ſi animalitati

litati reali aliquid à parte rei verè conuenit siue intrinsecum, siue extrinsecum, siue physicum, siue intentionale, quod verè, & à parte rei non conuenit rationalitati reali, cum rationalitas, & animalitas verè, & à parte rei sint idem, conficitur planè eidem omninò prorsus indiuisæ entitati aliquid conuenire simul, & non conuenire verè, & realiter, quod sine apertâ contradictione constare non potest. Accedamus igitur iam ad solutionem nostram.

345 Pro quâ supponenda est tota doctrina *superius disp. 2. q. 3.* abunde tradita circa modum intelligendi nostri intellectus pro hoc statu. Statuimus ibi quidquid per sensus non ingreditur, ita per species alienas à nobis cognosci, vt non in se ipso; sed in phantasmate quodam sensibili, tanquam in substituto attingatur. Nihil enim non sensatum aliter, quàm per speculum creaturarum, & in ænigmate phantasmatum valemus in præsenti statu intelligere, iuxta Apost. 1. *ad Corinth.* 13. Itaque cùm primum intellectus noster vi principiorum ad aliquid concipiendum cuius non habet propriam speciem, mouetur eâ quam habet, promptitudine vtendi speciebus alienis obiectorum sensibilium, quas solas habet, easdemque innumeris propemodum modis miscendi, siue componendi phantasma quoddam obiectiuum, atque ex naturâ suâ sensibile pro natâ occasione rei cognoscendæ accommodatum sibi pro re ipsa substituit, vt sibi sit loco eiusdem rei in ordine ad cognoscendum de illâ quidquid notificant principia. Explicabamus hoc vtcunque *loco citato* exemplo imaginis materialis, quæ adeo esse solet nobis loco prototypi, vt de ea multa enunciemus, ac si esset prototypus ipse. Dicimus enim, signatâ imagine Alexandri. *Hic fuit Imperatorum potentissimus: maximam partem terræ sibi subiecit.* Tum signatâ imagine crucis dominicæ. *Ecce lignum crucis, in quo salus nostra pependit*, &c. Ad hunc ferme modum (nam simile non tenet in omni) se gerit intellectus noster circa phantasma illud, quod sibi subrogat pro re, quam apprehendere conatur, iudicans de illo, seu in illo; non tamen pro illo, sed pro re, cuius est substitutum, quidquid de ipsâ iudicandũ foret in ipsa, si in se per propriam speciem conciperetur; ita quidem vt assensus quantum ad suasionem, in quâ potissimum vis iudicatiua consistit, non in phantasma; sed in rem, pro quâ illud substituitur, feratur; attingens nihilominus illud, sed non pro illo, sed pro ipsâ re, quod est iudicare rem ipsam non in seipsa; sed in alieno substituto pro ipsâ apprehenso. Vide hanc doctrinam latiùs expositam, & multis argumentis probatam *loco citato*.

346 Ex qua, vt *ibi* etiam inferebam manifestè consequitur quidquid à nobis cognoscitur per species alienas, eodem omnino modo per apprehensionem apparere, siue repræsentari obiectiuè intellectui nostro, quo apparet phantasma subrogatum pro illo, quin imò cùm illud in se per apprehensionem non appareat; sed phantasma loco eius, ex eo solùm taliter, aut taliter apparere dicitur, quia phantasma per quod dumtaxat, tanquam per substitutum pro ipso apprehensum apparet, tali, vel tali modo obiectiuo repræsentatur; phantasma autem tale repræsentatur, & apparet, quale est in se, vnum, aut multiplex, diuisibile, compositum, magnum, aut paruum, cum hac, aut cum illa figura, &c. Sunt namque hæ omnes proprietates rerum sensibilium, quibus cum à sensibus percipi necessarium est, & phantasma illud, vt dixi, ex sua natura, & conceptu quid sensibile est, vtpote apprehensum virtute specierum propriarum rerum sensibilium.

Hinc iam se detegit, quâ ratione intellectus no- 347
ster præscindat obiectiuè; non enim præscindit, & secat res insectiles in se ipsis, sicut neque illas in se ipsis cognoscit, sed præscindit, & secat phantasma illud corporeum, & sectile, quod sibi pro aliis rebus veluti efformat, quodque sibi loco earum subrogat, & substituit; phantasma autem præscindi, & diuidi cognitione nihil prohibet, cùm sit in se quid corporeum, & diuisibile. A cuius subinde præcisione res ipsæ, pro quibus illud supponitur, præscindi etiam obiectiuè cum omni proprietate dicuntur, quia, quod non per se; sed per substitutum cognoscitur, quâ proprietate cognosci dicitur, eadem dicitur subire quæcumque suum substitutum participat à cognitione; constat autem ex doctrinâ datâ *loco citato* cum omni proprietate dici nos absolutè cognoscere quæcunque per alienas species cognoscimus, quantumuis cognitio hæc, vt *ibi* monstrauimus, per substitutum fiat modo proposito. Cæteroquin res ipsas insectiles in se ipsis cognitione præscindi impossibile est, vt argumentum factum, me quidem iudice, conuincit, & ex dicendis *q. 11.* amplius constabit. Modò, vt ad illud pro re præsenti in forma respondeam, & replicas, quæ fieri poterunt, pariter diluam.

Prænoto id, quod perdoctè obseruauit P. Suarez 348
*disput. 2. Metaph. sect. 2. n. 21.* voces, quibus ad res significandas vtimur, eodem modo se habere comparatione earum, ac se habent circa easdem conceptus nostri formales, seu cognitiones. Quippè vocibus vtimur ad explicandum, quod concipimus, non prout in se est, sed prout ex parte obiecti nobis apparet. Neq; enim fieri potest vt voces significent nobis res prout sunt in sese; aut imponantur à nobis ad illas ea ratione significandas; quando nos easdem res non possumus vt sunt in se percipere. Igitur sicut nostræ mentis cognitio, pro quâ vox subrogatur, dumtaxat cognoscit rem insensibilem per substitutum, nimirum per phantasma sensibile, ita vox ipsa rem eamdem per idem dumtaxat substitutum significat, ita, quod eius significatio ad phantasma sensibile terminatur, non quidem pro phantasmate ipso; sed pro re, cuius loco est. Quo fit, vt voces easdem induant proprietates, quas cognitiones; multiplicantur enim pro multitudine conceptuum obiectiuorum, danturque varia nomina eidem rei indiuisibili pro varietate obiectiuarum formalitatum eius oriunda à varietate phantasmatum ad cognoscendam illam substitutorum, &c.

Ex his ad argumentum positum *numer. 339.* res- 349
pondeo distinguendo maiorem. Hoc animal cognoscitur in se ipso cognitione A, nego. Cognoscitur in phantasmate substituto, concedo. Deinde minorem. Sed rationale est animal in se ipso, & à parte rei, concedo, in phantasmate substituto, nego; & nego consequentiam. Paterque ad syllogismum secundum propositum in argumento. Est dicere. Per cognitionem animalis attingitur phantasma quoddam, loco entitatis realis hominis, ipsaque entitas subinde cognoscitur in quodam phantasmate distincto ab eo, quod pro eadem entitate attingitur, & in quo ipsa cognoscitur per cognitionem rationalis. Ex vtroque autem coalescit tertium, sub quo dicitur cognosci homo. Quod, qua ratione fiat, paucis accipito ex pluribus, quæ *disput. 2. quæst. illa 3.* scripta relinquimus.

Experitur

350 Experitur quis sensationem nascentem ab entitate hominis eminus visâ, ex quâ sensatione lumine discursiuo, quo pollet, infert eiusmodi entitatem principium sensationis esse, quod est esse animal; quoniam verò ad id inferendum speciem propriam principij sensationis, non habet, vtens alienâ, phantasma quoddam sensibile subrogat, quod sibi est loco principij sensationis, & in quo subinde tanquam in substituto tale principium sensationis cognoscit. Et quia sensatio, quâ rationis sub experientiam cadit, solùm notificat quantum est ex se entitatem, à quâ nascitur, esse causam sui, non amplius; ideò phantasma illud vi talis notificationis conceptum dumtaxat & concipienti substitutiuè principium sensationis, non amplius. Quo fit, vt in illo dumtaxat possit iudicare intellectus entitatem illam procul visam esse animal, ignarus prorsus an sit homo, vel brutum. Quod tamen esset impossibile, si intellectus non in phantasmate substituto; sed in ipsomet attingeret tale sensationis principium; nam dato, quòd in eo etiam casu sensatio, si eodem pacto conciperetur, idem, quod modò, notificaret, quatenus est ex se, tamen intellectus nequiret aliunde non tangere, quidquid realiter esset tale principium sensationis, scilicet, quia nequiret præscindere, sicut dato, quod creaturæ tantùm notificent quantum est ex se Deum vt vnum, intellectus diuinus ex ipsis creaturis inductus, nequit aliunde non cognoscere Deum vt trinum, quia nimirum præcisiuus non est, vt dicemus, *in tit. de scientia.*

351 Dixi sensationem solùm notificare, quantum est ex se entitatem, à quâ nascitur, esse principium sui; non, quòd putem fieri posse, vt connexio per quam sensatio inducit ad cognoscendum suum principium, determinatè respiciat solam formalitatem principij, & non aliàs identificatas cum illâ, id enim repugnat, quia sequeretur respicere, & non respicere idem. Quod est contradictio; sed quia sensatio, quâ ratione sub experientiam cadit, solùm concipitur connexa cum aliquâ causâ sui, quæcumque illa sit. Proindeque ampliùs non exigit prout ita concepta, quàm, quòd sit principium sui illud, à quo nasci concipitur in ordine ad mouendum, determinandumue intellectum, vt illud intelligat, adeo vt eodem prorsus modo moueret, siue determinaret, etsi illud, à quo nasci cernitur amplius, quàm principium eius non esset, aut alia prædicata distincta ab iis, quæ re ipsâ habet, haberet. Pergat iam ille, & experiatur in illâ entitate, quam procul viderat ratiocinationem. Ecce pariter infert esse eam principium ratiocinandi, subrogato alio phantasmate diuerso à priori pro tali ratiocinationis principio, ex quibus duobus phantasmatibus apud ipsum obiectiuè coalescit homo. Et hic est modus, quo intellectus noster paulatim, & per partes, atque adeo præscindendo obiectiuè, intelligit, miro profecto Opificis summi Dei artificio.

352 Obseruare tamen oportet insuper maioris explicationis, atque vniuersalitatis gratiâ, duplex esse genus principiorum, quibus inducimur ad cognoscendum cum præcisione vnam formalitatem præ aliâ. Alia enim sunt principia doctrinalia; alia naturalia. Doctrinalia sum potissimum verba siue prolata; siue scripta, & vniuersim quælibet alia artificialia signa, quorũ significatio ab arbitrio hominum pendet. Naturalia autem voco cætera quæcumque naturâ suâ intellectum nostrum ad aliquid siue apprehendendum, siue iudicandum inducunt. Quæ quidem principia valde, quod ad rem attinet, inter se differunt; nam doctrinalia supponunt præcisionem iam factam per ipsam significationem artificialem, quam habent, aut certè per cognitionem præuiam; non vero inducunt ad eam faciendam, cùm significent res, non prout sunt in se ipsis, sed prout sunt obiectiuè in mente hominum, vt dicebam agens de vocibus *num.* 148. in mente autẽ hominũ iam supponuntur res præcisæ, vel nõ præcisæ. Quocirca de principiis his doctrinalibus nihil est amplius, quod ad propositũ dicamus. Principia verò naturalia reuera inducunt intellectũ nostrum ad præcisiones efficiendas suppositio modo cognoscendi, quem pro præsenti statu habet. Sed quomodo inducunt? Dico vniuersè cum notificant quantum est ex se vnam formalitatem præ reliquis. Notificare autem principia quantum est ex se vnam formalitatem præ reliquis, non est tribuere illi formalitati prout est à parte rei aliquam denominationem præ reliquis, aut illam in se ipsâ præ reliquis aliquo respectu respicere; hoc enim sæpe est impossibile ob argumentum factum. Sed est ita mouere intellectum ad subrogandum tale phantasma pro tali re, vt eodem modo, & ad eamdem subrogationem mouerent, etiam si talis res amplius non esset reuerâ, quàm dicta formalitas, siue talis subrogatio per simplicem apprehensionem præuiam ad iudicium fiat semper, vt ego autumo, de quo *suo loco*, siue fiat per iudicium ipsum, quod non interest ad rem. Ita enim subrogatione facta tota illa res apud cognoscentem amplius non est vi eius cognitionis, quam illa formalitas, quidquid sit amplius in se se. Tunc autem subrogatio fit dicto modo, quando intellectus prout talibus principiis instructus ad illam faciendam non dependet ex eo quòd res, pro qua subrogatur phantasma, sit aut non sit amplius in se, quàm ea formalitas, quæ per illud cognosci dicitur: eo quod eiusmodi principia, atque adeo potentia proxima intellectus ad talem subrogationem faciendam dumtaxat petunt, quòd talis res sit talis formalitas, non amplius; sit ipsa, vel non sit in se identificata cum aliis, De quo talis potentia, taliaque principia non curant. Quod est esse illa naturâ suâ ex se notificatiua vnius talis formalitatis præ aliis in phantasmate substituto.

Ecce regulam vniuersaliter determinantem, 353
quando principia mouentia, siue excitantia intellectum ad substituendum aliquod phantasma sensibile pro re insensibili solùm notificent, quantum est ex se vnam talis rei formalitatem præ reliquis, sub quâ regulâ tam comprehenduntur casus, in quibus formalitas cognoscenda per talem phantasmatis substitutionem pertinet ad consequens obiectiuum ex aliquo antecedente inferendum è quorum numero est casus, quem pro exemplo versamus de animali præcisiuè cognito, quàm casus, in quibus formalitas cognoscenda ad antecedens pertinet obiectiuum, ex ipsis terminis iudicandum. Quâ autem ratione in speciali, & quorum principiorum virtute fiant substitutiones phantasmatum ad cognoscenda tum principia scientiarum, tum ipsarum consequentia obiectiua *superiùs disp. 2. quæst. 3.* fusè explicatum est, vbi ad rem plura. Hæc modò satis sit indicasse pro diluendis iis, quæ contra doctrinam nostram possunt opponi.

Primum enim poterit aliquis obiicere. Præcisio- 354
nem, quam nos adstruimus, reuerâ non esse obiectiuam, aut certe non esse præcisionem vnius formalitatis ab alia identificata cum illa, de qua est

contro

controuersia, quandoquidem phantasmata illa, in quibus, iuxta doctrinam nostram, præcisio fit, nec sunt formalitates obiecti veri, quod in ipsis cognosci dicitur, nec sunt inter se identificata, sed re vera distincta. Respondeo tamen præcisionem, quam nos adstruimus, imprimis planè esse obiectiuam, siquidem omnino ex parte obiecti esse habet, quod & partibus distinctum, & ex eisdem compositum repræsentatur, ac apparet, cuiusque sæpe aliqua pars, ignotis aliis, innotescit. Deinde etiam præcisio formalitatum inter se identificatarum dici debet, non quidem, qua tales formalitates in se ipsis præcisæ sint, sed, quâ sunt præcisæ in phantasmatibus, in quibus tanquam in substitutis noscuntur. Nam ea ratione præscinduntur, qua cognoscuntur, nec aliter præscindi debent, quàm vt ea proprietate, quâ dicuntur obiecta cognita, eadem etiam dicantur obiecta præcisa. Præterea per huiusmodi præcisionem totum, quod est de re in præsente controuersia, componitur, quidquid sit de modis loquendi; nempe, quod & ea, quæ realiter sunt vnum, plurificata nobis appareant ex parte obiecti, & in re simplici aliquid cognosci, & aliquid indistinctum ab illo ignorari possit a nobis, vt experientia monstrat, & tamen ex his duobus nulla contradictio sequatur.

335 Dices non posse sine contradictione fieri, adhuc suppositâ nostrâ doctrinâ, quo vnum cognoscatur, & alterum ignoretur identificatum cum illo; atque adeo nec per illam expediri controuersiæ difficultatem, quæ in hoc potissimum puncto posita est. Vnde argumenta omnia, quæ nos contra Aduersarios cognoscimus circa tale punctum, in nos ipsos eadem vi retorqueri posse. Assumptum probare potes; primò, quia dum in illo exemplo de entitate hominis eminus visâ intellectus ad iudicandum esse eam animal substituit sibi phantasma animalis, siue principij sentiendi, pro vero, & reali animali subrogat illud: ergo illud itidem subrogat pro vero, & reali tationali, quod verè, & realiter idem cum animali reali est: ergo sub cognitionem animalis, qualis qualis illa est, non potest non eodem modo cadere rationale: ergo non præscinduntur. Secundò. Animal reale cognoscitur in illo casu, siue dicatur cognosci per substitutū, siue aliter, quàm in se est, siue quomodolibet. Sed animal, & rationale sunt idem: ergo rationale per eamdem cognitionem, eodemque modo debet cognosci. Tertiò. Id, quod intellectus intendit concipere per vtrumque phantasma animalis scilicet, & rationalis, quando vtrumque sibi substituit, est vnum quid, & indiuisum: ergo tantumdem concipit de entitate reali per vnum phantasma, quàm per vtrumque: ergo quando accedit secundum, nihil nouum cognoscitur de entitate reali, quod non fuerat cognitum per primum, & consequenter per primum solum tota entitas realis cognoscitur, quin aliquid eius ignoretur cognoscendum postmodum per secundum. Quartò. Eatenus dicitur entitas realis cognosci, quatenus cognoscitur phantasma, quod subrogatur loco illius. Sed phantasma animalis subrogatur pro tota, & eadem omnino entitate, quia ante subrogationem entitas quid prorsus simplex, & indiuisum est. Ergo, qua ratione cognoscitur entitas, ea ratione non potest non cognosci tota tam per phantasma animalis, quàm per phantasma hominis.

336 Vrgentia hæc fortasse, & efficacia contra nos aliquibus videbuntur obiecta; sed ea tamen in doctrina nostra verissimam solutionem habent, & solidam. Pro qua nihilominus penetranda, ac penitus percallendâ solertiâ, & acumine opus est, quia materia ipsa est subtilis, & valde implexa. Ad primum itaque, concedo antecedens, nempe in illo casu subrogare intellectum phantasma animalis pro vero, & reali animali; & distinguo primum consequens: ergo & subrogat pro rationali reali inductus principio notificante, quantum est ex se solum animal, concedo; inductus principio notificante itidem rationale, nego; & nego reliquas consequentias. Quoniam eo ipso, quòd intellectus ad subrogandum phantasma pro totâ illâ entitate, quam procul videt, mouetur sensatione notificante quantum est ex se dumtaxat principium sentiendi, iuxta doctrinam *paulò antè* statutam; tota illa entitas tali intellectui amplius non est in tali phãtasmate, quàm principium sentiendi, siue animal, phantasmaque ipsum non aliter illam refert, quàm si dumtaxat esset animal, eodem quippe modo referret illam, etsi re verâ ampliùs, quàm animal non esset. Quo fit, vt falsum sit absolutè sub cognitionem animalis eodem modo cadere rationale, ac ipsum animal; non, quod entitati reali, animalis conueniat à parte rei modus aliquis adhuc extrinsecus, qui non conueniat entitati rationalis, id enim repugnat: sed, quod tota entitas hominis respectu intellectus in casu posito nihil est ampliùs, quàm animal in phantasmate subrogato pro illâ. Vnde rursus efficitur, vt intellectus iudicans eam animal esse; ignorare nihilominus possit an sit rationalis, vel secus, donec succedat aliud phantasma in quo ipsamet vt rationalis, siue vt principium ratiocinandi repræsentetur.

Hinc ad secundum, concessa maiori, nempè cognosci animal in suo phantasmate vt in substituto; 337
distinguo minorem. Sed animal, & rationale sunt idem in se ipsis, concedo: sunt idem in phantasmatibus substitutis, nego; & nego consequentiam, nimirum per eamdem cognitionem, eodemque modo debere rationale cognosci, ac cognoscitur animal. Quoniam cùm quidquid cognoscitur per cognitionem animalis apud cognoscentem solùm sit animal, dici non potest per eam cognitionem eodem modo cognosci rationale, vtpote, quod apud cognoscentem aliud quid est ab animali nullatenus tactum per animalis cognitionem, quidquid sit de eo, quod sunt à parte rei in se. Hoc enim ipso, quod non cognoscuntur prout sunt in se, sed prout sunt in substitutis, in substitutis itidem ignorantur; atque ita sicut simpliciter est verum, positâ cognitione de animali cognosci animal reale, etsi hoc non in se, sed in substituto animalis cognoscatur: ita quoque simpliciter est verum, non stante cognitione de rationali, ignorari rationale reale, eo ipso, quòd ignoratur, seu non cognoscitur in substituto rationalis. Hoc enim nihil aliud est, quàm per cognitionem de animali, ita eam entitatem cognosci, vt apud cognoscentem solùm sit animal, non verò rationalis, qualis esset si cognosceretur insuper per cognitionem de rationali.

Ad tertium pariter distinguo antecedens. Id, quod 338
intellectus intendit concipere per vtrumque phantasma, animalis scilicet & rationalis, est vnum quid, & indiuisum in se, concedo; in phantasmatibus, nego. Deinde distinguo primum consequens. Ergo tantumdem concipit intellectus de entitate reali per vnum phantasma, quàm per vtrumque in ipsâ entitate, nego suppositum; quia entitas realis ab intellectu non concipitur in se ipsâ. In phantasmatibus, vbi ea verè concipitur, nego consequentiam: quia plus est apud cognoscentem entitas illa in vtroque phantasmate, quàm in vno, cùm in

vno

vno ſolum ſit animal, in vtroque animal rationale. Vnde tandem diſtinguo ſimiliter ſecundum conſequens. Ergo quando accedit ſecundum phantaſma, nihil nouum cognoſcitur de entitate in ſe ipsâ, nego ſuppoſitum, in phantaſmate nego conſequentiam: quia accedente ſecundo phantaſmate, iam illa entitas in ipſo rationalis apparet cognoſcenti, apud quem antea ſolùm animal erat. Ex quo patet per aduentum ſecundi phantaſmatis aliquid de entitate cognoſci, quod antea ignorabatur penitus; quia neque cognoſcebatur in ſe, neque in phantaſmate primo; in quo ſolùm cognoſcebatur id, quod in ipſo erat entitas cognoſcenti, erat autem non animal ſimul, & rationalis, vti in ſeipsâ eſt, ſed ſolùm animal. Vt hinc perſpicias obiter, quàm è communi omnium, ac veluti à naturâ inſitâ opinione noſtra doctrina eſt vulgò dicentium intellectum noſtrum pro hoc ſtatu cognoſcere aliter, ac ſunt in ſe ea, quæ per ſpecies cognoſcit alienas. Quid namque aliud eſt entitatem hominis eſſe cognoſcenti in phantaſmate dumtaxat animal, cùm in ſe ſit animal rationale, niſi eam apparere cognoſcenti, atque adeo ab illo cognoſci aliter, quàm in ſe ipsâ eſt?

359 Ad quartum denique concedo eatenùs cognoſci entitatem, quatenùs pro illâ cognoſcitur phantaſma loco ipſius ſubrogatum. Concedo etiam phantaſma animalis pro totâ entitate in ſe indiuisâ ſubrogari; non tamen vtcumque, ſed mouente ad id principio notificante ex ſe dumtaxat talem entitatem eſſe animal, iuxta *nnper* dicta. Nego verò ex his ſequi, quâ ratione cognoſcitur entitas, eâdem debere cognoſci totam, tam per phantaſma animalis, quàm per phantaſma hominis: quia cùm non cognoſcatur in ſe ipsâ; ſed in phantaſmatibus, id ſolùm de entitate cognoſci dicitur, quod ipſa entitas eſt in phantaſmatibus comparatione cognoſcentis, ex vi ſubſtitutionis, ſiue ſubrogationis eorum. Et quoniam in phantaſmate animalis, tota ipſa entitas ampliùs non eſt cognoſcenti, quàm animal: in phantaſmate verò hominis inſuper rationalis eſt; conficitur, per phantaſma animalis minus cognoſci de entitate, quàm per phantaſma hominis. Per primum namque ſolùm ſcitur eam entitatem eſſe animal, per ſecundum eſſe inſuper rationalem. Quod eſt per cognitionem terminatam ad primum præſcindi animal à rationali, atque adeo etiam ab homine.

360 Quorum omnium ratio à priori eſt. Quia hoc ipſo, quod intellectus noſter rem non in ſe; ſed in ſubſtituto cognoſcit, id ſolùm abſolutè, & ſimpliciter cognoſcere dicitur, quod res apud ipſum in ſubſtituto eſt obiectiuè, quidquid ſit amplius in ſe ſe: In ſubſtituto autem id tantùm eſt res apud cognoſcentem, quod ex ſe notificant principia ad cognitionem determinantia. Vnde, quoties principia ex ſe vnicam rei tantùm formalitatem notificant, vnica tantùm rei formalitas cognoſcitur in ſubſtituto vi eorum, non item reliquæ: quia tunc res comparatione cognoſcentis perinde ſe habet omninò, ac ſi eam vnicam dumtaxat formalitatem, non amplius haberet in ſe.

361 Quæ cùm ita ſint, iam facilè erit vnicuique, quælibet alia huiuſmodi, ſi forſam opponantur, diluere. Cætera verò, quæ opponi poſſent contra fundamentum, quo nitimur, de modo noſtro cognoſcendi per phantaſmata ſenſibilia loco obiectorum ſubſtitituta, ſatis, ſuperque complanata ſunt *ſuprà diſputatione 2. quæſt. 3.* Cuius hypotheſes de modo intelligendi noſtro omninò pro re præſenti ſunt recolendæ; mirum enim eſt, quanta cohærentia ex doctrinâ ibi traditâ tum aliæ multæ difficultates complanentur, tum maximè præſentis reſolutio naſcatur. Quæ quidem eo mihi minùs de falſitate ſuſpecta eſt, quò magis dependet ab illâ doctrinâ iamdudum à me excogitatâ, & ſtabilitâ, antequam de obiectiuis præciſionibus, deque hoc ſtrictiſſimo earum nodo ſoluendo cæpiſſem meditari. Porrò, quæ circa præciſionem animalis, & rationalis exempli cauſa dicta ſunt, cæteris quibuſque formalitatum præciſionibus tam in diuinis, quàm in creatis ſunt applicanda. Ex quibus iam etiam apparet, quomodo argumenta, quibus nos Aduerſarios torſimus, nullatenus in nos retorqueri valent.

## Cætera non præſcindentium argumenta ſoluuntur.

Tam leuia ſunt cætera, quæ contra obiectiuas 362
præciſiones opponi poſſunt, comparatione eorum, quæ ſtant pro ipſis, vt niſi argumentum potiſſimum, in cuius ſolutione ante hac diſtenti ſumus, obſtaret, nequaquam aliis permoti fuiſſent Recentiores ad præciſiones obiectiuas, tot experientiis refragantibus deferendas. Quod bene vidit Ouiedo *cont. 4. Metaph. punct. 8. citato*, dum reiectis reliquis argumentis, quæ contra præciſiones infert Hurt; dumtaxat in prædicto potiſſimo nititur ad illas negandas.

Arguit itaque Hurt. 1. *diſp. 6. Metap.* §. 106. 363
Diſtinctio ratitionis non eſt in obiecto, ſed in intellectu; eſt enim ipſiſſimus intellectus actus: ergo præciſio conceptuum non ſe tenet ex parte obiecti, ſed ex parte actuum intelligendi. Nego antecedens: quia ex diuerſitate actuum intelligendi præcisè nulla poteſt naſci diſtinctio rationis, niſi inſuper ex parte obiecti diſtincti appareant, ſiue repræſententur conceptus, qui aliàs in ſe reipsâ ſunt idem; vt conſtat ex dictis in hâc *q.* præſertim *à n. 265.*

Secundò arguit §. 109. Animal ante cognitio- 364
nem non eſt aliud à rationali: ergo nequit cognoſci aliud à rationali: ergo neque præſcindi ab illo. Conceſſo antecedente, diſtinguo conſequens: nequit cognoſci aliud à rationali, ſi cognoſcatur vt eſt in ſe, concedo. Si cognoſcatur vt à nobis cognoſcitur aliter, quàm eſt, ſiue in alio, tanquam in ſubſtituto, nego: & nego ſecundam conſequentiam.

Tertiò §. 122. arguit Hurt. auctoritate ſancto- 365
ràm Baſilij, & Anſelmi, qui videntur aſſerere ea, quæ mente diuidi, aut ſeparari poſſunt, re ipsâ quoque eſſe ſeparabilia ſaltem à Deo. Ergo à contrario, quæ reipsâ indiuiſibilia ſunt, non poſſunt mente ſeparari, aut præſcindi. Verùm argumentum hoc, ſi quid probat, probat vtique hos Patres omnem negare diſtinctionem rationis inter obiecta realiter identificata, ſiue ea ex parte obiecti, ſiue ex parte actus eſſe dicatur, cuius diſcriminis ne meminerunt ipſi quidem. Id, quod præſertim præ ſe ferre videntur verba Anſel. *in Proſol. cap.* 18. ita cum Deo loquente. *Imò tu es ipſa vnitas nullo intellectu diuiſibilis.* Aſt nullo modo per noſtram rationem diſtinguì, quæ realiter idem ſunt, alienum eſt à ſententiâ certiſſimâ, non ſolùm Theologorum; ſed etiam Patrum, vt vidimus *q.* 8. Reſpondeo ergo Baſilium, & Anſelmum intelligendos eſſe de ſeparatione, ſiue diuiſione mentali factâ per iudicium firmum, & verum, quo quis non temerè, ſed verè iudicet vnum non eſſe alterum, aut alterum ſine altero manere poſſe; non verò de ſeparatione, aut diuiſione non iudicatâ, ſed apprehenſâ ſolùm inter formalitates eiuſdem entis, in quâ diſtinctio rationis, & obiectiua præciſio poſita eſt. Et quidem dum-

taxat

taxat voluisse Anselmum omnes perfectiones diuinas realiter esse vnum, & idem, vti ipsum explicat Vasquez 1. *part. disput.* 116. *cap.* 4. verba quæ subiunxit, declarant. *Ergo vita & sapientia, & reliqua non sunt partes tui, sed omnia sunt vnum.* Quàm autem Basilius pro nobis sit ex verbis eius relatis *suprà num.* 271. constat. Iam verò, dum propter sola verba Anselmi relata absolutè pronunciat Hurtad. §. 126. contra Sanctorum doctrinam esse præcisiones obiectiuas admittere in Deo, ponderasse vtique debuisset, iuxta argumentum à nobis factum *suprà à num.* 265. quam ægrè absque obiectiuis præcisionibus, retentâ proprietate verborum, possit defendi distinctio rationis, quam Concilium Florent. & omnes Patres vnanimiter admittunt in Deo. Quod si Concilia, & Patres dum distinctionem rationis ponunt in Deo, ne meminerunt quidem, an illa fiat, vel obiectiuè præscindendo, vel aliter; vt §. 156. dicit Hurt. quo iure Basil. & Anselm. specie solùm tenus eamdem distinctionem negantes præcisionis obiectiuæ meminisse dicuntur?

366 Quartò insuper argumentatur Arriaga *disputat. illa* 5. *Logicæ numer.* 31. Cognitio intuitiua non præscindit, vt Thomistæ fatentur: ergo nec abstractiua. Concesso antecedente, nego consequentiam, quia cognitio intuitiua tangit obiectum, vt est in se, abstractiua verò aliter quàm est in se, & vt apparet in substituto. Quo fit, vt hæc præcisiua esse possit; illa verò non item, vt constat ex dictis.

367 Quintò arguit idem *num.* 32. & 38. Ideo dicitur cognitio abstractiua præscindere, quia per illam ita cognoscitur obiectum, vt non possit reddi ratio de omnibus prædicatis: sed id ipsum euenit in cognitione intuitiuâ coloris eminus visi non discernente, quis color ille sit; & tamen hæc non est præcisiua: ergo absque fundamento idoneo adstruuntur præcisiones. Respondeo ex doctrinâ traditâ *suprà à n.* 309. quoties, quis ita obscurè videt colorem, vt nequeat eius intellectus vi talis visionis diiudicare, quis ille color sit; cùm tamen clarè iudicet obiectum visum esse colorem, esse accidens, esse ens, &c. huiusmodi iudicia sine vsu specierum alienarum ab intellectu nequaquam fieri: quibus interpositis, iam non est, vnde repugnet præcisio obiectiua. Itaque in huiusmodi casibus per apprehensionem intuitiuam immediatè oriundam à sensibus totum, quod re ipsâ est obiectum, apprehenditur ab intellectu, sicut & à sensu absque vllâ præcisione: inde tamen progreditur intellectus ad iudicandum abstractiuè, vel discursu facto, vel aliter, quidquid iudicat de obiecto apprehenso: quo fit, vt bene possit iam præscindere aliqua prædicata eius ab aliis. Quod, quâ ratione fiat, minutiùs explicatum est *suprà disputatione* 2. *quæst.* 3.

368 Sextò argui potest ex ipso Arriaga *num.* 42. prout ipse rursus argumentatur 1. *part. disputatione* 9. *citata num.* 4. Rusticus cognoscit hominem, & nescit an sit animal rationale; & tamen apud omnes est certum conceptum obiectiuum definitionis, & definiti esse idem omninò, nec posse definitum à definitione obiectiuè præscindi. Ergo malè arguunt præscindentes, Videns animal à longè ignorat an sit rationale: Ergo præscindit obiectiuè animal à rationali. Noto primò, vt respondeam, ex doctrinâ *suo loco* fusiùs tradendâ, definitionem aut posse dari per partes intrinsecè constituentes definitum vel metaphysicè, vel physicè; aut per passiones ipsi adiacentes, vel metaphysicè vel physicè. Noto secundò fieri posse vt quis, aut præ nimiâ rusticitate, aut aliâ de causâ, auditis verbis, non apprehendat eum conceptum obiectiuum, quem illa significant; sed aliud quidpiam. Hinc respondeo accidere posse primò, quòd, quis cognoscens definitum dicat se ignorare definitionem obiectiuam, non, quòd illam re verâ ignoret; sed, quòd putet per definitionem vocalem aliud quidpiam significari. Secundò, si definitio data sit per passiones definito adiacentes, bene potest fieri vt quis cognoscens definitum, re verâ ignoret definitionem; hoc tamen casu, si passiones sint metaphysicæ, præcisionem faciet obiectiuam. Sic apprehendens hominem conceptu entis siue substantiæ habentis talem externam figuram, vti plerumque apprehendunt rustici, bene poterit præscindendo obiectiuè aut ignorare, aut non aduertere an sit animal rationale. Tertiò, si definitio data sit per partes physicas definiti, bene etiam poterit, cognito definito, definitio ignorari, sed cum præcisione obiectiuâ à prædicato distinctionis positiuæ ipsarum partium, iuxta doctrinam iam *aliàs* datam in simili. Quartò denique, si definitio data sit per partes metaphysicas definiti; tunc, qui definitum adæquatè cognouerit, nequibit definitionem ignorare: quia in tali casu idem est formaliter definitum, & definitio ex parte obiecti, dumtaxátque differunt penes confusum, & distinctum earumdem formalitatum conceptum, iuxta dicenda *postmodum*. Et hic est casus, in quo loquuntur Auctores, cùm communiter asserunt definitum & definitionem ex parte obiecti non distingui formaliter. Ex quibus patet per argumentum factum nihil adferri contra nos.

Septimò denique, & fortasse vrgentiùs potest 369
opponi. Si ex parte obiecti à nobis præscindunt formalitates, necessariò sequitur esse eas ex suo conceptu aliquid pro sus chimericum, & impossibile. Ergo neutiquam dicendæ sunt ex parte obiecti à nobis præscindi. Consequentia est bona, quia dici non potest sapientiam Dei, iustitiam, omnipotentiam, &c. Tum animalitatem, & rationalitatem hominis esse conceptus chimericos, & impossibiles, vt patet. Probatur igitur antecedens. Quia cùm à parte rei sapientia diuina idem prorsus sit cum iustitiâ, hoc ipso, quod ego concipio sapientiam à iustitiâ distinctam, non concipio veram sapientiam diuinam, quæ re ipsâ est, sed aliam fictitiam. Dici enim nequit distinctionem dumtaxat fingi, extrema distincta non item. Quoniam distinctio positiua extremorum, de quâ sermo est, & à quâ habent extrema distincta esse plura, siue re ipsâ, siue obiectiuè in mente, nihilo prorsus differt ab ipsis extremis; se enim ipsis, & non per aliud superadditum, sunt sic distincta quæuis extrema. Ergo repugnat huiusmodi distinctionem esse fictitiam, & non esse extrema fictitia; quin imò esse talem distinctionem fictitiam, & esse fictitia extrema distincta idem formalissimè est. Hoc argumentum mihi demonstrat vniuersè esse impossibilem veram distinctionem rationis (qualis solùm est obiectiua, vt *in superioribus* ostendi) inter formalitates realiter identificatas, si obiecta in se ipsis, & non in substitutis alienis, per cognitionem attingantur. De quo succedet sermo *infrà q.* 12. Quemadmodum si in dictis substitutis cuncta insensibilia non tangimus, pro certo habeo omnes conceptus vniuersales prorsus esse chimericos, de quo *alibi*. Quocirca huiusmodi argumentum

potiùs confirmat meam doctrinam, quàm illam impugnet, iuxta quam in prõptu est eius solutio. Respondeo itaque sapientiam, & iustitiam diuinam verissimas formalitates esse ex conceptu suo, etiamsi nobis obiectiuè distinctæ appareant, quia cùm in se non cognoscantur;sed in substitutis,neque in se,sed in substitutis ipsis repræsentantur nobis distinctæ, nihil autem vetat esse in substitutis, prout sunt obiectiuè in mente distincta ea, quæ in seipsis, prout sunt à parte rei, sunt idem. Etenim cùm sapientia,& iustitia apud cognoscentem sint obiectiuè in substitutis aliud ab eo,quod sunt in se (nam hoc est,vt sæpè notauimus,aliter,quàm in se sunt,cognosci) bene possunt esse apud cognoscẽtem obiectiuè distinctæ, etsi à parte rei in seipsis sint vnum, & idem. Quod fieret, si in se,& non in substitutis cognoscerentur; tunc enim,si verè ipsæ cognoscerentur, id ipsum,& non aliud deberent esse in mente obiectiuè ab eo, quod sunt in se, nequirentque proinde esse obiectiuè in mente distinctæ, quandoquidem in se sunt idem. Quomodo autem per substituta aliena per se nobis repræsentata verè nihilominus res in se non tactæ cognoscantur;eo quòd illa etsi per se,non tamen pro se,sed pro ipsis rebus apprehenduntur,diffusè explicatum est *suprà disp.2.q.illa 3.citata*.Mitto alia leuiora, quæ opponi possent, aut etiam solent,& ex dictis, atque dicendis facilè ab vnoquoque poterunt dilui.

## Consectaria quædam doctrinæ in præsenti quæstione traditæ.

### *Consectarium 1.*

370 In iis, quæ per species proprias, atque adeo per se,& in se;non verò per substitutum,in substitutove cognoscuntur, neutiquam locum habet præcisio obiectiua.

Quia,quæ in se ipsis cognitione attinguntur,non possunt non tangi eodem modo,quoad omnia, quæ re ipsâ sunt, vt probat haud dubiè potissimum non præscindentium argumentum propositum *n.* 339. De quo plura *q.*11.

### *Consectarium 2.*

371 Distinctio rationis,quâ per intellectum nostrum formalitates realiter identificatæ distingui dicuntur, re verâ ex parte obiecti se habet, neque alia est à distinctione phantasmatum, quæ pro ipsis formalitatibus,siue pro re,cum quâ sunt idem,modo explicato subrogantur.

Nisi,quòd respectu phantasmatum realis potiùs, quàm rationis dicenda videtur, quatenus phantasmata ipsa entia quædam realia possibilia sunt realiter inter se diuersa:respectu verò formalitatum,quæ ab illâ denominantur distinctæ, distinctio rationis dici debet, non quidem ficta;sed suppositicia, iuxta doctrinam traditam *suprà disput.2. q.3.* vbi ad rem plura videnda sunt. Quomodo autem præter huiusmodi suppositicium distinctionem alia insuper omninò ficta inter formalitates præcisas possit excogitari *ibidem* docuimus,& iterum *in hac disp. q.*8. vbi etiam posuimus simile distinctionem rationis suppositicium pro arbitrio solùm ratiocinantis fabricari posse per subrogationem plurium phantasmatum, in quibus idem omninò obiectum multiplicatum repræsenteturjeo tamen casu nulla erit præcisio formalitatum obiectiua,vt iam iam explico.

### *Consectarium 3.*

372 Vt quælibet res in plures formalitates præscindi obiectiuè dicatur, non satis est, quòd pro illâ plura phantasmata subrogentur; sed insuper est necessarium vt certus modus subrogationis interueniat.

Etenim si singula principia,quæ mouent ad subroganda pro eadem re plura phantasmata,quantum est ex se tendunt ad diuersum quid in tali re notificandum, tunc in singulis phantasmatibus aliquid rei; non verò tota cognosci dicitur: fitque subinde circa ipsam obiectiua præcisio. Ita euenit, cum per sensationem visam deprehendit intellectus esse animal id, quod videt sentire; & rursus per ratiocinationem deprehendit pariter id ipsum esse rationale. Sensatio quippè tantùm notificat ex se animal; ratiocinatio tantùm rationale, iuxta doctrinam datam *suprà à numer.*350. Quo fit,vt per primam cognitionem pars tantùm illius rei, per secundam autem pars altera cognoscatur, per vtramque verò simul res ipsa, quasi coalescens, siue composita ex ipsis duabus partibus repræsentetur.Quando verò ex vi singulorum principiorum, vnde plurium phantasmatum pro eâdem re subrogatio prouenit, idem ipsum in tali re notificari intenditur: tunc non obiectiua præcisio, sed eiusdem rei, aut formalitatis vel diuersa conceptio, vel multiplicatio continget. Diuersa quidem conceptio, si singulatim, & successiuè talium phantasmatum subrogatio fiat; multiplicatio autem si simultaneè, & pro eâdem mensurâ. Sic cùm animam Diui Petri modò per speciem cuiusdam flammæ, modò per speciem cuiusdam nebulæ pro arbitratu concipio, nihil ex parte obiecti præscindo; sed idem ipsum adæquatè diuersis modis apprehendo. Cùm verò eamdem animam vel sub eisdem, vel sub aliis phantasmatibus simul in diuersis locis existentem aspicio, non vna; sed multiplex mihi repræsentatur. Quo casu sine obiectiuâ præcisione distinctio illa rationis ratiocinantis efficitur, cuius mentionem faciebam *numer. præcedent.* Ex quibus patet distinctionem rationis ex parte obiecti se habentem, prout debet, iuxta dicta *à numero 265.* alteram præcisiuam, alteram non præcisiuam esse, quarum prima rationis ratiocinatæ; secunda verò rationis tantùm ratiocinantis est. Quomodo autem subrogatio phantasmatum alia primaria sit,alia secundaria, abundè explicatum est *suprà disput.2.quæst.3.* Vtrum autem absque subrogatione phatasmatum ab iis, qui per proprias species cognoscunt,aliqua distinctio rationis effici possit, *quæst.*12. determinabitur.

### *Consectarium 4.*

Præcisio obiectiua duplex est. Aliam appellant 373
negatiuam,aliam positiuuam.

Negatiua dicitur, quando conceptâ aliquâ rei formalitate, reliquæ penitus ignorantur, siue non concipiuntur; vt quando de entitate procul visâ cognosco esse animal, ignorans an sit rationalis. Positiua autem vocatur: quando conceptis simul duabus, aut pluribus eiusdem rei formalitatibus, quælibet à reliquis ex parte obiecti præcisa, siue distincta repræsentatur. Ego verò vniuersalius arbitror debere fieri hanc diuisionem, vt magis scientificè fiat. Dico itaque, sicut distinctio realis alia est absolutè existens re

re ipsâ, quando existunt ambo extrema distincta: alia semiexistens re ipsâ, quando alterum tantùm extremorum existit, iuxta diuisionem traditam *suprà quæst.* 2. Ita distinctio rationis alia est absolutè, siue adæquatè existens in mente, quando ambo extrema simul repræsentantur distincta: alia semiexistens in mente, quando alterum tantùm extremorum concipitur. Vtraque autem aut erit præcisiua, si talia extrema sint partes totius metaphysici, aut non præcisiua, si secus. Sicut & distinctio realis, aut inter partes totius physici, aut inter non partes versatur. Quomodo autem extrema per rationem distincta, veri nihilominus conceptus obiectiui maneant, tametsi in mente appareant ex parte obiecti distincta, cùm realiter idem sint *superius n.* 369. explicatum est.

## *Consectarium* 5.

374 Præcisio obiectiua potissimùm sit inter actus, quos significant verba, quique iudiciorum nostrorum obiecta sunt, iuxta dicta *disput.* 2. *quæst.* 4. tum inter se, tum cùm subiecto, atque etiam cum termino comparatos.

Subiectum quippè omnium actuum, qui de eâdem re prædicantur, vnus, & idem conceptus obiectiuus est, vt plurimum, prout *ibidem* etiam statutum est. Modò tamen, iuxta doctrinam huius quæstionis sic, vel ipsâ praxi potest ostendi. Pone hominem, qui solo lumine naturali ductus ita discurrit; visis creaturis inducitur ad iudicandum existere aliquam rem, à quâ illæ habent esse, & quia sine duobus saltem conceptibus obiectiuis, quorum alter per modum actus, alter per modum subiecti talis actus concipiatur, nihil iudicare potest, vt etiam *loco citat.* ostendimus, dum iudicat rem illam existere, duas in illâ formalitates obiectiuè præscindit, quarum altera actus existendi, altera eiusdem actus subiectum est. Pergit, & de eâdem re iudicat posse causare creaturas, quandoquidem causat, sicque supra idem subiectum adiicit actum primum potentiæ ad causandum. Deinde ne progressum infinitum admittat in causis, iudicat rem illâ carere causâ sui, addendo eidem subiecto actum negatiuum carentiæ causationis passiuæ. Hinc rursus pergit, & iudicat eamdem rem per se subsistere, atque adeò substantiam esse, addito eidem subiecto actu subsistendi per se, pariterque discurrendo, & nouum semper actum eidem subiecto superaddendo, iudicat talem rem viuere, & posse viuere, intelligere, & posse intelligere, velle, & posse velle, & cætera huiusmodi. En quomodo obiectiua præcisio tum inter singulos actus, & subiectum cunctis commune, tum inter actus ipsos versetur. Ex quo fit, vt dum ex quolibet eorum actuum, & subiecto veluti ex materiâ, & formâ concretum metaphysicum altero diuerso, naturalissimoque nostro concipiendi modo componitur, iuxta doctrinam traditam etiam *loco citato*, ita plura, & diuersa concreta inter se præcisa, siue distincta obiectiuè proueniant, vt tota ipsorum pluralitas, diuersitas, præcisio, siue distinctio penes formas, siue actus dumtaxat sit; materia enim, siue subiectum eorum omnium concretorum eadem ex parte obiecti formalitas est. Quod sicut in exemplo posito, ita & in reliquis euenit, vbicunq; plures actus, pluraque concreta metaphysica eidem rei, cum quâ identificantur, conueniunt. Nec refert, deprehenso nouo actu eiusdem subiecti, vt nouâ passione eiusdem essentiæ, sæpe subiectum ipsum melius, & propriùs, quàm anteà, atque adeo diuerso conceptu concipi, prout diximus alibi, quia hoc non fit mutando formalitatem obiectiuam; sed eamdem diuerso modo concipiendo, subrogato scilicet diuerso phantasmate ad notificandum idem ipsum ac antea, iuxta dicta *num.* 372.

Dixi verò subiectum omnium actuum cuiusque 375
rei vt plurimùm idem esse, quia interdum vnus actus solet esse subiectum alterius, vti euenit in transcendentibus. Sic enim de omnipotentiâ, vt de subiecto prædicatur quod potest existere, quòd existit, &c. & in cæteris pariter. Ex quibus omnibus palam est, quâ ratione præcisio obiectiua ab intellectu nostro fiat in metaphysicis concretis, & eorum abstractis, tum inuicem, tum seorsim inter se comparatis.

## *Consectarium* 6.

Actus etiam ipsi, quos verba significant, suas 376
in se præcisiones obiectiuas patiuntur ab intellectu nostro.

Quia sæpè etiam concipimus aliquam actus formalitatem obiectiuam, aut ignari penitus, aut immemores aliarum, quæ identificantur cum illâ. Primum enim actus, aut aliquæ eorum formalitates à prædicatis transcendentibus entis, boni, distincti, &c. tanquam eorum subiecta possunt, & solent obiectiuè præscindi, iuxta dicenda *q.* 10.

Deinde idem actus penes distinctas attingentias, 377
aut distinctorum subiectorum, quorum est actus, aut distinctorum terminorum, ad quos terminatur, distinctas formalitates obiectiuè à nobis præcisas subire solet. e. g. quando eadem actio à duabus causis egreditur, à nobis solet cõcipi prout est actio vnius, quin concipiatur prout est actio alterius. Pariterque quando duo effectus per eamdẽ actionem fiunt, ea prout terminata ad vnum; non verò item prout terminata ad alterum intelligi solet à nobis. Quod est præscindere nos obiectiuè in huiusmodi actionibus attingentiam, quâ illæ vnum subiectum, aut vnum terminum attingunt ab attingentiâ, quâ attingunt alterum; cùm tamen istæ attingentiæ realiter sint idem. Duo tamen in hoc casu adnotanda sunt. Primum non semper ob distinctionem subiectorum, aut terminorum præscindere nos in eodem actu eas duas attingentias; sed tantùm cùm iudicamus, aut iudicabilem apprehendimus talem actum per iudicia distincta relatè ad distincta subiecta, aut ad distinctos terminos seorsim. Cùm enim illum aut iudicamus, aut iudicabilem apprehendimus per vnicum iudicium relatè ad vtrumque subiectum, aut vtrumque terminum indiuisim, tunc vt vna indiuisa formalitas indiuisim tãgens aut vtrumq; subiectum, aut vtrumque terminum ille concipitur; quia plura vt plura non per vnum, sed per plura iudicia veniunt à nobis iudicanda, iuxta doctrinam stabilitam *disp.* 2. *q.* 3. Alterum adnotandum est: duas attingentias formaliter distinctas in eodem actu, quando eas præsciindimus; similes intrinsecè euadere, quando actus eodem modo intrinseco tangit, aut vtrumque subiectum, aut vtrumque terminum; etiamsi termini, aut subiecta dissimilia sint inter se: quia dissimilitudo intrinseca actuum, seu formalitatum eiusdem actus tantùm desumitur ex diuerso, siue dissimili modo intrinseco tendendi eorũ, vt apparebit ex dicẽdis.

Enimverò tunc plures formalitates diuersas, siue inter se dissimiles in eodẽ actu præscindimus, quando in eo ea, quam intellectus noster habet, virtute præcisiuâ plures diuersos tendẽdi modos intrinsecos ipsi

actui considerabimus, siue relatè ad idem subiectum, & terminum; siue ad distincta, eaque siue inter se dissimilia, siue similia. Sic in eadem cognitione eiusdem subiecti, & obiecti præscindimus formalitatem genericam cognitionis, in quâ omnes cognitiones sunt similes, à formalitate iudicatiuæ, quâ differt iudicium à simplici apprehensione, tum formalitatem intuitiuæ, quâ iudicium intuitiuum differt ab abstractiuo, &c. Similiterque in eodem amore eiusdem subiecti, & obiecti præscindimus formalitates actus amoris, desiderij efficacis, &c. Sic etiam in eadem actione præscindimus formalitatem actionis, quâ agens agit à formalitate passionis, quâ passum patitur: quia ea entitas actionis diuerso modo sibi intrinseco respicit agens, & passum. Quocirca actio eductiua diuersa est, siue dissimilis actioni creatiuæ, quia licet in ratione actionis sint similes; eductiua tamen dicit insuper formalitatem passionis à formalitate actionis dissimilem. Eodem iure diuerso etiam modo obiectiuo ob diuersitatem saltem partialem phantasmatis substituti concipimus quemlibet actum quatenus respicit subiectum, ac quatenus respicit terminum; eo quod actus intrinsecè habet diuersum modum attingendi subiectum, & terminum. Ob id enim dicebamus *suprà disp. 2. quæst. 4. hypothes. 3.* actum non posse non concipi à nobis, quasi adhærescentem subiecto, ipsumve tangentem intrinsecè, siue immediatè vt exercitium quoddam eius: cum tamen sæpe concipiatur respiciens eminus terminum, cuius vt talis exercitium non est. Ex quo etiam sequitur actum actiuum, quo agens agit, & passiuum, quo effectus fit, realiterque sunt prorsus idem, apud nos diuersos subire conceptus obiectuos ob diuersitatem phantasmatum, in quibus apparent; atque ita obiectiuè distinctos, præcisosque à nobis cognosci. Denique eadem de causâ plures, dissimilesque formalitates partimur in actu diuersis modis respiciente, aut plures terminos, aut plura subiecta. e.g. in actu amoris, quo volumus alicui bonum, formalitates beneuolentiæ, atque concupiscentiæ præscindimus, quarum prima in personam, secunda in bonum ei amatum, diuersis tamen modis tendunt, &c.

379 Itaque tunc formalitates à nobis in eodem actu præcisæ non solùm obiectiuè distinctæ, sed etiam obiectiuè dissimiles inter se euadunt, quando illæ diuersi quidam modi sunt ipsi actui intrinseci, & cum illo identificati, quibus ille diuersimodè dicitur respicere extrema, quæ se ipso intrinsecè, & essentialiter respicit, quæcunque demum sint talia extrema siue eadem, siue similia, siue dissimilia inter se. Quemadmodum plures actus integri distincti physicè dissimiles inter se sunt præcisè ex diuersis modis, quos habent tendendi in extrema, quæ respiciunt, quantumuis hæc aut inter se similia, aut etiam eadem sint, vt patet in actibus cognitionis, & amoris eiusdem subiecti, & obiecti.

380 Sed quid, quando distincti actus, aut distinctæ formalitates eiusdem actus eumdem modum intrinsecum habent tendendi in extrema dissimilia, euadentne tunc inter se dissimiles à dissimilitudine extremorum, quæ suapte essentiâ respiciunt? Respondeo, minimè, vt *nuper* dicebam. Ratio efficax est, quia sæpè idem actus, aut eadem actus formalitas respicit dissimilia extrema; & tamen ab eorum dissimilitudine non euadit à se dissimilis, quia id est impossibile: ergo dissimilitudo extremorum non valet inrrinsecam dissimilitudinem aut formalitatibus, aut actibus, quorum respectum terminant, communicare. Etenim si idem actus amoris in duo obiecta dissimilia feratur eodem modo, non ob id erit dissimilis à se ipso, vt constat; cur ergo erunt dissimiles duo actus tendentes in ea duo obiecta etiam eodem modo?

Obiicies tamen illicò. Actus specificantur à 381
terminis, & à subiectis, vtpote, quæ per suam essentiam respiciunt: ergo quando termini, aut subiecta diuersa sunt, aut dissimilia, nequeunt non esse actus specie diuersi, atque adeo dissimiles. Distinguo antecedens. Specificantur extrinsecè, concedo: intrinsecè nego. Et pariter consequês: nequeũt non esse specie diuersi extrinsecè concedo, intrinsecè nego. De quo vide dicenda *infrà disp. 16.* Et quidem vel ipsâ experientiâ videtur apertè notum, actus per idem verbum significatos semper apparere nobis intrinsecè similes, quantumuis dissimilium subiectorum, aut ad terminos dissimiles sint, vt cernere est, cùm sic iudicamus: homo videt albedinem, videt nigredinem, videt lucem, &c. Angelus amat, homo amat, Deus amat, &c.

Ex quibus liquido apparet, quomodo nos in 382
in actibus obiectiuè præscindamus formalitates, & quales. Omnem autem obiectiuam præcisionem actuum, quemadmodum, & aliarum rerum in phantasmatibus substitutis, in quibus illi nobis apparent, fieri, quâ ratione *in superioribus* explicuimus, indubitatum est: quia de actibus, quod ad rem attinet, perinde ac de cæteris rebus philosophandum est, vt constat.

## *Consectarium 7.*

Iuxta connaturalem modum, quem cognoscendi habemus, in subiectis, & terminis actuum præcisè vt talibus rarò fiunt à nobis præcisiones formalitatum. 383

Imprimis enim ex eo quòd plurium actuum sint subiectum, aut terminus, præcisionem formalitatum non subeunt; siquidem eadem indiuisa formalitas connaturalissimè est subiectum omniũ actuum conuenientium eidem rei, vt vidimus *consectar. 5.* Similiterque in eumdem simplicem terminum connaturaliter plures actus possunt confluere, vt quando eadem simplex formalitas terminat tum cognitionem sui, tum amorem, tum identatem alterius eiusdem rei, tum distinctionem aliarum, tum productionem sui, tum alios huiusmodi actus seu physicos, seu metaphysicos. Nec refert, quando idem actus tangit plura subiecta, aut plures terminos fundamentum præbere vt plures in eo distinguamus formalitates, iuxta dicta *n. 377.* ad hoc, vt dicendum sit pariter, quando idem subiectum, aut terminus plures actus tangit, præbere etiam fundamentum, vt plures in eo formalitates distinguamus. Discrimen est primò; quia in actu ideò plures distinguimus formalitates in casu posito, quia illum pluribus iudiciis iudicamus, aut iudicandũ apprehẽdimus relatè ad ea plura subiecta, aut plures terminos, vt dicebamus *loc. citato*, præcisio autẽ formalitatum ad iudicia nostra ordinatur. At subiectum, & terminus, quâ talia non sunt obiecta idonea nostri iudicij; tametsi ad illud iuuent, vt statuimus *disp. 2. quæst. 4.* Ob idque pluralitas iudiciorum non arguit pluralitatem subiectorũ, aut terminorum, vti arguit actuum. Secundò est discrimen; quòd actus se ipso intrinsecè, & essentialiter attingit subiectum, & terminum, proindeque plures attingentiæ consideratæ

in

in actu plures formalitates sunt intrinsecæ eius. At subiectum, & terminus semiextrinsecè tan ùm dicuntur attingere actum sibi semiextrinsecè coëxistentem: proindeque plures attingentiæ in subiecto, & termino nõ sũt in ipsis plures formalitates intrinsecæ, sed plures denominationes semiextrinsecæ. In quibus conceptis etiam per modum actus in infinitum syncategorematicè potest intellectus noster procedere, & connaturaliter solet, vt sæpè *alias* notamus in præsenti opere. Dum enim concipimus animam e.g. corpori vniri, actum vnionis concipimus, & dum concipimus animam attingere talem vnionem, alium actum interpositum attingentiæ concipimus, rursusque si concipiamus animam tali attingentiæ subiici, alium actum subiectionis concipimus, & comparatione huius alium, & sic sine fine, manente semper conceptu animæ tanquam subiecto in se indiuiso omnium istorum actuum.

384 Dixi autem in consect. *in subiectis, & terminis prædicè vt talibus*, quia si aggregatum ex pluribus formalitatibus aliunde inter se præcisis, siue distinctis obiectiuè aliorum actuum superuenientium fiat subiectum, aut terminus, vt fieri potest; tunc in tali subiecto, aut termino plures erunt formalitatum præcisiones factæ; tamen non quia subiectum est, aut terminus talium superuenientium actuum, sed aliâ de causâ anteriore, vt satis ex se est notum.

385 Dixi etiam in subiectis, & terminis vt talibus rarò fieri formalitatum præcisiones, iuxta nostrum connaturalem intelligendi modum, quia in aliquo, aut aliquibus casibus extraordinariis benè possunt fieri, vt si fingamus subiectum, aut terminum physicè indiuisibilem ex pluribus partibus quasi integrantibus, & homogeneis metaphysicè, seu per rationem nostram esse compositum: tales enim partes formalitates erunt talis subiecti, aut termini, quarum nulla respectu aliarum actus sit. Ex quibus omnibus iam palam est, quo pacto circa omnem rem, omnemve conceptum excogitabilem præcisiones obiectiuæ formalitatum fiant, aut fieri possint, aut secus.

## *Consectarium 8.*

386 Quoties in eâdem re plures formalitates ex parte obiecti præcisas, distinctasque concipimus, totidem etiam ex parte intellectus distinctas cognitiones habemus.

Constat ex doctrinâ statutâ *suprà disp. 2. quæst. 3. consect. 2.* vbi probauimus non posse à nobis pro statu præsenti concipi plura vt plura, nisi per plures cognitiones. Recognoscantur dicta *ibi*.

387 Vnde rursus infertur, quot sunt partes extensionis phantasmatis sensibilis, atque corporei, in quo nobis repræsentatur vnaquæque formalitas, totidem partes etiam extensionis habere intellectionem, quâ talem formalitatem concipimus. De quo item *loco citato* plura sunt dicta. Videantur.

388 Illud ad extremum quæstionis est adnotandum. Quoties formalitates diuinæ virtualiter inter se distinguuntur, iuxta doctrinam stabilitam *q. 6.* eò quòd illis prædicata ex se contradictoria conueniunt, subrogationem phantasmatum pro eis à nobis concipiendis diuerso modo fieri; ac fit pro aliis formalitatibus, vbi distinctio eiusmodi non intercedit; phantasma enim, sub quo apprehendimus Paternitatem e. g. non subrogatur pro totâ entitate Patris, sed pro solâ Paternitate, vt virtualiter ab essentiâ distinctâ; cùm tamen phantasma animalis identificati cum homine pro totâ entitate hominis subrogetur, iuxta dicta *à n. 356.* & in cæteris pariter. Etenim cùm Paternitas, & essentia apprehendantur à nobis in ordine ad attribuendum illis diuisim per iudicium nostrum comparatiuum ea prædicata contradictoria, quæ illis diuisim etiam re verâ conueniunt, non possunt non perinde distingui virtualiter in ordine ad nostram apprehensionem, ac distinguuntur in ordine ad prædicata ipsa. Alioquin quemadmodum de animali posito pro subiecto possumus prædicare saltem identicè, quidquid realiter conuenit rationali; eo quod phantasma animalis pro totâ hominis entitate substitutum est; Sic etiam de Paternitate positâ pro subiecto possemus saltem identicè prædicare, quidquid realiter conuenit essentiæ ob eamdem rationem. Quod tamen falsum est & absurdum. Itaque formalitates diuinæ virtualiter inter se distinctæ, etsi eodem modo, ac reliquæ à nostro intellectu præscindantur, quod attinet ad præcisionem ipsam; quod attinet tamen ad fundamentum præcisionis ab aliis differunt, quatenus in ordine ad illud perinde se habent, ac si essent entitates distinctæ verè, & formaliter à parte rei. Quomodo autem per visionem sui intuitiuam non præscindantur, & consequenter relatè ad illam distinctione virtuali non egeant, quâ egent in ordine ad alia munia *q. 11.* explicabitur. Vbi ad rem plura.

---

# QVÆSTIO X.

## *Vtrum circa prædicata etiam transcendentia intellectus noster tum in diuinis, tum in creatis obiectiuè præscindat?*

SVpponit hæc quæstio id, quod suam habet controuersiam à nobis *infrà* dirimendam *disp. 17.* dari scilicet aliqua prædicata tam in Deo, quàm in creaturis ita transcendentia omnes formalitates rei, cui conueniunt, vt de singulis non solùm in sensu identico; sed etiam in sensu formali cum veritate prædicentur. Cuiusmodi sunt in Deo esse æternum, immensum, incorruptibilem, & similia. In creaturis, & in Deo etiam esse ens, verum, bonum, & alia id genus. De quibus supposito modo, quòd sint transcendentia non solùm quoad nomina; sed quoad conceptus obiectiuos per nomina significatos, vt communis opinio fert: quærimus an præscindantur obiectiuè ab illis formalitatibus, quas dicuntur transcendere? Procedit autem quæstio ex suppositione, quod circa alia prædicata non transcendentiâ, præcisiones obiectiuæ sint admittendæ ob peculiarem difficultatem, quam circa transcendentia habere videntur. Neque verò nunc nobis disputandum est, an possit dari singulorum transcendentium vna ratio abstracta ab omnibus inferioribus, & illis communis. De quo agemus *infrà dictâ disp. 17.* Sed an in qualibet re singulari conceptus transcendens à conceptu, quem transcendere dicitur, obiectiuè sit præscindibilis, sicut conceptus non transcendens ab altero non transcendente præscindibilis est. 389

Negabunt haud dubiè, quotquot negant vnam rationem communem transcendentium prædicatorũ ad inferioribus abstrahi posse, vt sunt Caiet. Vasq. & alij *q. citatâ* referendi. Ex reliquis verò Petr. Hurt. 390

*disput. 9. Logicæ sect. 4. subsect. 3. disput. 2. Metaph. sect. 3.* præsertim à *num. 39.* Arriag. *disp. 11. Logicæ quæst. 1.* Ouied. *contron. 1. Metaph. punct. 5.* & alij Recentiores docent admissis præcisionibus obiectiuis dicendum esse prædicata transcendentia inadæquatâ solùm, seu potius non mutuâ præcisione præscindi posse à formalitatibus, quas transcendunt, non verò mutua, & adæquata, quali præscindi dicuntur alia, quæ non sunt transcendentia. Itaque dicunt formalitatem entis e. g. à formalitate rationalis in homine benè posse præscindi; formalitatem verò rationalis à formalitate entis non item. Similiterque in Deo formalitas boni, æterni, immensi, & aliæ huiusmodi à formalitate intellectus præscindi poterit: hæc verò ab illis minimè. Est autem in præsenti sermo dumtaxat de prædicatis transcendentibus metaphysicè, quâ ratione *ens*, *verum*, *bonum*, & alia huiusmodi omnes formalitates rerum dicuntur transcendere. De aliis namque generibus transcendentium prædicatorum, si quæ dantur, præsens controuersia non est. Vide dicenda *infrà disp. 17. q. 20.*

## *Propositio 1.*

391 De facto prædicata metaphysicè transcendentia tum in Deo, tum in creaturis eodem modo seruatâ proportione, atque non transcendentia, mutuaque præcisione præscinduntur ab intellectu nostro.

Itaque sicut in homine animal mutuò præscinditur à rationali; sic ratio entis ab eodem rationali mutuò præscindi potest. Et sicut concretum *animal*, quod est potens sentire, ex duabus formalitatibus mutuò inter se præcisis coalescit, nempe ex potentiâ ad sentiendum, & ex subiecto talis potentiæ, iuxta dicta *n. 374.* ita concretū *ens* sumptum, prout modo sumitur, pro potente existere, ex duabus formalitatibus mutuò etiam inter se præcisis coalescit, nempe ex potentiâ ad existendum, & ex subiecto talis potentiæ. Eo differt concretum *ens* à concreto *animal*, quòd hoc vnicum est in homine coalescens ex subiecto communi aliis concretis, & potentiâ sentiendi, & ideo transcendens non est. Illud verò pro multitudine formalitatum hominis multiplicatur, & ideo est transcendens; quia nulla est formalitas in homine, quæ etiam vt præcisa à reliquis non sit formaliter potens existere per potentiam, non quidem in se imbibitam; sed sibi adiacentem; quæque subinde non sit subiectum, ex quo, & ex tali potentiâ resultet quoddam concretum ens. Cùm tamen sola formalitas subiecti communis prædicti sit formaliter potens sentire per potentiam pariter sibi adiunctam; non item aliæ formalitates. Quo tandem fit, vt in homine tot possint concipi concreta entis formaliter inter se præcisa, quot possunt concipi formalitates præcisæ pariter inter se; cùm tamen vnicum solum concretum animalis sit conceptibile. Vt hinc perspicias transcendentiam non per inclusionem, vt vulgò putatur, sed per adiectionē formalitatis transcendētis ad eas, quas dicitur transcendere, fieri; optimèque cum hoc componi, quòd aliæ formalitates transcendentes, aliæ non transcendentes sint. Vt enim aliqua formalitas sit transcendens, solùm requiritur, quod ea in sensu formali prædicetur de omnibus, & singulis formalitatibus, quas transcendere dicitur. Adhoc autem nullatenus est necessaria inclusio prædicati in subiecto, quia, vt constat ex vniuersali doctrinâ tradita *suprà disp. 2. q. 4. sect. 4.* Hæ propositiones: *rationalitas potest existere: rationalitas est potens existere* verissimæ sunt in sensu formali; & tamen in vtraque potentia ad existendum, quæ formalitas transcendens est, per modum actus, seu formæ adiacentis ipsi rationalitati tanquam subiecto prædicatur. Iste enim est naturalissimus modus, & necessarius nobis pro hoc statu iudicandi, vt *in eadem q. 4.* & sæpe *alibi* docuimus. Adiicere scilicet subiecto actum significatum per verbum, tanquam quid ei accrescens, & superadditum, siue id per verbum ipsum fiat, siue, quod eidem æquiualet, per participium, vel nomen adiectiuum interposito verbo *esse*. Iuxta quem iudicandi modum impossibile est, quod transcendentia metaphysica prædicatorum per inclusionem fiat, vt constat, & ampliùs constabit ex dicendis tum *in hac quæst.* tum maximè *disput. 17. q. 20.* vbi de hoc puncto ex professo futurus est sermo. Idem autem, quod de ente sumpto pro potente existere diximus, eodem modo locum habet in ente sumpto pro existente, quia existentia seu in abstracto, seu in concreto eodem omninò modo est transcendens formalitates rei existentis: atque potentia ad existendum formalitates rei potentis existere. Eodemque subinde modo de vtraque *in præsenti quæst.* philosophandum est. Igitur his pro explicatione propositionis suppositis, quæ etiam eodem modo locum habent in cæteris huiusce generis transcendentibus prædicatis siue creatis, siue diuinis.

Probo propositionem primò ex modo commemorato, quam iudicandi habemus, iuxta quem non possumus non præscindere ex parte obiecti actum significatum per verbum à subiecto, cui talem actum siue per verbum ipsum, siue per participium verbi, aut per nomen adiectiuum tribuimus. Cùm enim prædicata transcendentia aut semper, aut plerumque saltem sint actus significabiles per verbum, nequibunt non titulo isto ea à subiectis, quæ transcendunt, obiectiuè præscindi, vt vniuersè arguebamus *suprà quæst. præced. num. 320* Sic cùm dicimus, sapientia Dei existit à se, siue est ens à se, prædicatum essendi à se præcisum à sapientia Dei, & ei superadditum concipimus. Quod autem hæc præcisio sit mutua probatur primò; quia repugnat actum essendi à se repræsentari distinctum obiectiuè à sapientia, & quod sapientia non repræsentetur distincta obiectiuè ab ipso actu, vt patet, ampliúsque patebit ex dicendis *propos. 2.* Secundò, quia sæpe contemplantes sapientiam Dei, an ea sit ens à se, vel secus, nullatenus meminimus: ergo præscindimus attentione nostrā sapientiam à prædicato essendi à se. Tertiò, quia si conceptus sapientiæ ab actu existendi à se non esset præscindibilis, hæc propositio *sapientia est existens à se* synonima esset, & nugatoria; faceret enim hunc sensum. *Sapientia existens à se est existens à se.* Verùm de hoc plura *infrà propos. 2.* 392

Infertes. Ergo sapientia formaliter non est ens à se; atque adeo prædicatum essendi à se non transcendit sapientiam. Distinguo consequens sapientia formaliter non est ens à se per formam essendi à se ipsam constituentem intrinsecè, concedo; ipsi superadditam, nego: quod satis est vt talis forma dicatur transcendens, iuxta dicta. Instabis. Ergo eodem iure actus volendi, & alij quique reperti in Deo dici poterunt transcendentes; quia eodem modo, quo sapientiæ superadditur per iudicium actus essendi à se, poterit actus volendi, & quilibet alius superaddi. Nego consequentiam, & probationem. Quia sapientia ex conceptu suo non habet exerceri per actum volendi, sicut habet per actum essendi à 393

se,

se, vt pluribus explicandum est *infra disputatione 17. quæst. 20.*

394 Secundò probatur propositio. Quia si intellectus noster non præscinderet obiectiuè, mutuoque actum transcendentem à suo subiecto, neutiquam posset illum de subiecto ipso negare, vt sæpe negat. Etenim hæ duæ propositiones, e. g. *Petrus non existit. Petrus existens non existit*, sublatâ præcisione obiectiuâ eosdem omnino terminos obiectiuos haberent: ergo sicut nemo sanæ mentis potest assentire posteriori, vtpote euidentissimè falsæ, ita neque posset priori. Fieretque vt de nullâ re verè non existente possemus existentiam negare. Tum vt omnis propositio negans cuicumque rei existentiam apertè esset falsa, semper enim hunc sensum faceret. *Res existens non existit.* Quæ planè sunt absurda. Adhæc propositiones istæ. *Petrus non existit. Ioannes existit*, non essent de materiâ contingenti, vt citrà omne dubium sunt, quia æquiualerent his: *Petrus existens non existit. Ioannes existens existit*, quarum prima de materiâ remotâ, seu impossibili; Secunda de materiâ necessariâ est, etiam citra omne dubium. Nec putet quispiam huius argumentationis robur infringi exemplo Beatorum, qui absque præcisione vllâ obiectiuâ iudicant nihilominus vt quid contingens de re existente, quòd existit, & de re non existente, quòd non existit. Quoniam Beati non iudicant, sicut nos, multiplicando terminos, attribuendóque prædicatum subiecto apprehenso, aut illud ab hoc remouendo, sed simplici intuitu penetrando obiectum, sicut est in se. Proindéque illi ad iudicandas propositiones obiectiuas prædictas non egent præcisionibus obiectiuis, vt nos egemus, prout argumen tum factum probat.

395 Tertiò probari potest propositio omnibus ferè argumentis, quibus *quæst. præced.* probauimus præcisiones obiectiuas in vniuersum. Hic namque imprimis, quæ ab experientiâ petita sunt, eumdem, imo potentiorem locum habent saltem quantùm ad præcisionem, quâ prædicata transcendentia à subiectis, quæ transcendunt, præscindi possunt. Cùm enim transcendentia prædicata ob maiorem suam vniuersalitatem non transcendentibus sint vt plurimùm notiora, crebriùs eueniet in omnibus casibus, vnde argumenta huiusmodi sumpsimus, quod aliquod prædicatũ transcendens cognoscatur, ignotis aliis eiusdem entis, quodque subinde obiectiuè præscindatur ab illis, quàm, quod id ipsum eueniat in prædicato non transcendente. Quapropter dicta argumenta à Lectore sunt recolenda, & huc applicanda, à nobis tamen minimè repetenda. Quantum ad præcisionem verò mutuam subiectorum à prædicatis transcendentibus, quam, priori admissâ, negant Auctores *num.* 390. citati; hæc accipito experimenta. Sæpè contingit cognosci aliquid à nobis, & ignorari an illud sit distinctum ab alio, aut sit idem cum illo, e.g. euidenter scimus habere nos potentiam intelligendi, & volendi, an verò tales potentiæ sint ab animâ, & inter se distinctæ, an verò cum animâ, & inter se identificatæ, euidenter non scimus; & tamen distinctio, & identitas ex prædicatis sunt transcendentibus, vt constat: Ergo præscindimus ab eiusmodi prædicatis subiecta, quibus illa conueniunt. Sæpè de aliquo quoad alia cognito ignoramus, aut dubitamus an sit accidens, vel substantia, vt in exemplo de potentiis animæ cernere licet; & tamen hæc prædicata transcendentia sunt: ergo præscindimus ab eis subiectum. Multi cognoscentes Deum, negarunt ipsum esse vbique: Ergo præscindebant substantiam Dei ab eius immensitate, quæ ex prædicatis transcendentibus est. Sæpe etiam passim de rebus cogitamus, & loquimur immemores prorsus prædicatorum transcendentium earum: ergo eas ab illis præscindimus. Mitto alia experimenta, quæ ad rem poterit quisque excogitare. Per hæc enim sufficienter conuincitur obiectiuam præcisionem transcendentium mutuam posse esse, quod ampliùs constabit ex dicendis *propositione sequenti.* Adde pleraque etiam alia argumenta aliunde, quam ab experientiâ deducta *quæst. præced.* pro præcisionibus obiectiuis in vniuersum tam transcendentibus, quàm non transcendentibus communia esse, mutuamque vtrumque præcisionem obiectiuam probare, vt ipsa consideranti patebit.

Sed obiici potest ex Recentioribus citatis. Prædicata transcendentia vsque ad vltimas rerum differentias transcendunt: Ergo hæ nequaquam possunt sine illis concipi, atque adeo neque ab illis præscindi. Distinguo antecedens, transcendunt vsque ad vltimas differẽtias per inclusionem in illis, nego: per adiectionem ad illas, concedo, & nego consequentiam. Dicent, hoc non esse transcendere; Distinguo iterum: non est transcendere, vt ipsi concipiunt transcendentiam, transeat; vt debet secundum veritatem concipi, nego; ea enim, quam ipsi concipiunt, metaphysica transcendentia impossibilis prorsus est, vt amplius patebit ex dicendis *dictâ quæst. sæpe citatâ, disputatione 17.* 396

Deinde obiici potest. Semel admissâ præcisione obiectiuâ mutuâ in prædicatis transcendentibus, necessariò admittendus est progressus infinitus formalitatum: at hic est impossibilis: ergo & illa. Probatur maior in existentiâ creaturæ, vbi hoc argumentum maiorem vim videtur habere, opponiturque ab Arriag. *disput. 2. Metaph. sect. 4.* Quoniam si essentia per existentiam à se obiectiuè præcisam concipitur à nobis existens, nec aliter potest; ipsa existentia titulo indifferentiæ, quam habet vt concipiatur existens, aut purè possibilis, nequibit à nobis concipi existens, nisi per aliam existentiam à se præcisam obiectiuè, de quâ idem dicendum sequitur, & sic in infinitum. Hoc argumentum pariter fieri potest contra Arriagam ipsum, & contra omnes, qui confitentur, neque negare possunt, aliquam distinctionem rationis inter essentiam, & existentiam, siue ea sit obiectiua, siue formalis, quod non interest ad rem. Si enim essentia nequit concipi existens nisi per existentiam à se per rationem distinctam, ipsa existentia eodem titulo nequibit concipi existens nisi per aliam existentiam à se per rationem distinctam, & sic in infinitum. Contra me tamen nihil præstat argumentum propositum, qui in formalitatibus vltrò admitto progressum syncategorimaticè infinitum, non categorematicè. Puto enim illud connaturalissimum esse modo, quem iudicandi habemus, & concipiendi, nec vllum secum ferre incommodum. Si enim huiusmodi progressus passim in physicis admittimus, quidni in intentionalibus admittemus? Nemo namque mirari debet, quod possit intellectus noster post vnam formalitatem conceptam concipere aliam, & post hanc aliam, & sic deinceps sine fine quando ipse intellectus, sicut & aliæ causæ huiusmodi post vnum effectum a se causatum potest causare alium, & sic deinceps sine fine. Vide ad rem plura *infra disputatione 17.* 397

## *Propositio 2.*

Præcisio obiectiua non mutua prædicatorum transcendentium 398

cendentium metaphysicâ transcendentiâ omninò impossibilis est.

Probatur primò ; quia si formalitas entis siue potentis existere, seu potiùs potentia ipsa ad existendum abstractè sumpta potest obiectiuè præscindi à rationalitate Petri e. g. cui re ipsâ conuenit, poterit quidem concipi obiectiuè distincta ab illâ, ita vt ex parte obiecti duo quædam diuersa sint respectu cognoscentis dicta potentia , & rationalitas. Est clarum : quia hoc ipso, quòd potentia existendi præscinditur à rationalitate ( siue eam præcisione negatiuâ, siue positiuâ præscindi dicas, iuxta diuisionem traditam *num.* 373. ) non potest non esse formalitas ex parte obiecti a rationalitate diuersa ( alioquin idem esset cognitionem tangere potentiam existendi, & tangere rationalitatem , quo cessaret præcisio ) ergo si perseuerante cognitione de potentiâ existendi, accedat alia de rationalitate , nequibunt non illæ apparere inter se diuersæ, & consequenter inter se distinctæ obiectiuè , quia idem à se ipso diuersum apparere non potest : hoc autem ipsum est apparere ipsas mutuo inter se distinctas, siue præcisas, vt constat. Repugnat ergo potentiam existendi esse obiectiuè præscindibilem à rationalitate , quin hæc vicissim ab illâ obiectiuè præscindibilis sit.

399 Dices. in casu posito non posse non potentiam existendi bis cognosci , semel per cognitionem sui præcisiuam, & iterum per cognitionem rationalitatis, in quâ imbibitur ; atque ita, etsi rationalitas à tali potentia vt cognita per cognitionem præcisiuam appareat ex parte obiecti distincta, absolute tamen non apparet ab illâ præcisa , quia aliunde imbibit illam in se. Bene. Sed contrà primò : ergo potentia existendi à rationalitate non præscinditur obiectiuâ præcisione , quæ verè , & propriè talis sit, sed tantùm duplicata concipitur in rationalitate scilicet, & extra. Contra secundò. Ideo per te rationalitas non est absolutè dicenda præscindi à potentiâ existendi , etsi repræsentetur ab illâ , vt extra se apparet, distincta, quia aliunde ipsam retinet imbibitam in se: Ergo eodem iure, ideo potentia existendi non est absolutè dicenda præscindi à rationalitate , etsi extra illam concipiatur , quia aliunde remanet in ipsâ imbibita. Contrà tertiò. Ergo duæ potentiæ existendi conueniunt rationalitati formaliter distinctæ inter se, quarum altera adæquatè est à rationalitate præscindibilis , altera nullo modo. Quod vtrumque contra Aduersarios est. Vnde rursus contra eosdem efficitur potentiam existendi à rationalitate præcisam non esse transcendentem, quæ autem rationalitatem transcendit , ab illâ impræscindibilem esse, quandoquidem non potest non semper intra illam manere. Quo iure Caiet. Vasquez & alij ,omnimodam transcendentiam abnegant abstractionem, seu præcisionem. Contra quartò. Vel potentia existendi imbibitur in rationalitate per inclusionem tanquam pars in toto , vel per identitatem. Si vt pars in toto. Ergo ab alterâ comparte erit præscindibilis mutuo, cessabitque transcendentia per inclusionem in vltimis differentiis. Si per identitatem, eadem omnino formalitas obiectiua erunt rationalitas, & potentia existendi, quo omnimodis cessat præcisio obiectiua vnius ab alterâ, quia idem à se ipso adæquatè non est præscindibile. De quo plura *infra dicta q.* 20. *disp.* 17.

400 Secundò probatur propositio. Id totum, per quod formaliter rationalitas est potens existere, separatur per præcisionem ab illâ: Ergo factâ præcisione nihil potentiæ ad existendum remanet in rationalitate. Consequentia est bona ; quia vndecunque extrahitur integrè aliquid, nihil eius remaneat ibi, necesse est. Antecedens supponitur ab Aduersarijs, & potest probari ; quia id totum , iuxta ipsos præscinditur à rationalitate, in quo rationalitas conuenit cum aliis entibus, conuenit autem in toto, per quod formaliter est potens existere , vt constat . Ergo rationalitas non potest non esse æquè præscindibilis à potentiâ existendi, atque hæc ab illâ præscindibilis est. Patet hæc consequentia, quia cognitio tangens rationalitatem , aut , id quod restat post præcisam potentiam existendi ab illâ , nihil in ipso tanget potentiæ existendi, quod est plenè eam præscindere à potentiâ existendi.

Dices , licet vnde aliquid integrè abstrahitur 401
physicè, ibi nihil remaneat eius ; at in abstractione intentionali longè aliter euenire : quia nihil vetat tangi per cognitionem totam potentiam existendi, quam habet rationalitas, sine rationalitate ipsa, & tamen non posse per cognitionem tangi rationalitatem sine potentiâ ipsa existendi. Sed contra. Aut per cognitionem tangentem totam potentiam existendi cognoscitur integrè rationalitas ; aut aliquid tantùm eius cognoscitur , & aliquid ignoratur. Si primum ; nulla fit præcisio , & destruitur casus, in quo procedimus. Si secundum : Ergo id , quod de rationalitate ignoratur, non claudit in se potentiam existendi, & redit argumentum factum. Probo consequentiam, quia repugnat tangi per cognitionem totam potentiam existendi, & aliquid ignorari potentiæ existendi ; ignoraretur autem si in eo, quod ignoratur, potentia existendi includeretur, vt cõstat.

Si dicas per cognitionem præcisiuam tangi to- 402
tam potentiam existendi, & nihilominus totam manere inclusam in residuo rationalitatis ignoto per talem cognitionem. Contrà tamen manifestè : quia dum per cognitionem præcisiuam tangitur tota potentia existendi , aliud est manere nihilominus totam eam potentiam inclusam in rationalitate prout cognitâ per aliam cognitionem simul tunc existentem, aliud manere inclusam in residuo, quod ignoratur, nullâ aliâ existente cognitione, vt ponimus in casu præsente. Primum possibile est, vt *supra* supposuimus , quia nihil est aliud , quàm cognoscere bis totam potentiam existendi semel extra rationalitatem per vnam cognitionem , & iterum intra per aliam. Vt si rationalitas ipsa semel extra hominem , & iterum intra conciperetur. Secundum verò omnino repugnat ; quia si id , quod adæquatè ignoratur , seu non cognoscitur per cognitionem præcisiuam , includeret in se potentiam existendi per ipsam cognitam, talis potentia simul cognosceretur, & non cognosceretur , quæ sunt contradictoria. Vide id in cognitione præcisiuâ animalis, quâ posità repugnat vt ignoretur integer homo includens animal quoad totum , quod includit ; quia ignoraretur simul, & non ignoraretur animal ; quæ est contradictio ; eatenusq ; solùm subinde dicitur, cognito solo animali, ignorari homo, quia ignoratur rationale, sine quo homo cognosci nequit. Si igitur cognitâ per cognitionem præcisiuam totâ potentiâ existendi, quam habet rationalitas, aliquid rationalitatis manet omnino, & adæquatè ignotum, conficitur id in se talem potentiam non includere, sed adæquatè etiam esse condistinctum ab illâ & consequenter mutuo ab eadem præscindibile , si vt sic per cognitionem alteram cognoscatur.

Obiiciunt Recentiores *suprà* citati. Animal po- 403
test præscindi non mutuo ab homine ; quia potest cognosci sine homine , homo verò sine animali, non item. Ergo nihil mirum , si prædicata transcendentia

cendentia sint præscindibilia non mutuò à subiectis, quæ dicuntur transcendere. Nego antecedens, si de propriâ præcisione sit sermo, quia animal propriè nequit præscindi ab homine, nisi præscindatur à se incluso in homine, à se autem propriè præscindi non potest; estò bis possit concipi, & obiectiuè multiplicari, vt constat ex dictis. Animal igitur solùm à rationali præscinditur propriè, eoque solum titulo, cognito animali, potest homo ignorari; quia potest rationale ignorari, cùm tamen homo includens vtrumque sine vtroque cognosci nequeat. Adde repugnare, quòd animal sit cognoscibile sine homine, non verò è contrà, quin sit in homine aliquid, à quo animal mutuo sit præscindibile, vt ex dictis compertum est. Vnde per hoc, quòd prædicata transcendentia cognoscibilia sine subiectis asserantur, & non vice versâ, non efficitur esse ea præscindibilia non mutuò ab omni formalitate contentâ in talibus subiectis, imò à nullâ, à quâ propriè possunt præscindi, sunt non mutuo præscindibilia, vt ex dictis etiam est notum. Ex quo patet, quàm debile sit argumentum sequens, in quo maximè Aduersarij nituntur.

404 Obiiciunt enim sic. Non repugnat, quòd vnum possit sine alio, & tamen hoc non possit vicissim cognosci sine illo, vt in relatione, & termino licet videre, terminus enim sine relatione bene concipi potest; relatio verò sine termino minimè. Ergo non repugnat, quòd prædicatum transcendens possit concipi sine differentiis, & tamen differentiæ non possint concipi sine illo. Sed hoc ipsum est prædicatum transcendens præscindi à differentiis non mutuò: ergo. Minorem hanc, in quâ est totum argumenti momentum, tanquam per se notam sine probatione relinquunt; cùm tamen ea falsissima sit. Quod vt euidenter inspicias, nota solerter, independentiam non mutuam quoad cognitionem ex triplici omnino independentiâ non mutuâ obiectorum enasci posse, nempe ex independentia non mutuâ quoad relationem, quoad inclusionem, & quoad identitatem. Ex quibus in postrema dumtaxat, si ea esset possibilis, posset fundari præcisio obiectiua non mutua, in reliquis verò minimè potest; vnde absolutè est impossibilis; quia identitas non mutua absolutè etiam est impossibilis. Itaque licet relatio nequeat cognosci sine termino, hoc tamen ipso, quod terminus potest sine relatione cognosci necesse est, quod relatio in mente eam concipientis distincta ex parte obiecti à termino repræsentari possit, ita vt relatio, & terminus non vnum quid, sed duo appareant, quod est relationem, & terminum mutuò ex parte obiecti præscindi, siue distingui. Sicut enim, quòd relatio quando est connexionis, nequeat existere realiter sine termino, non tollit esse eam realiter distinctam à termino; ita, quòd nequeat esse obiectiuè in mente sine termino non tollit esse eam obiectiuè in mente distinctam à termino; atque adeo ab illo præcisam. Similiter, etsi includens nequeat cognosci sine incluso, hoc tamen ipso, quòd inclusum potest cognosci sine residuo, & eo titulo sine ipso includente, necesse est, quod residuum mutuo præcisum obiectiuè ab ipso incluso repræsentari possit, vt ex superiùs dictis satis est notum. Relinquitur ergo, quòd A e. g. dumtaxat posset esse non mutuo præscindibile à B, casu quod, cognito simul vtroque, A distinctum, & aliud quid à B appareret ex parte obiecti, quin B vicissim distinctum, & aliud quid ab A appareret. Quia tamen hoc euidenter est impossibile non minùs, quàm, quòd A realiter distinguatur à B, & B realiter non distinguatur ab A, conficitur præcisionem obiectiuam non mutuam absolutè impossibilem esse. Atque adeo prædicata metaphysicè transcendentia nullatenus posse à differentiis, quas dicuntur transcendere, non mutuò præscindi, vt opinabantur Aduersarij. Vide *q.* 20. *illam sæpe citatam*, vbi & ad rem plura; & alia, quæ contra nos opponi possunt, diluta reperies.

## QVÆSTIO XI.

*Vtrum per intellectum Dei, aut aliorum videntium intuitiuè formalitates identificatæ realiter in Deo ipso, aut etiam in creaturis obiectiuè præscindi possint?*

QVæstio hæc communiter, licet sub aliis termi- 405
nis, tractari solet à Theologis ad *q.* 12. 1. *p.* S. Th. vbi agitur de Visione Dei; dum disputant, vtrum beatus possit videre essentiam Dei sine attributis, aut relationibus, vel è conuerso? Cæterùm placuit illam duabus præcedentibus adiicere, vt doctrina de præcisionibus obiectiuis in illis tradita magis, ac magis eluceſcat.

Igitur circa quæstionem hanc Scot. *in* 1. *dist.* 1. *q.* 406
2. & *ibidem* omnes Scotistæ docent essentiam diuinam bene posse de potentiâ Dei absolutâ sine diuinis relationibus intuitiue videri, & quamuis Scot. non expresserit, idem censent Scotistæ communiter de relationibus respectu essentiæ, & de attributis tum inter se, tum cum essentiâ comparatis; quia pro his omnibus est fundamentum idem, nempe distinctio formalis ex naturâ rei, quâ gaudent iuxta ipsorum sententiam. Sic Basol. *ad locum citatum q.* 1. Mayron. *q.* 6. Bargius *q.* 6. Rubion *q.* 6. & alij. Ex reliquis verò, qui distinctionem Scoticam negant; in eadem nihilominus sententia sunt Salas 1. 2. *tit.* 2. *disp.* 4. *sec.* 2 *n.* 10. & *sec.* 3. *n.* 26. Gran. 1. *p. contr.* 1. *tit.* 5. *de visione d.* 5. 6. & 7. Alarc. *tit.* 1. *de visione d.* 4. *c.* 2. apud & eos Palud. D. Antonin. Ouandus, & alij. Cósentit Ægid. de Præsent. *l.* 5. *de Beat. art.* 4. §. 3. docens essentiam sine attributis intuitiuè posse videri; attributa verò sine essentiâ non item. Consentit etiam Arriaga *tom.* 1. *in* 1. *p. disp.* 9. quatenus ait non solùm Beatos, sed etiam Deum, dum vident Trinitatis mysterium de facto præscindere obiectiuè tum affirmatione, tum etiam apprehensione inter essentiam, & relationes, necnon inter intellectum, & voluntatem ob distinctionem virtualem in ordine ad prædicata contradictoria inter tales formalitates repertam, Ita habet *num.* 24, 29. & 40. Quod ipsum tradiderat antea *in Logica disp.* 5. *à num.* 58. vnde consequenter affirmat *dicto num.* 40. posse etiam intellectum creatum de potentiâ absolutâ videre intuitiuè essentiam sine relationibus, intellectum sine voluntate, & è contrà. Inter reliqua verò attributa, vbi similem virtualem distinctionem non admittit, præcisionem obiectiuam impossibilem omninò esse asseuerat *dicta disp.* 9. *n.* 8.

Addunt ipse Arriaga, & alij Moderni non præs- 407
cindentes obiectiuè citandi *q. seq.* ex parte actus, siue ex parte modi cognoscendi, vt ipsi loquuntur, bene posse per cognitionem intuitiuam præscindi quamlibet formalitatem ab aliâ. Esse enim possibilem visionem Dei e. g. intuitiuam adeò confusam, vt solùm sciatur per illam, Deum esse ens: tum aliam nonnihil clariorem, quâ sciatur Deum esse substantiam: tum aliam, quâ cognoscatur Deus vt

vnus,

vnus, non verò vt trinus, & sic discurrendo per attributa singula: idque non quia per huiusmodi visiones obiectiua præcisio fiat; sed quia vnaquæque ita tangit totam substantiam Dei, vt vel illam referat ad quædam connotata præ aliis, vel illam à quibusdam entibus, non item ab aliis discernat.

408 Communior tamen Theologorum sententia est per nullum intellectum intuitiuè videntem Deum posse præscindi ex parte obiecti adhuc de potentiâ absolutâ vnam formalitatem ab aliâ, aut vnam videri sine aliâ ex iis, quæ realiter sunt idem. Ita videtur sentire S.Th. 1. *part. quæst.* 12. *artic.* 7. *ad* 2. & 3. expressiusque docuit 2. 2. *quæst.* 2. *art.* 8. *ad* 3. & 3. *part. q.* 3. *art.* 3. & tenent communiter Thomistæ, Caiet. 2. 2. *dicta quæst.* 2. *artic.* 8. Bañez 1. *part. dicta q.* 12. *art.* 7. *dub.* 2. Zumel *q.* 2. Molin. *art.* 8. *disput.* 4. Fasol. *art.* 2. *dubit.* 16. *num.* 65. Vasquez *disputat.* 48. *cap.* 2. Soar. *lib.* 2. *de attrib. capite* 22. & 23. Heriz. *disputatione* 50. *capite* 1. & 2. Tann. *disputatione* 2. *quæst.* 4. *dubit.* 1. Ruiz *disputatione* 12. *de Trinit. sec.* 6. & 7. Gaspar Hurt. *tit. de Incarnat. disputatione* 3. *diff.* 1. *numero* 6. Oviedo *contr.* 4. *Met. part.* 7. *num.* 7. Et apud eos alij plures.

## *Propositio 1.*

409 Illæ perfectiones, seu formalitates diuinæ, quæ, cùm realiter sint idem, distinctione virtuali in ordine ad prædicata contradictoria non gaudent (vt sunt pleraque attributa communia, tum inter se, tum cum essentiâ comparata, iuxta doctrinam à nobis traditam *quæst.* 6.) nulla potentia, & à nullo intellectu tangente illas intuitiuè possunt obiectiuè præscindi; sine vnâ, vel plures, non visis reliquis, videri.

Hanc propositionem imprimis demonstrat mihi celebre illud argumentum, quod *supra quæst.* 9. *num.* 339. contra præcisiones obiectiuas à nostro etiam viatorum intellectu oriundas obiecimus pro sententiâ illas negantium. Hic namque suum integrum robur retinet, vbi agitur de cognitione intuitiuâ tangente obiectum præscindendum non in alienâ similitudine, hoc est, in phantasmate sensibili, vti nos modò tangimus; sed in se ipso, siue prout est in se. Etenim si sapientia Dei in se ipsâ, ignotâ Dei bonitate, cognosceretur, cùm sapientia in se ipsâ idem omnino sit, ac bonitas; fieret vtique, vt idem omnino cognosceretur, & simul non cognosceretur, quod manifestè est impossibile. Recole argumentum *loco citato* fusiùs expositum, & applica ad præsentem materiam, vnà cum impugnationibus solutionum exhibitarum ab aliquibus, si fortè eas huc etiam applicare tentauerint. Itaque argumentum dictum, vt bene viderunt, qui propter illud omnem præcisionem obiectiuam negarunt, manifestè conuincit eam esse impossibilem, si obiectum præscindendum in se ipso per cognitionem attingatur, vti ipsi, re parum examinatâ, supponunt tangi per cognitionem abstractiuam, & citra dubium per intuitiuam, de quâ modò tractamus, tangitur, cuiuscumque demum illa claritatis sit. Porro argumentum hoc contra Scotistas etiam pari efficaciâ militare, adhuc suppositâ distinctione formali ex naturâ rei, quam ipsi ponunt inter formalitates diuinas realiter identificatas, ex dictis à nobis contra eosdem *suprà quæst.* 5. constat. *Ibi* enim ostendimus per huiusmodi distinctionem formalem nihil euacuari de repugnantiâ prædicatorum contradictoriorum conuenientium formalitatibus eiusdem rei in sensu absolutè reali, qualia essent cognosci vnam, & aliam non cognosci intuitiuè.

Secundò monstratur propositio eo argumento, 410
quod euidens censuit. P. Vasquez, & quidem iure, præsertim si in eo sit sermo de cognitione intuitiuâ diuinarum perfectionum adeo perspicuâ, & clarâ, vt est de facto quæuis visio beatifica. Etenim per intuitionem tantæ claritatis non potest non repræsentari obiectum, sicuti est in se, ita vt eodem omnino modo se habeat prout est obiectiuè in mente illud intuentis, ac se habet prout est à parte rei in se, iuxta illud Ioan. epist. 1. cap. 3. *Quia videbimus eum sicuti est.* Ergo si in se est quid omnino simplex, & indiuisum, non potest non apparere omninò simplex, & indiuisum; & si quæuis eius perfectio reipsa est vnum quid, & idem cum reliquis, non possunt non omnes nullâ demptâ apparere vt vnum quid prorsus & idem. Quod & non posse vnam ab aliis obiectiuè præscindi. Id, quod non minus efficaciter, aut etiam euidenter ostendit mihi argumentum factum de quacumque demum in eo cognitione intuitiuâ, siue per propriam speciem habita sermo sit, seu clarâ, seu obscurâ. Quoniam hoc ipso, quod per eiusmodi cognitionem tangitur obiectum in se, nequit non esse illud apud cognoscentem obiectiuè idem ipsum, quod realiter est in se; alioquin si in mente cognoscentis aliud esset ab eo, quod est re verâ in se, iam non illud in se, sed aliud quid loco eius per cognitionem tangeretur, contrà suppositionem. Igitur si in se est vnum quid, & indiuisum, non potest non tale quoque esse in mente cognoscentis, & si quæuis eius perfectio reipsa est vnum quid, & idem cum reliquis, nequeunt non omnes nullâ demptâ apparere vt vnum quid prorsus & idem. Quod iterum est per cognitionem prædictam nullatenus posse vnum ab alia obiectiuè præscindi. De quo iterum erit sermo *quæst.* 12.

Obiicit tamen primò Gran. contra propositio- 411
nem *disput.* 5. *citata*, & ex illo Alarcon *supra*. Visus percipit colorem vt est in se, non percipiendo rationem communem qualitatis, neque intuendo relationes aliquas, quas color sectum habet indentificatas: Ergo nihil vetat per cognitionem intuitiuam, qualis visio corporea est, vnam formalitatem ab aliâ eiusdem rei obiectiuè præscindi. Respondeo, vt alias sæpe, per visum (& idem est de aliis sensibus) totum, quod realiter est obiectum sensibile eodem omninò modo tangi, neque vllam fieri ex parte obiecti præcisionem; atque ita per visum eodem prorsus modo percipi prædicatum qualitatis, & relationis, ac prædicatum coloris; licet non sub conceptibus respondentibus his nominibus, qui sunt intellectuales, & per species alienas formati. Quod si per visionem externam sæpe excitatur intellectus ad iudicandum de obiecto viso vnum prædicatum præ aliis; id sanè non euenit, quia visus inter ea prædicata discernat, aut vnum præ aliis aliquo diuerso modo percipiat. Sed quia intellectus aliunde motus per visionem externam, vtendóque speciebus alienis vnum rei visæ prædicatum præ aliis deprehendere potest, aut immediatè, aut per discursum; quod proinde vtpote conceptum iam per speciem alienam à reliquis obiectiuè præscindit; quin ex vi propriæ speciei luctatæ per visionem quidpiam in obiecto viso præscindere valeat. Recognosce doctrinam traditam *suprà disp.* 2. *q.* 3. *à num.* 104. *& in præsenti disp. à. num.* 309.

Secundò obiicit Gran. Angelus intuetur intel- 412
lectum suum, & tamen cognoscit potentiam obedientialem ad actus supernaturales identificatam cum

cum illo: ergo præscindit obiectiuè per intuitionem. Nego non cognoscere Angelum potentiam obedientialem sui intellectus, quoad intrinsecum prædicatum cum ipso intellectu identificatum, quâ ratione, quid naturale est ab Angelo naturaliter cognoscibile, sicut ipse intellectus; cum quo nihilominus stat posse Angelum ignorare, an suus intellectus potentiam obedientialem habeat ad prædictos actus, defectu notitiæ connotati extrinseci complentis eam potentiam obedientialem in esse talis, cuiusmodi est possibilitas talium actuum. De quo plura *suo loco* Quomodo autem videns intuitiuè quidquid realiter est Deus, vti de facto secundum certam Theologiam vident omnes beati, non cognoscat nihilominus ex vi talis visionis omnia decreta libera Dei. Neque omnes creaturas possibiles in particulari *in Tract. de visione Dei* exponetur.

413 Ex dictis infertur primò perfectiones diuinas, de quibus sermo est in propositione, per cognitionem sui intuitiuam non solùm impræscindibiles esse obiectiuè præcisione, quam negatiuam dicunt, ita vt vna, non visis reliquis, videatur; sed etiam præcisione, quam positiuam appellant, ita vt duæ, vel plures præcisæ inter se, atque distinctæ ex parte obiecti simul appareant, vtraque enim præcisio æquè illis repugnat. Hoc enim ipso, quòd bonitas Dei per visionem nequit repræsentari, non repræsentatâ eodem conceptu sapientiâ, impossibile est, quòd bonitas, & sapientia non sint vnus, & idem obiectiuus conceptus in mente videntis, & consequenter prorsus repugnat, quòd illi repræsententur vt duæ formalitates diuersæ, quarum altera obiectiuè sit bonitas, & non sapinntia, altera sapientia, & non bonitas, prout ad præcisionem requiritur. Vtrum enim integer Deus per intuitiuam cognitionem possit obiectiuè multiplicari, diuersam habet difficultatem *inferius* tangendam.

414 Secundò infero contra Gran. & Alarc. *suprà* inconsequenter negare eos possibilem præcisionem positiuam inter perfectiones diuinas, atque adeo distinctionem rationis oriundam à visione intuitiuâ, dum præcisionem negatiuam earum possibilem esse defendunt. Quoniam si bonitas Dei sine sapientiâ videri potest, & è conuerso, vti ipsi opinantur; non potest non bonitas visa sine sapientiâ esse conceptus obiectiuus diuersus à sapientiâ visâ sine bonitate, vt constat. Ponamus ergo, quòd perseuerante visione de solâ bonitate, accedat altera visio de solâ sapientiâ, in quo necunde potest excogitari repugnantia. Tum quidem impossibile erit, vt ex vi ambarum visionum non appareant sapientia, & bonitas, vt duo quædam inter se præcisa, atque distincta positiuè, quia non possunt non apparere vt conceptus obiectiuè diuersi, vti seorsim visæ apparebant; repugnat autem, vt idem à se ipso diuersum appareat, vt est notum. Liquet ergo vbicumque præcisio negatiua aut impossibilis, aut possibilis est, ibidem præcisionem positiuam impossibilem etiam, aut possibilem necessariò asserendam esse. Quod etiam vice versâ est verum, nisi fortasse relatio aliqua interueniens obstet, ne ex extremis positiuè præcisis alteruttum, ignoto altero, possit cognosci.

415 Sed dicet aliquis pro Gran. & Alarc. Bene intelligitur cognosci vnam formalitatem sine aliâ, quin cognoscatur distincta ab illa adhuc inadæquatâ distinctione, prout opus erat vt ambæ seorsim per duas cognitiones cognitæ inuicem distinctæ apparerent. Ergo benè intelligitur esse possibilem præcisionem negatiuam vnius formalitatis ab aliâ, quin sit possibilis inter vtramque præcisio positiua. Nego antecedens, quia cognosci bonitatem sine sapientiâ, hoc ipsum est cognosci bonitatem distinctam distinctione inadæquatâ à sapientiâ, quia hoc ipsum est bonitatem apparere aliud à sapientiâ, siue bonitatem in mente eam concipientis non esse sapientiam, in quo stat inadæquata distinctio ipsius à sapientiâ. Aliàs, si bonitas non appareret cognoscenti aliud à sapientia, sed (sicuti re ipsâ est) ita quoque in illius mente obiectiuè esset sapientia, non sine sapientiâ, sed simul cum illa, & tanquam vnum quid cum illa cognosceretur contra suppositionem. Ratio à priori; quia sicut à parte rei nequit esse vnum sine alio, quin sit à parte rei distinctum ab illo; ita neque obiectiuè in mente potest esse vnum sine alio, quin sit obiectiuè in mente distinctum ab illo. Ex quo patet cognosci vnum sine alio, & cognosci distinctum ab illo distinctione inadæquatâ (quæ ipsissimum vnicè est extremum distinctum) in idem omninò recidere.

Tertiò infero ex dictis, formalitates item cuiusuis 416
creaturæ realiter identificatas impræscindibiles esse obiectiuè per cognitionem intuitiuam siue increatam, siue creatam; quia ex vnâ parte huiusmodi formalitates è genere earum sunt, quæ distinctione virtuali in ordine ad prædicata contradictoria nullatenus gaudent, vt ex doctrinâ traditâ *supra q. 6.* constat. Ex alia verò eadem argumenta, quæ probant formalitates diuinas tali distinctione carentes, à nullo intellectu vidente eas intuitiuè posse ex parte obiecti præscindi, eadem prorsus vi, & efficacia conuincunt idipsum de formalitatibus creatis; cùm probent vniuersè neutiquam posse videri vnam formalitatem, non visâ aliâ realiter identificatâ cum illa, cuiuscunq; demum entis tales formalitates sint.

Quartò infero, per nullam omnino cognitionem 417
(siue ea clara sit, siue obscura) habitam per speciem propriam obiecti, illudque immediatè, & in ipsomet attingentem posse vllo modo præscindi obiectiuè vnam formalitatem talis obiecti ab aliâ (loquor etiam nunc de formalitatibus virtualiter inter se non distinctis) sed necessariò quidquid realiter est tale obiectum, eodè prorsus modo debere attingi per huiusmodi cognitionè: Quoniam id ita vniuerse probant argumenta facta *n.* 409. & 410. vt *ibi* etiam dicebamus.

Inferes. Ergo non est possibilis cognitio 418
quiditatiua per propriam speciem habita, & præscindens ab existentia obiecti, quam nos sæpe aliàs possibilem esse posuimus, atque in hoc opere ponemus. Nego consequentiam, quia eiusmodi cognitio non dicitur ab existentia obiecti præscindere, quòd aliquam eius formalitatem ab aliâ præscindat obiectiuè, sed, quòd de toto ipso obiecto, aut intra statum quiditatiuum, seu obiectiuum, aut intra statum conditionatum, vbi de existentia eius absolutâ non agitur, iudicium fert. De quo plura dicenda sunt *in Tract. de scient. Dei.*

## *Propositio 2.*

De facto nullus intellectus beatus siue diuinus, 419
siue creatus præscindit ex parte obiecti vllo modo adhuc eas formalitates Dei, quæ in ordine ad prædicata contradictoria distinctione virtuali potiuntur, vt sunt relatio, & essentia, intellectio, & volitio, & si quæ aliæ.

Hæc propositio est contra Arriag. & alios Recentiores ei subscribentes. Probatur autem primò: quia in Concilio Florentino sess. vlt. in litteris vnionis definitum est, *Animas, quibus nihil purgandum*

*gandum supereſt ; intueri clarè Deum Trinum , &* vnum , ſicuti *eſt*. Iuxta illud Ioanis epiſt. 1. capite 3. *Cùm apparuerit , ſimiles ei erimus quia videbimus eum ſicuti eſt.* De Deo autem ipſo certo certius eſt videre ſe, imò, & penitus comprehendere, vti re ipsâ eſt. Igitur integrum Trinitatis myſterium, & Deus ipſe totus eodem omninò modo ſe habet prout eſt obiectiuè in quouis intellectu beato mediâ beatificâ viſione, atque prout eſt realiter in ſe ſe. Igitur diuina eſſentia , & quæuis perſonalis relatio eodem prorſus modo ſunt obiectiuè in mente beati , ac ſunt realiter in ſe ; ſed in ſe vna ab altera nullo modo eſt præciſa : Ergo in mente beati nullo modo eſt vna ab altera præcisâ obiectiuè.

420 Secundò. Per viſionem beatificam aut Dei , aut creaturæ non præſcinditur obiectiuè relatio ab eſſentiâ præciſione , quam negatiuam vocant , ita vt relatio videatur non visâ eſſentia , vel è contra , vti fatentur omnes, & citrà errorem in fide negari nequit : ſed nec præciſione poſitiuâ, ita vt relatio , & eſſentia obiectiuè repræſententur vt duo inter ſe diſtincta formaliter, quia iam non ſicuti ſunt in ſe apparerent , ſeu viderentur contra dogmata ſtabilita , quandoquidem in ſe non ſunt duo diſtincta formaliter , vt fides docet. Ergo nullomodo præſcinduntur , quia aliud genus præciſionis obiectiuæ non eſt.

421 Tertiò. Omnis cognitio præciſiua formalitatum quæ realiter non ſunt præciſæ , non poteſt non eſſe imperfecta , quacumque demum ratione excogitetur præciſio : quia nequit non repræſentare obiectum, ita , vt appareat cognoſcenti aliter , quàm re ipsâ eſt : cum nequeat non repræſentare præciſum id, quod re verâ non eſt præciſum;hoc enim ipſum eſt cognitionem eſſe præciſiuam:ſed viſio beatifica diuina nullo modo poteſt eſſe imperfecta ; creata verò etiam eſt immunis de facto ab imperfectione repræſentandi ſuum obiectum aliter, quàm re ipsâ eſt,vt conſtat ex dictis.Ergo nulla viſio beatifica eſt vllo modo præciſiua.

422 Dices cum Arriag. *ſuprà*. Hoc ipſo , quòd intellectus diuinus ( & idem eſt de quouis alio beato ) iudicat Paternitatem diſtingui à Filiatione , à quâ non diſtinguitur eſſentia,non poſſe non eum apprehendere Paternitatem diuerſo modo ac apprehendit eſſentiam ( alias de eſſentiâ pariter iudicaret diſtingui à Filiatione, quod eſt impoſſibile ) & conſequenter non poſſe non eum obiectiuè tali apprehenſione præſcindere. Hanc tamen imperfectam non eſſe, quia licet ſolam Paternitatem tangat directè, prout neceſſarium eſt, & ſufficiens ad verificationem dicti iudicij,eſſentiam etiam, & reſiduum totius Trinitatis tangit obliquè , inſuperque realiter identificatur cum notitiâ , quæ in recto concipit eſſentiam , & totam Trinitatem , nec amplius, quàm per rationem noſtram ab illâ diſtinguitur.

423 Sed contra primò ; quia impoſſibile eſt vt vnum concipiatur in recto,& aliud in obliquo, niſi appareat vnum,& aliud in mente concipientis, quia ſine comparatione aliquâ recti ad obliquum nullatenus poteſt vnum in recto, & aliud in obliquo cognoſci; Comparatio autem non ſtat ſine extremis diſtinctis : Ergo non poteſt ab intellectu diuino apprehendi Paternitas in recto , & eſſentia in obliquo; quin ipſi repræſententur vt duæ formalitates obiectiuè inter ſe diſtinctæ , ſiue præciſæ eſſentia, & Paternitas. Quod tamen repugnat , quia vt ſic conciperentur a Deo aliter,quàm in ſe ſunt,atque adeo imperfectè.

Contra ſecundò , quia cognitio Dei conſiderata 424
præcisè ; & formaliter in quantum tangens directè ſolam Paternitatem,aliunde etiam eſſet imperfecta, quia ſcilicet eo modo tangendi directo diſtinctam, ſiue præciſam negatiuè ab eſſentiâ repræſentaret Paternitatem , atque adeo aliter , quàm re ipsâ eſt. In Deo autem nulla formalitas cognitionis eſt admittenda , quæ intrinſecè ferat ſecum imbibitam imperfectionem.

Contra tertiò : quia vt Deus iudicet Paternita- 425
tem à Filiatione diſtingui nullâ eget apprehenſione ſimplici directâ ſolius Paternitatis, non enim iudicat comparando prædicatum ad ſubiectũ, vti nos, ſed intuendo, ſuâque intuitione penetrando, quidquid vnumquodque eſt in ſe.Ergo malè aſſeritur intellectum diuinum eiuſmodi apprehenſione præſcindere Paternitatem ab eſſentiâ. Patet conſequentia; tũ quia talis apprehenſio inutiliter, & cõſequenter tum falsò tribuitur intellectui diuino,ſi ad iudicandũ de Trinitate neceſſaria non eſt. Tum quia ſublatâ eius neceſſitate ad id muneris , nullo prætextu dici poteſt Paternitas diſtingui ab eſſentiâ virtualiter in ordine ad talem apprehenſionem, ſine diſtinctione autem virtuali relatâ ad illam,non poſſe Paternitatem ab eſſentiâ per illam vllo modo præſcindi,ipſius Arriagæ doctrina eſt. Quo eodem argumento probatur a nullo alio intellectu beato præſcindi per apprehenſionem Paternitatem ab eſſentiâ.

Et quidem ſi intellectus beatus,ſicut noſter, com- 426
paratiuè iudicaret de Trinitate , quemadmodum Arriaga ſupponit ; attribuendo ſcilicet vnum conceptum obiectiuum, vt prædicatum alteri in recto apprehenſo tanquam ſubiecto, eodem modo, atque nos, deberet apprehenſione præſcindere Paternitatem ab eſſentiâ, vt aliquid de ſolâ Paternitate,quod non de eſſentiâ itidem affirmaret, concipiendo videlicet Paternitatem in recto per diſtinctam apprehenſionem , ac conciperet in recto eſſentiam. Quia cùm apprehenſio, quæ iudicio comparatiuo ſupponitur, non poſſit ſecundum vnam ſui formalitatem, & non ſecundum omnes realiter identificatas illi ſupponi , vt conſtat , neceſſariò ſubiicit prædicato id totum , quod ſecundum totam ſuam realitatem attingit in recto, nec fieri ſubinde poteſt,vt per iudicium parti dumtaxat , & non toti ſubiecto tali apprehenſione in recto apprehenſo attribuatur prædicatum. Cùm ergo beatus , iuxta Theologiam Arriagæ non pluribus, ſed vnâ dumtaxat apprehenſione indiſtinctâ etiam à viſione beatificâ totam Trinitatẽ, atque adeo eſſentiam etiam,& Paternitatem apprehendat in recto ; nequibit vtique per iudicium aliquid Paternitati tribuere, quod non eodem modo attribuat eſſentiæ. Quo manet integra difficultas, quam Arriaga ipſe vitare molitur, dum in eâ vnicâ apprehenſione reali diuerſas formalitates ſuâ conſideratione diſtinguit , alteram tangentem in recto Paternitatem, & in obliquo eſſentiam ; alteram vice versâ , &c. Ex quibus omnibus concluditur longè abeſſe ab intellectu Dei , & beatorum eam apprehenſionem præciſiuam , quam eis adſcribit Arriaga.

Adhuc tamen contra noſtram propoſitionem 427
obiiciendum ſupereſt ex Arriaga ip o , & aliis, ſaltem per iudicium , cuiuſuis illud generis ſit , non poſſe non Deum , & Beatos , dum clarè intuentur Trinitatem, affirmatione præſcindere ex parte obiecti vnam formalitatem ab aliâ realiter identificatâ cum illâ. Quia non poſſunt non affirmare de vnâ, quod non affirmant , imo negant de aliâ, quod ipſum eſt affirmatione præſcindere vnam ab aliâ ex

parte

parte obiecti. e. g. de Paternitate affirmant esse relatam ad Filiationem, & ei oppositam, quod non affirmant, imò negant de Essentiâ : de Filiatione affirmant esse quid productum, de Essentia verò id ipsum non affirmant, sed negant. De Essentiâ affirmant esse communem tribus Personis, quod tamen de singulis Personalitatibus negant, & cætera huiusmodi. Et confirmari potest primò, quia impossibile est vt idem intellectus quicumque ille sit, simul affirmet, & neget idem de eodem omnino conceptu obiectiuo, præsertim iudicio eximiè euidenti, quale est iudicium Beatorum. Igitur dum Beati ipsi aliquid affirmant de Essentiâ, & simul idem ipsum negant de Personalitatibus, aut è conuerso, non possunt non Essentia, & Personalitates respectu intellectus eorum esse conceptus obiectiui diuersi, quod est Essentiam, & Personalitates per intellectum Beatorum præscindi obiectiuè. Confirmatur secundò, quia vniò hypostatica verè præscindit suâ terminatione Personalitatem Verbi ab Essentiâ, quandoquidem ad solam Personalitatem; non verò ad Essentiam terminatur immediatè, vt fides docet. Ergo intellectus beatus, qui affirmat Personalitatem Verbi, & non Essentiam talem vnionem terminare immediatè non potest non suâ affirmatione Essentiam à Personalitate præscindere. Confirmatur tertiò. Quoniam eo ipso, quòd Personalitas, & Essentia sunt virtualiter distinctæ in ordine ad prædicata contradictoria, quæ illis sine repugnantiâ conueniunt, nequeunt non esse etiam distinctæ virtualiter in ordine ad affirmationem, & negationem cuiuscumque intellectus ipsis eiusmodi prædicata cum veritate attribuentis. Confirmatur quartò; quia intellectus Viatorum nequaquam potest nisi præscindendo obiectiuè iudicare veritates, quæ circa mysterium Trinitatis ex fide credere tenetur, vt fusè à nobis demonstratum est *suprà q. 9. prop. 1.* Ergo cùm veritates sint eædem respectu intellectus Beatorum, neque ista poterit de illis sine præcisione obiectiua diiudicare.

418 Respondeo tamen ne affirmatione quidem præscindere intellectum Dei, aut Beatorum, dum Trinitatem intuetur, vnam formalitatem ab alia identificata cum illa; quia per visionem beatam, siue diuinam, siue creatam simul & indiuisim affirmatur quidquid Deus trinus, & vnus reipsâ est : omnes enim veritates, quas nos de Deo diuisim, & per diuersa iudicia affirmamus, quia id fert secum noster iudicandi modus pro hoc statu, intellectus beatus tum diuinus, tum etiam creatus vnico simplicissimo intuitu penetrat, & affirmat; atque ita licet affirmet de Personalitatibus aliquid, quod non affirmat de Essentiâ, & vice versâ (quia re vera aliquid conuenit Personalitatibus, quod non Essentiæ, & è contrario, tametsi re vera sint idem ob distinctionem virtualem, quâ gaudent, in quo mysterij profunditas posita est) nequaquam præscindit obiectiuè Personalitates ab Essentia, vel è conuerso, quia non ita affirmat aliquid de Personalitatibus, quod non de Essentia, vel è contrà; vt actus affirmationis terminetur ad Personalitates, & non ad Essentiam, vel è contrà, prout requirebatur ad præcisionem, sed ita vt actus affirmationis indiuisim terminetur ad totum Deum Trinum, & vnum, quasi vno ictu penetrans, & affirmans quidquid singulis formalitatibus eius seu distinctis, seu non distinctis virtualiter re ipsâ conuenit, quod longè abest à præcisione. Vnde, quod Aduersarios fefellit, & in argumento supponitur, nempe affirmare aliquid de vna formalitate, & non de alia identificata cum illa, id ipsum esse affirmatione præscindere vnam ab alia solerter distinguendum est. Affirmare aliquid de vna formalitate, & non de alia identificata cum illa ex defectu terminationis affirmationis ad vtramque est præscindere vnam ab aliâ, concedendum : ex defectu veritatis repertæ in vnâ, & non in aliâ, negandum. Et hoc est, quod in proposito euenit, & in mysterio, de quo agimus, singularissimum est, conuenire scilicet vni formalitati re ipsâ obiectiuam aliquam veritatem, quæ non conuenit alteri identificatæ cum illâ, ob distinctionem virtualem, quam habent : atque ita posse ab intellectu vidente illas intuitiuè, vti re ipsâ sunt, affirmare eam veritatem de vna, & non de alia, citra omnem omnino præcisionem ex parte obiecti. Hinc.

Ad primam confirmationem concedo nullum in- 429
tellectum posse simul affirmare, & negare idem de eodem conceptu obiectiuo; nego tamen inde sequi debere intellectum videntis Deum obiectiuè præscindere : quia videns Deum nihil negat de Personalitate, quod affirmat de Essentia, aut contrà. Sed quidquid Deus est re ipsâ vnico iudicio affirmatiuo iudicat, cum omne quod Deus est, positiua veritas sit. Nos verò, qui per iudicium affirmatiuo æquiualens de Personalitate negamus, quod affirmamus de Essentia, aut contrà, iam eas præscindimus obiectiuè, vt *q. 9. propos. 1.* statutum est.

Ad secundam confirmationem concedo vnionem 430
hypostaticam quodammodo dici posse, etsi minus propriè, præscindere suâ terminatione Personalitatem Verbi ab Essentia, quatenus Personalitatem solam, non verò Essentiam attingit immediatè. Nego tamen hinc sequi, quod Beatus videns intuitiuè hoc mysterium simile præcisionem efficiat per suam visionem, ea enim necessaria non est, nam penetratâ intuitiuè, adhæsiuéque per visionem ex vnâ parte totâ substantiâ vnionis, ex aliâ totâ substantia Dei, cognitum manet, & iudicatum citra obiectiuam præcisionem Personalitatis Verbi ab Essentia quidquid in isto mysterio cognoscibile, & iudicabile est.

Ad tertiam confirmationem nego Personalitatem, 431
& Essentiam diuinam eo ipso, quòd distinguuntur virtualiter in ordine ad prædicata contradictoria, debere quoque distingui virtualiter in ordine ad affirmationem, & negationem talium prædicatorum, vt titulo talis distinctionis valeat per talem affirmationem, aut negationem præscindi obiectiuè Personalitas ab essentia, aut è contrà. Cum enim eiusmodi prædicatorum affirmatio, & negatio, quando est intuitiua, citrà omnem obiectiuam præcisionē Personalitatis, & Essentiæ possint constare, vt constat ex dictis, impertinenter in ordine ad illas talis distinctio virtualis admitteretur; imò, vt ex dicendis posteà constabit, impossibilis est.

Pro solutione quartæ confirmationis, explicatio- 432
neque luculentiore doctrinæ traditæ prænoto. Multifariàm iudicium intuitiuum, & nostrum discriminari. Primò enim differunt quatenus videntes intuitiuè non iudicant, sicut nos, attribuendo prædicatum subiecto, sed penetrando adhæsiuè suâ intuitione quidquid veritatis est in obiecto viso. Secundò differunt, quòd nostrum iudicium attingit suum obiectum aliter, quàm est in se, ac proinde semper sub quadam confusione, & velamine : intuitiuum verò, de quo modò loquimur, suum, vt est in se clarè, & perspicuè. Tertiò differunt, quòd iudicium nostrum obiecta alias simplicissima necessariò præscindit in subiectum, & prædicatum; intuitiuum verò quidquid vnumquodque est reipsâ indiuisim penetrat vnico obtutu. Quartò, quòd obiectum proprium iudicij nostri necessariò

concipi debet per modum actus significabilis per verbum, qui sit quasi exercitium alicuius subiecti circa aliquem terminum. Qui quidem actus potissimum est prædicatum, quod tali subiecto per iudicium aut attribuitur, aut detrahitur, vt pluribus explicatum est *suprà disp. 2. q. 4.* Iudicium verò intuitiuum pro obiecto habet vnumquodque iudicabile, prout iacet, siue prout est in se. Vnde iudicium nostrum duas vt minimum apprehensiones simplices fert necessariò secum annexas, alteram subiecti, alteram termini illius, actus, qui ipsius iudicij proprium obiectum est; intuitiuum verò hisce non eget apprehensionibus.

433 Ex his quintum, & magis ad rem nostram discrimen sequitur. Quòd nos nullatenus possumus iudicare, nisi attribuendo actum verbo correspondentem integro conceptui obiectiuo apprehenso ex parte subiecti ex æquo, & directè. Parti enim attribuere, vel detrahere, & parti non item, nobis impossibile est, quando omnes partes per eamdem apprehensionem, eodemque modo supponuntur iudicio, vt cum dicimus: *omnis homo currit*, necessariò attribuimus actum currendi omnibus hominibus, nec possumus aliquibus, & non aliis attribuere, nisi mutando eam apprehensionem, quæ omnes ex æquo, & directè supponit iudicio ex parte subiecti. Similiter dum actum verbo correspondentem iudicãdo comparamus ad suum terminum ad totum conceptum obiectiuum apprehensum ex parte termini ex necessitate comparamus, vt cùm dicimus. *Deus cognoscit omnem hominem*, cuius ratio præter apertam experientiam ex naturâ huiusmodi apprehensionum iudicio nostro subseruientium sumenda est; ab eâ enim nascitur, vt nequeant modò penes totum suum obiectum, modò penes partem dumtaxat ei subseruire, sed immobiliter penes totum necessariò subseruiant. Id, quod ipsa nomina talibus apprehensionibus correspondentia satis, superque manifestant. Nam, vt non possumus sub nomine totius, eius semper significatione retẽtâ, aliquid de solâ parte enunciare, ita sub apprehensione totius, eius semper repræsentatione retentâ, aliquid de solâ parte iudicare non possumus. e.g. vt est impossibile, quòd accepto semper hoc nomine *homo* pro integro composito ex materiâ, & animâ, hæc vnquam enunciatio sit vera, *homo est spiritus*, qualis esset quidem sæpissimè, si sub nomine totius aliquid de solâ parte contentâ in toto possemus enunciare, quandoquidem anima contenta in homine verè spiritus est. Ita etiam est impossibile, quòd sub apprehensione de integro composito ex materiâ, & animâ huic nomini *homo* in mente nostrâ correspondente aliquid vnquam de solâ materiâ, aut de solâ animâ iudicemus. Requiritur enim ad vtrumque præstandum, quòd solam materiam, vel animam seorsim apprehendamus, & nominemus. Ea est natura nostri modi cognoscendi pro hoc statu, à quâ longè abest modus cognoscendi Intuentium: Ipsi enim eiusmodi apprehensionum genere non indigent ad iudicandam, vt constat ex dictis. Quando autẽ ad iudicandum aliquam relationem seu positiuam, seu negatiuam cognitione indigent termini, eo quòd relatio sine termino à nullo intellectu cognosci potest, non est necesse, quod partem tantùm termini concipiant, quando relatio ad partem solùm, & non ad totum terminatur: quia viso toto, & visâ relatione, vti iacent à parte rei, penitissimè iudicant talem relationem ad solam partem eius totius terminari naturâ suâ: sicut enim non obstat, quod totum integrum simul um relatione existat à parte rei, quominus relatio ad solam partem eius terminetur re ipsâ, ita nec potest obstare, quod totum integrum simul cum relatione existat obiectiuè in mente intuentis, quominus relatio ad solam partem repræsentetur terminata; quandoquidem in mente intuentis eodem modo se res habent, ac sunt à parte rei. Recognoscatur doctrina *suprà* statuta *disputatione 9. quæst. 5. proposit. 6.*

Quæ cùm ita sint, liquidò iam apparet, cur intel- 434
lectus noster pro hoc statu nequaquam credere, nedum intelligere potest absque obiectiuis præcisionibus veritates fidei ad mysterium Trinitatis spectantes. Cùm tamen intellectus Dei, & Beatorũ absque vllâ prorsus præcisione obiectiuâ easdem intuitiuo iudicio clarissimè intelligat, ac diiudicet. Etenim intellectus beatus vnico simplicissimo obtutu iudicat quidquid Deus est, ad quod non est necessaria præcisio obiectiua: quia integra substantia diuina eodem omnino modo est obiectiuè in intellectu Beati, atque realiter in se. In se autẽ Personalitas ab Essentiâ realiter non est præcisa. Quare substantia Dei integrè conceptâ, scire etiam clarissimè potest Beatus vnionem hypostaticam ad solam Personalitatẽ Verbi diuini terminari immediatè, quin inter talem Personalitatem, & Essentiam ipse præscindat, iuxta doctrinam *nuper* traditam. At verò intellectus noster cùm nequeat aliquid per suum abstractiuum, comparatiuumque iudicium parti totius attribuere, nisi apprehensâ ipsâ seorsim, vt paulò antè etiam ostensum est, nequit consequenter de solâ Personalitate, aut de solâ Essentiâ iudicare ea prædicata siue intrinseca, siue extrinseca, quæ illis seorsim, & in solidum ob suam, quam habent, distinctionem virtualem conueniunt, nisi apprehendendo seorsim Personalitatem, aut Essentiam, atque adeò vnam ab alterâ præscindendo obiectiuè. Ex quibus patet ad quartam facti argumenti confirmationem, & ad totam difficultatem.

## *Propositio 3.*

Neque de potentiâ absolutâ sunt vllomodò præ- 435
cindibiles obiectiuè per visionem intuitiuam æquè claram, ac est visio beatifica, illæ formalitates diuinæ, quæ in ordine ad prædicata contradictoria distinctione virtuali potiuntur.

Hæc propositio duplici viâ probari potest. Prima est: quia supposito, quod dictæ formalitates absque vllâ sui præcisione obiectiuâ possunt intuitiuè videri, de factoque à Deo, & à Beatis videntur, vt *prop. 2.* monstratum est. Etsi illæ in ordine ad alia prædicata contradictoria distinctæ virtualiter sint, in ordine tamen ad hoc vt possint obiectiuè per visionem intuitiuam præscindi, visâ vnâ, & non aliâ, aut tactâ vnâ per visionem aliquo modo, quo non alia, neutiquam dicendæ sunt distingui virtualiter: quandoquidem, secundum doctrinam traditam *suprà, quæst. 6.* ex vna parte bene possunt virtualiter esse distinctæ in ordine ad suscipienda alia prædicata contradictoria, quin sint in ordine ad hæc, *tangi, & non tangi per visionem*: ex alia verò ne in Deo quidem est admittenda virtualis distinctio nisi in ordine ad ea contradictoria, quæ suppositâ fide, negari nequeunt, qualia hæc non sunt, semel autem sublatâ à formalitatibus diuinis virtuali distinctione in ordine ad visionem præcisiuam earum, non potest hæc non esse impossibilis, vt argumenta facta pro prima propositione conuincunt.

Secunda via est: quia licet beneficio distinctio- 436
nis virtualis benè cohæreant cum formalitatibus diuinis

diuinis realiter identificatis alia prædicata ex genere suo contradictoria, quæ per fidem constat eis conuenire. Quod tamen vna, & non alia per visionem, de quâ agimus, attingatur, adeò absolutè videtur impossibile esse, vt ne per virtualem quidem distinctionem videatur id vllo modo componi posse, quantumuis ea ad id muneris tentaretur admitti. Ratio autem est; quia visio intuitiua æquè clara,ac beatifica, non potest non ita perfectè suum obiectum repræsentare,vt illud eodem omnino modo appareat videnti ac est in se; eodemque subinde modo se habeat obiectiuè in mente videntis, ac se habet à parte rei: ergo impossibile est, quòd per visionem huius generis aliqua formalitas diuina aliter appareat videnti, quàm à parte rei est in se: sed si appareret quouis modo præcisa ab aliâ, cum quâ re ipsâ est prorsus idem,aliter,quàm in se est,appareret, alitérque se haberet in mente videntis,quàm se habet à parte rei: ergo absolutè, omnimodisque est impossibile, vt per visionem talis generis vna formalitas diuina aliquo modo ex parte obiecti præscindatur ab aliâ.

437 Loquutus sunt in propositione de visione æquè clarâ,ac beatifica. Tum quia istius generis est visio intuitiua, de quâ Theologi tractant in præsenti quæstione. Tum quia doctrina circa illam data luculentiùs in illâ cernitur, quàm in visione intuitiuâ magis obscura, tametsi ego vniuersaliter censeam eam esse extendendam ad omnem cognitionem intuitiuam, seu per propriam speciem habitam, iuxta dicenda *propos.* 4.

438 Obiicitur tamen contra nostram propositionem primò ex Scoto, & suis. Pater æternus est beatus prius origine, quàm generet Filium non per visionem Filij,& Spiritus sancti, qui nondum sunt in eo signo: ergo per visionem solius essentiæ,aut etiam, si placet, attributorum, & Personalitatis paternæ. Ergo benè intelligitur visio intuitiua clarissima, atque perfectissima essentiæ diuinæ præscindens eam à personalitatibus; atquè adeò potiori iure similis creata visio possibilis erit. Confirmatur:quia de sententiâ non solùm Scoti, sed aliorum, Verbum diuinum non procedit ex cognitione totius Trinitatis, sed vel solius Essentiæ, vt volunt Scotistæ, vel solius Patris, vt volunt alij, vel Patris, & ipsius Verbi,vt Vasquez opinatur cum aliis. Ergo cognitio, ex quâ Verbum procedit, præcisiua est ex suo conceptu diuinarum formalitatum.Respondeo ad argumentum Patrem æternum esse quidem beatum priùs origine, quàm generet Filium; non tamen visione ad solam Essentiam, aut ad se solùm terminatâ, sed visione terminatâ indiuisim ad totam Trinitatem: quia quamuis in signo antecedente ad Verbi generationem nondum sit Verbum, nec Spiritus S. videntur tamè nihilominus in suis signis posterioribus existêtes per visionem existentem in illo priori. Ad confirmationem nego Verbum non procedere ex cognitione totius Trinitatis cum plerisque Theologis. Quorum sententiam eo potissimum nomine censeo verissimam, quod intuitio clara, & perfecta ex parte obiecti præcisiua impossibilis est, vt ostendimus in præsenti; cognitio autem ex quâ Verbum procedit non solùm physicè sumpta, sed formaliter in quantum est cognitio ad Verbi processionè conducens,necessariò est asserenda infinitè clara,& perfecta.De quibus suo loco plura *in tract.de Trinitate.*

439 Secundò obiicitur ex eisdem. Essentia diuina nequit non esse obiectum primarium comparationè Relationum, quæ veluti proprietates sunt oriundæ ab Essentiâ,atque adeo ipsâ posteriores;sed quoduis obiectum primarium sine secundario potest cognosci:igitur Essentiâ diuina sine Attributis, & Relationibus,siue eis non visis,potest intuitiuè videri.Confirmatur. Essentia distinguitur à Relationibus formaliter ex naturâ rei:ergo nihil vetat,quod eis non visis videatur.Distinguo maiorem argumenti.Essentia diuina est obiectum primarium specificatiuè in quantum Essentia, transeat; reduplicatiuè in quantum obiectum visionis, nego.Deinde minorem.Sed obiectum primarium sine secundario potest cognosci,quando est primarium reduplicatiuè in quantum obiectum eius cognitionis, quâ est cognoscendum, transeat:quando tantùm specificatiuè est primarium nego; & nego consequentiam. Est dicere, tametsi Essentia Dei secundum se sit prior Relationibus aut per rationem nostram, aut etiam ex naturâ rei, de quo modo non curo: at hoc ipso, quod realiter est idem cum illis non est prius,quam illæ cognoscibilis per claram visionem, quia nulla est possibilis visio clara,per quam necessariò non debeat cognosci indiuisim,quidquid realiter est Deus,quod est Essentiam reduplicatiuè in quantum obiectum visionis non esse quid primarium respectu Relationum. Ad confirmationē imprimis nego antecedens,iuxta doctrinam statutam *suprà q.3.* contra distinctionem Scoticam.Deinde, eâ distinctione cum antecedente gratis admissâ,nego consequentiam: quia adhuc admissâ est impossibile,vt vna formalitas diuina clarè, & intuitiuè videatur sine aliâ identificatâ cum illâ, vt *suprà.num.*409. notatum est.

Tertiò obiicitur ex Gran.Alarc.& aliis. Personalitas verbi vnitur immediatè humanitati Christi Domini,secus natura diuina. Ergo & poterit intuitiuè videri Personalitas Verbi,non visâ naturâ,aut è contrà.Omissis variis solutionibus,quas exhibent Vasq. Soar.Hurt.& alij relati pro nostrâ sententiâ *n.* 408. Ego concesso antecedente nego consequentiam. Primò, quia Personalitas Verbi respectiuè ad vnionem hypostaticam distinguitur virtualiter à naturâ diuinâ,secus respectiuè ad visionē, iuxta dictâ *num.* 435.Quo fit,vt seorsim à naturâ per vnionem quidē immediatè possit attingi,non item per visionem.Secundò: quia specialis ratio est cur Personalitas clarâ intuitione sine naturâ nequeat videri,aut vice versâ. Tametsi possit hypostaticâ vnione tangi immediatè,non tactâ immediatè naturâ,vt constat ex *num.* 436.& ex *seq.* amplius constabit. 440

Simile capiunt Aduersarij argumentum ab aliis prædicatis, quæ ad intra conueniunt diuinis Personalitatibus, & non naturæ, vel è conuerso,cui simili etiam solutione satisfactum estò. Quomodò autem intellectus Dei, & Beatorum ex vi videndi nostras præcisiuas cognitiones non teneatur obiectiuè præscindere easdem, quas videt præscindi à nobis, formalitates *q. seq.* explicabitur. 441

## *Propositio 4.*

Per nullam cognitionem intuitiuam etiam obscuram possunt adhuc de potētiâ absolutâ præscindi obiectiuè illæ formalitates diuinæ,quæ virtualiter sunt distinctæ in ordine ad alia prædicata contradictoria. 442

Accipio in præsenti, sicut & in sequentibus, cognitionem intuitiuam latè prout comprehendit omnem cognitionem habitam per speciem propriam, ab abstractiuâque condistinguitur,quæ habetur per speciem alienam,iuxta dicenda circa istas cognitionum appellationes *alibi.*

Potest autem hæc propositio, quemadmodum & præcedens duplici viâ probari.Primâ,negando prædictas Dei formalitates gaudere distinctione virtuali

ad hoc, quod vna per cognitionem huius generis, aliâ non cognitâ, cognoscatur, etsi illâ gaudeant in ordine ad alia prædicata contradictoria: quia ad talem distinctionem virtualem adstruendam nullum apparet fundamentum. Eâ autem sublatâ, impossibile omnino est, quòd vna formalitas diuina sine aliâ identificatâ secum aliquomodò cognoscatur, iuxta doctrinam *propositi.* 1. Hæc tamen probatio coniecturalis dumtaxat, & consequenter parùm efficax est: quia fieri posset vt aliqua diuina formalitas earum, de quibus tractamus in ordine ad aliquam cognitionem sui intuitiuam possibilem distingueretur ab aliâ virtualiter, & tamen id nos ignoraremus, sicut ante reuelatum Incarnationis mysterium ignorabamus in ordine ad vnionem hypostaticam terminandam distingui in Deo virtualiter vnam formalitatẽ ab aliâ.

444 Quare accedendo ad secundam viam, quæ magis metaphysica est, probo absolutè propositionem. Per cognitionem intuitiuam habitam per propriam speciem, quæcumque illa sit, ita repræsentatur obiectum, vt illud ipsum, quod est, aut esset, si daretur re ipsâ, sit obiectiuè in mente intuentis, non aliud loco illius. Id namque est obiectum per propriam speciem cognosci quòd ipsum per se, non aliud pro ipso repræsentetur cognoscenti. Igitur impossibile est, quòd sit obiectum aliquod in mente illud intuentis distinctum formaliter ab eo, à quo in se ipso formaliter distinctum non est. Patet hæc consequentia: quia si obiectum repræsentaretur, atque adeo esset in mente intuentis distinctum ab alio, à quo in seipso distinctum non est, non esset in mente intuentis idem ipsum, quod est in se, sed aliud quidpiam, siquidem, quæ in se sunt idem, non possunt non vbicunque per se ipsa sunt, esse idem, iuxta *propos.* 10. statutam *suprà q.* 3. quæ ad rem recognoscenda est. Igitur impossibile est, quod aliqua diuina formalitas repræsentetur intuenti distincta formaliter ab aliâ, à quâ re ipsâ formaliter distincta non est, & consequenter, quòd obiectiuè per intuitionem præscindatur ab illâ, adhuc adscitâ ad id muneris distinctione vnius ab alterâ virtuali. Ex confirmari potest: quia cùm Paternitas e. g. in se sit idem, quod Essentia, si conciperetur ab essentiâ distincta, non esset in mente concipientis idem, quod est in se, prout requiritur, iuxta dicta, vt conceptio sit intuitiua.

445 Sed potest opponi contra hanc doctrinam. Beneficio distinctionis virtualis potest Personalitas Filij produci, non productâ essentiâ, & vniri humanitati Christi immediatè, non vnitâ essentiâ: ergo beneficio distinctionis virtualis poterit pariter cognosci intuitiuè, non cognitâ essentiâ, si alias non desist talis distinctio in ordine ad hæc prædicata, vt non deest in ordine ad illa. Concesso antecedente, nego cõsequentiam. Discrimen stat penès diuersitatem horum, illorumque prædicatorum. Produci enim, & vniri Personalitatem Filij præ essentiâ benè intelligitur absque distinctione illarum formali, supplente vicem eius virtuali in ordine ad euitandam contradictionem, quia per productionem, aut vnionem solius Personalitatis nullatenus hæc ab essentiâ distinguitur formaliter (ob id dicebam *suprà num.* 430. vnionem hypostaticam impropriè dici præscindere suâ terminatione Personalitatem Verbi ab essentiâ.) At verò cognosci intuitiuè Personalitatem Filij absque essentiâ nullo modo potest intelligi sine distinctione illarum formali: quia ex vnâ parte nequit Personalitas sola per intuitionem repræsentari, quin appareat præcisa, siue distinctâ formaliter distinctione saltem inadæquatâ, siue semiexistente ab omni alio, quod per talem intuitionem non tangitur, atque adeo ab Essentiâ, vt constat ex dictis *suprà num.* 415. Propter hoc enim cognitio quæuis repræsentans vnam formalitatem sine aliâ dicitur propriè præcisiua, & formalitas cognita à non cognitis distincta esse ex suo conceptu obiectiuo: ex aliâ verò parte Personalitas Filij distincta formaliter ab Essentiâ, sicuti est obiectiuè in mente intuentis modo dicto, nequit prout postulat intuitio, esse eadem Personalitas Filij, quæ re ipsâ datur, nisi hæc in se distincta sit formaliter ab essentiâ, vti est in mente intuentis. Quod est non posse Personalitatem Verbi præscindi per intuitionem ab essentiâ, nisi re ipsâ formaliter sit ab illa præcisa, & consequenter talem præcisionem nullatenus possibilem esse, adhuc adscitâ pro illa virtuali distinctione.

446 Deinde potest opponi. De ratione intuitionis in vniuersum non esse repræsentare obiectum, vti re ipsa est, quandoquidem innumeræ dantur intuitiones saltem apprehensiuæ etiam in Deo de obiectis non existentibus, & chimericis, atque adeo necessarium nõ esse, quòd per intuitionem repræsentetur obiectum, sicuti ipsum est in se, quo tota argumentatio nostra videtur eneruari. Respondeo iam me hanc præoccupasse obiectionem, cùm dixi inter argumentandum obiectum intuitionis non posse non esse in mente intuentis id ipsum, quod est, aut esset in se, si daretur; hoc enim ad vim mei argumenti est satis: suppositio namque, quòd formalitas A, aut est de facto idem cum cum B, aut esset, si daretur, qui concipit intuitiuè formalitatem distinctam à B, eo ipso non concipit formalitatem A, quia conceptus proprius formalitatis A, qualis est intuitiuus, necessariò debet esse conceptus formalitatis identificatæ cum B. quo fit, vt repugnet conceptu proprio, & intuitiuo concipi formalitatem A, & non concipi illam identificatam cum B, in quo cognitio intuitiua habita per speciem propriam ab abstractiuâ habitâ per alienam discriminatur. Hæc enim, cùm non tangat obiectum in se, sed in alieno substituto, iuxta dicta *q.* 9. consequenter potest præscindere in substitutis alienis distinctis, ad quorum instar illas cognoscit, formalitates, quæ realiter præcisæ non sunt inter se, vti abundè *ibi* explicatum est.

## *Propositio* 5.

447 Per cognitionem intuitiuam, siue per proprias species habitam nequaquam præscindi potest ex parte actus, seu modi cognoscendi dumtaxat vna formalitas ab aliâ, prout opinantur Recentiores relati *n.* 407.

Itaque impossibile omnino est, vt per iudicium intuitiuum, quodcunque illud sit, iudicetur, seu sciatur Deum esse ens, & non iudicetur, nec sciatur, an sit substantia, an sit spiritus, &c. vel vt iudicetur, sciaturque, seu cognoscatur bonitas Dei, non iudicatis, neque cognitis sapientiâ, omnipotentiâ, iustitiâ, immensitate, æternitate, cæterisque attributis. Qualiter per iudicium abstractiuum nostrum de facto passim testante experientiâ contingit. De vtroque enim putant Recentiores præfati eamdem philosophiam esse, quasi præcisiones formalitatum à nostris iudiciis oriundæ, quas experimur non ex parte obiecti, sed ex parte actus dumtaxat, seu modi cognoscendi se habeant, contra id, quod satis, superque ostensum reliquimus *suprà q.* 9. vbi & hæc quoque propositio satis, superque obiter mansit probata.

Probatur

448 Probatur tamen insuper primò. Quoniam, vel significata adæquata omnium, & singulorum nominum attributorum Dei sunt inter se distincta realiter, saltem ratione connotatorum significatorum obliquè, vel sunt realiter omnino identificata, tametsi per nostram rationem distincta sint. Si dicas primum: temerè imprimis dicis vt minimùm contra sententiam omnium PP. & Theologorum, absolutè pronunciantium diuina attributa à parte rei prorsus esse indistincta, per rationemque dumtaxat distingui, perque nomina attributorum vnum quid, & idem realiter indiuisum significari, vt vidimus *suprà quæst.* 4. Deinde nihil dicis ad rem. Quia si sapientia realiter est distincta à iustitiâ saltem ratione connotati, ad cognoscendum sapientiam, ignotâ iustitiâ, nullâ opus erit præcisione, adhuc ex parte modi. Quemadmodum ad cognoscendum Petrum, ignoto Ioanne, nullâ præcisione opus, est eo sensu, quo impræsentiarum de præcisionibus loquimur. Si autem dicas secundum. In tuum illud potissimum argumentum ad negandas præcisiones obiectiuas impingis, per quod sanè manifestè probatur nullatenus posse cognosci sapientiam Dei sine iustitiâ, si sapientia, & iustitia Dei sunt prorsus vnum quid, & idem realiter, in seque, vt sunt tanguntur per cognitionem, vt nequeunt non tangi per intuitionem, de quâ modò tractamus.

449 Secundò, etsi de aliquibus attributis Dei, aliorumque entium formalitatibus dici possit in ordine ad connotata distincta significari, eoque pacto sufficientem distinctionem habere re ipsâ, vt quædam sine aliis cognosci possint, atque adeo etiam, si placet, ex parte actus, siue ex parte modi præscindi. Id tamen de omnibus dici nequit, quia plura sunt, quæ non habent connotata distincta, ad quæ comparentur, vt satis etiam euicimus *quæst. 9. citatâ*. Quocirca nequibit ab intuente cognosci sapientia diuina, ignotâ bonitate, aut immensitate, aut æternitate, aut aliis huiusmodi attributis omni extrinseco connotato carentibus, contra doctrinam Recentiorum, quia id erit cognoscere vnum sine eo, quod cum illo prorsus est idem, quod per argumentum commemoratum, eorumdem Recentiorum sententiâ, impossibile est.

450 Tertiò, nec dici potest eatenus præscindibilem esse ex parte actus sapientiam Dei ab eius iustitiâ, aut æternitatem ab immensitate, &c. quatenus Deus integer cognoscibilis est per cognitionem discernentem eum ab omni non sapiente, & non discernentem eumdem ab omni non iusto, vel discernentem ab omni non æterno, non verò ab omni non immenso, &c. quia modus iste philosophandi satis iam etiam est confutatus *dictâ quæst. 9.* Etenim discernere Deum ab omni non æterno, non verò ab omni non immenso, nihil est aliud, quàm cognoscere Deum prout dissimilem omni non æterno, ignorando an sit dissimilis omni non immenso; quod tamen impossibile est, quia id esset cognoscere vnum, ignoto eo, quod prorsus est idem cum illo, quod argumentum prædictum etiam iudicio Recentiorum repugnat. Quippe cùm non æterna, & non immensa omnino sint eadem, nequeunt non esse omnino idem dissimilitudo, quâ Deus est dissimilis non æternis, & dissimilitudo, quâ est dissimilis non immensis, quandoquidem dissimilitudo, etiam sententiâ Recentiorum, aliud non est, ab ipsis extremis dissimilibus, & hîc extrema dissimilia vtrâque dictâ dissimilitudine eadem sunt, vt constat. Præterquam quod absurdum est dicere æternitatem, & immensitatem Dei aliud non esse à dissimilitudine, quâ Deus omni non æterno, & omni non immenso est dissimilis; siquidem hæc partim est extrinseca Deo; æternitas autem, & immensitas attributa eius sunt intrinseca omninò, vt satis apud omnes constat. Tum etiam absurdum est, quod sequitur; non posse scilicet cognosci æternitatem, aut immensitatem Dei, nisi comparando ipsum ad omnia non æterna, & non immensa. Quin imò maius adhuc ex hâc Recentiorum doctrinâ absurdum sequitur; nimirùm omnia attributa propria Dei nihilo omninò differre ab vnicâ dissimilitudine, quâ Deus dissimilis est omni non Deo. Quo absurdo posito, rursus ostenditur falsa sententia Recentiorum, quia sic vnum attributum sine alio nullatenus per intuitionem cognosci poterit, nullaque proinde intuitio possibilis erit præscindens vnum ab ab aliis adhuc ex parte modi. Mitto plura, quia hæc satis, donec aliud pro se tuendis quærant effugium Recentiores.

Id autem, quod in nos obtendunt à visione corporali desumptum, quasi per hanc, vt ipsi supponunt, aliquo modo præscindatur vnum prædicatum ab aliis, siue vnum sine aliis cognoscatur, satis dilutum est *suprà quæst. 9. citata*, vbi suppositmu negauimus, & rem ipsam totam exposuimus. Quod si suppositum esset verum, potiùs præcisionem ex parte obiecti, quàm ex parte actus ab intuitione oriundam probaret contra eosdem Recentiores, & omnes; nam effugia de diuersitate connotatorum, & de discretione obiecti cogniti ab his præ aliis in visione corporali nullum locum habent, vt constat. 451

Id autem, quod nonnulli pressi tentarunt, sufficere scilicet ad præcisionem ex parte actus vnius formalitatis obiecti ab aliis, quod actus, quibus obiectum totum tangibile est, sint diuersi, quasi Deus e. g. ex eo solùm appareat sapiens, & non iustus, quia cognoscitur per actum A, ex eo verò iustus, & non sapiens, quia per actum B. manifestissimè retunditur, quia si actus A attingit totum Deum in se, vt supponitur, idemque omninò in Deo est sapientem esse, ac iustum esse, impossibile omninò ostenditur per argumentum sæpè commemoratum, quod sciatur per actum A Deum esse sapientem, & non sciatur eodem modo, eâdemque claritate, aut obscuritate Deum esse iustum, aut, quod reddatur ratio de Dei sapientiâ, & non de iustitiâ (prout alij dicunt nouâ phrasi, sed sine nouo nucleo.) Tantundem dictum esto de actu A. 452

## QVÆSTIO XII.

*Vtrum perfectiones diuinæ, aut etiam creatæ ab intellectu Dei, vel aliorum intuitiuè videntium aliquod genus distinctionis rationis subire possint, vel etiam subeant?*

NOn potest quæstio hæc prætermitti, vtpote annexa præcedentibus, nec parum lucis præbitura resolutioni earum. Quocirca operæ pretium duxi eam quoque illis adiicere, de quâ communiter tractant Theologi in materiâ de attributis diuinis, duplexque circa ipsam sententia est. 453

454 Prima vniuersaliter affirmantium intellectum beatum etiam diuinum diuinas perfectiones distinguere distinctione rationis. Ita Henric. *quodlib.* 5. *q.* 1. Varro apud Aureol. *in* 1. *dist.* 8. *q.* 3. *art.* 1. Canarien. 1. *part. q.* 28. *art.* 2. *disput.* 2. *dub.* 3. Molin. *ibidem disputatione.* 3. *concl.* 5. fauet Duran. *in* 1. *dist.* 2. *q.* 3. *num.* 20. consentit Arriag. quatenus docet tum *in logica disput.* 5. tum *tom.* 1. *in* 1. *p. d.* 9. *à n.* 5. & & rursus *à num.* 35. inter cognitionem intuitiuam, & abstractiuam, quod attinet ad præcisionem obiecti cogniti, nullum esse discrimen, quia per neutram potest illud obiectiuè præscindi, formaliter tamen per vtramque potest; quod etiam tenent Ouied. *contr.* 6. *de Anim. punct.* 4. *n.* 3. & 14. & *contr.* 4. *Met. p.* 7. *n.* 4. Franc. Alph. *disp.* 16. *de Anim. sect.* 3. & alij communiter, qui non præscindunt obiectiuè, apud quos præcisio formalis, siue præcisio ex parte actus, distinctio rationis in idem recidunt; ponunt enim distinctionem rationis in vniuersum ex parte cognitionis dumtaxat. Quibus, quodam modo videtur consentire Ruiz *disp.* 12. *de Trinit. sect.* 7. *n.* 4. quatenùs ait diuersos intellectus per distinctas, & inæquales visiones quodam modo efficere distinctionem rationis, in quantum per perfectiorem videtur in Deo aliqua veritas, quæ per imperfectiorem non videtur.

455 Secunda sententia est absolutè negantium per intellectum Dei, aut Beatorum distingui perfectiones diuinas aliquo genere distinctionis rationis. Huius sententiæ sunt Capreol. *in* 1. *dist.* 8. *q.* 4. *art.* 3. Soar. *disp.* 7. *Met. sect.* 1. & *disp.* 45. *sect.* 2. & *lib.* 1. *de essentiâ, & attrib. c.* 13. *n.* 6. & *l.* 4. *de Trinit. c.* 4. *n.* 17. Vasq. 1. *p. disp.* 118. *c.* 2. Tan. *disp.* 2. *q.* 2. *dub.* 4. Gran. *contr.* 1. *tit.* 2. Recupit *l.* 3. *de Deo q.* 8. *disp.* 6. & *tit.* 5. *disp.* 5. *n.* 12. Alarc. *tit.* 5. *disp.* 2. *c.* 9. Ruiz *suprà n.* 1. & alij. Pro quâ sententiâ, vt ponderat Vasq. videtur etiam stare D. Bern. *lib.* 5. *de Consid. ad Eugen.*

456 Pro resolutione suppono primò, nullam possibilem esse distinctionem rationis, quæ verè, & propriè talis sit, & tantùm se habeat ex parte cognitionis, quin appareat ex parte obiecti, repræsenteturque vt aliud, & aliud id, quod realiter est vnum. Probatur id latè contrà Non præscindentes *q.* 9. *à n.* 265. Vnde patet hocce genere distinctionis neutiquam posse intellectum Dei, aut Beatorum distinguere perfectiones diuinas. Addo etsi à cognitionibus confusis huiusmodi distinctionis genus colore aliquo dici posset enasci, nullo tamen titulo posse illud attribui visionibus clarissimis, quales de substantiâ diuinâ habent intellectus Dei, & Beatorum, & consequenter nec aliis eis similibus. Per quod confutati manent Arriaga, & Ouiedo, quatenus asserentes suo illo abusiuo loquendi modo tam per cognitionem intuitiuam, quàm per abstractiuam posse fieri præcisionem formalem, seu ex parte actus, supponunt per vtramque posse fieri distinctionem rationis, quæ solùm ex parte actus se habeat. Quocirca de commentitio isto distinctionis rationis genere nihil est amplius, quod dicamus in præsenti q. Quæ proinde solùm tractabit de propriâ, & verâ in suo genere distinctione rationis faciente aliud, & aliud ex parte obiecti, de eâque solùm erit sermo deinceps.

457 Suppono secundò, distinctionem rationis facientem aliud, & aliud ex parte obiecti aliam esse præcisiuam, aliam non præcisiuam, iuxta diuisionem traditam *q.* 9. *conf.* 2. & 3. Quarum vtraque rursus in supposititiam, & fictam diuidi posset, iuxta doctrinam *superiùs* statutam *disp.* 2. *q.* 3. *conf.* 7. Cæterùm diuisio hæc ad præsens institutum non interest, quia distinctio rationis suppositia dumtaxat potest habere locum in cognoscentibus per species alienas, vt ex dictis *loco citato* constat. vnde si quâ distinctione rationis intuentes, de quibus nunc agimus, distinguerent formalitates verè identificatas, ea vtique non posset non esse fictitia: fictitiam autem ne concipi quidem ab illis posse tum ex dicendis hîc constabit, tum plane colligitur ex dictis *disp.* 11. & 12. si quidem huiusmodi distinctio rationis ficta è genere eorum figmentorum est, quæ à cognoscentibus intuitiuè concipi nequeunt, quorum naturam *ibi* exposuimus.

## *Propositio* 1.

458 De facto per visionem beatificam neque Deus, neque alij Beati distinguunt diuinas perfectiones aliquo genere distinctionis rationis.

Ratio est in promptu, quia, vt constat ex dictis *quæst.* 11. *propos.* 2. Per visionem beatificam siue creatam, siue increatam omninò sicuti sunt in se re ipsâ apparent, ac repræsentantur videnti perfectiones diuinæ. Ergo nullam habent distinctionem obiectiuè in mente videntis, quam realiter non habent in se. Quod est nullâ distinctione rationis distingui per ipsam visionem. Confirmatur primò. Quia si substantia diuina quouis genere distinctionis rationis distincta appareret per visionem beatificam, aliter appareret, quàm in se est: aft non aliter, sed sicuti est in se apparet, vt dictum. Ergo. Confirmatur secundò; quia impossibile prorsus est per cognitionem claram, & intuitiuam aliquam in obiecto cognito fieri distinctionem rationis, vt ex *sequentibus propositionibus* apparebit. Ergo de facto talis distinctio non fit per visionem beatificam.

## *Propositio* 2.

459 Impossibile omnino est, quòd intellectus Dei aliquo genere distinctionis rationis distinguat aut perfectiones diuinas, aut diuinam substantiam.

Imprimis enim non potest eas distinguere distinctione præcisiuâ ex parte obiecti, vt constat ex doctrinâ tradita *q.* 11. constabitque amplius ex mox dicendis *in præsenti.*

Deinde neque potest distinguere distinctionenon præcisiua, sed integrè totam substantiam Dei multiplicatiua ex parte obiecti. Quod probo primò. Quia si substantia diuina duplex appareret obiectiuè in intellectu Dei, non vt est in se, sed aliter, quàm in se est appareret, quandoquidem in se non duplex, sed prorsus simplex est: cognitio autem repræsentans obiectum aliter, quàm est ipsum in se, eo ipso est cognitio imperfecta, atque adeo repugnans Deo, vt satis, superque constat ex dictis dicta *quæst.* 11. Secundò, quia prorsus repugnat vt per cognitionem quouis modo intuitiuam, seu per speciem propriam habitam repræsentetur obiectum, appareatque multiplicatum, seu in plura distinctum, cùm in se re vera sit vnum, iuxta dicendum *propos.* 4. Ergo multò magis repugnat, quòd fiat id per cognitionem perfectissimè intuitiuam, qualis quæuis diuina est. Quod si Deo nullatenus potest multiplex apparere id, quod realiter vnum, & indiuisum est, nullâ profectò distinctione rationis ex parte obiecti se habente poterit intellectus diuinus in plura illud vllomodò distinguere.

460 Obiici tamen potest primò contra propositionem. Deus cognoscit distinguere nos per rationem perfectiones diuinas tum distinctione præcisiua, tum non præcisiua, tum etiam omninò fictitia, qualis à nobis fingi potest, iuxta doctrinam datam *suprà q.* 8.

Ergo

Ergo & ipsam distinctionem per nostrum intellectum factam cognoscit. Ergo non potest non apprehendere distincta extrema, quæ per rationem nostram videt distingui. Ergo non potest non & ipse illa per suam rationem distinguere, cùm nihil sit aliud distinguere per rationem extrema, quàm ipsa distincta concipere. Ergo Deus tum præcisiuè, tum non præcisiuè, tum prorsus fictitiè distinguit perfectiones suas, quando nos totidem modis ea distinguentes cognoscit. Confirmatur; quia Deus non potest non concipere quæuis entia rationis, dum nos fingentes illa intuetur: sed distinctio, quâ intellectus noster distinguit perfectiones diuinas, è genere entium rationis est. Ergo & illam debet cognoscere, & consequenter ipsas perfectiones distinctas, sicut nos apprehendere, siue dicatur ipse talem distinctionem facere, siue secus; quæ est controuersia ferè de solo modo loquendi, & nihil referens ad rem.

461 Ab hoc argumento malè se expediunt multi ex Doctoribus relatis *suprà* pro nostrâ sententiâ, dum de distinctione rationis, quemadmodum de aliis quibusque entibus rationis omninò fictitiis philosophantur relatè ad intellectum diuinum. Cùm tamen distinctio rationis, quâ distincta nobis repræsentantur ordinariè, quæ realiter vnum, & idem sunt, nequaquam sit è genere entium rationis omninò fictorum, quæ & intellectui diuino, & nostro, & cuilibet alij siue abstractiue, siue intuitiuè cognoscenti citra omnem imperfectionem communia sunt: Sed è genere eorum entium rationis, quæ nos supposititia appellamus, iuxta diuisionem traditam *suprà disput. 2. q. 3.* & fusiùs *disput. 17.* propriaque sunt solius intellectus cognoscentis per species alienas siue abstractiuè, neque cognoscenti intuitiuè, siue per species proprias vllatenus possunt conuenire. Itaque nos modo cognoscendi ordinario eatenus per rationem distinguimus entitatem indiuisibilem, quatenus illam per substituta sensibilia distincta seu partialia, seu totalia concipimus; In quibus dumtaxat substitutis, non in se ipsis distincta nobis repræsentantur, vt pluribus est explicatum *locis citatis*. Si quando autem extraordinariè vltra hanc supposititiam distinctionem, quæ præcisiua est, cùm fit per substituta partialia, non præcisiua verò, cùm per totalia; aliam omnino fictitiam inter extrema realiter identificata concipimus, vt certè possumus, ea vtique è genere etiam eorum figmentorum est, quæ à cognoscentibus dumtaxat per substituta aliena possunt confingi. Nec in mentem cognoscentium per proprias species cadere possunt, vt etiam *locis citatis* expositum est.

462 Hinc respondeo ad argumentum facile. Deum quidem videre perfectissimè, quomodo nos per substituta sensibilia rem in se indiuiduam cognoscimus, & in substitutis ipsis distinguimus, quatenus in illis ea nobis multiplicata repræsentatur, & apparet, eo ipso, quòd talia substituta, quæ nostro intellectui sunt loco rei, plura re verâ sunt in se. Quo fit, vt Deo clarissimè scienti rem illam nobis multiplicem apparere, eadem multiplex non appareat, quia ipsi non vti nobis, in substituto multiplici. sed in se ipsâ apparet. Quod est cognoscere Deum clarissimè nos rem indiuisam præscindere, siue distinguere obiectiuè supposititi distinctione, quin ipse eam vllo modo præscindat, aut distinguat. Recognosce doctrinam traditam *disput. 12 q. 5.*

463 Pariterque quoties nos insuper distinctionem aliam fictitiam rei indiuisibili appingimus, Deus cognoscendo clarissimè cognitiones nostras, phantasmataque substituta, ad quæ terminantur, & cætera entia, vt sunt in se clarissimè scit nos tale figmentum confingere, quin ipse illud formaliter, sed fundamentaliter solùm, seu æquiualenter concipiat, quia conceptio eius sumpti formaliter ex modo cognoscendi nostro per substituta aliena, quem Deus non habet, dependet, vt pluribus est explicatum *ibidem*.

Ex quo ad confirmationem patet, quomodo Deus 464
scire possit nos per rationem nostram ea, quæ in se indistincta sunt, distinguere, seu distincta concipere tum distinctione supposititi, tum etiam ficta, quin ipse illa per suam rationem vllomodò distinguat, siue ita distincta concipiat, vt ibi plura, & distincta repræsententur, sicut nobis, prout ad distinguenda illa per rationem, siue ad faciendam illorum distinctionem rationis omninò necessarium est. De quibus omnibus plura *ibidem* videri possunt.

Secundò obiici potest contra propositionem. Deus reuelat hominibus vnam sui formalitatem præ aliâ intendens significare illam suâ reuelatione, & non aliam. Ergo non potest non suâ cognitione distinguere illam ab aliâ. Concesso antecedente, nego consequentiam; quia Deus in signis, quibus nobiscum loquitur, nobis se accommodat, in modo verò cognoscendi, nequaquam; longè enim aliter ille cognoscit, quod nobis cognoscendum proponit, ac cognoscendum à nobis scit, vt constat ex dictis.

## *Propositio 3.*

Impossibile omninò est, quòd intellectus creatus 465
aliquo genere distinctionis rationis distinguat aut perfectiones diuinas, aut diuinam substantiam per intuitionem æquè claram, ac est visio beatifica.

Hæc propositio ex præcedente sequitur, ex dictisque circa illam constat. Nam de intuitione substantiæ diuinæ æquè clara ac est visio beatifica eodem modo est philosophandum, quod ad rem attinet, ac de cognitione diuinâ consentaneè ad doctrinam *q. 11.* quæ ad hanc ad etiam extendenda, proportione seruatâ.

## *Propositio 4.*

Impossibile omnino est, quòd intellectus creatus 466
aliquo genere distinctionis distinguat aut perfectiones diuinas, aut diuinam substantiam per cognitionem intuitiuam etiam obscuram.

Hæc propositio per doctrinam datam *quæst. 11.* probanda venit. Quoniam, vt *ibi* argumentabar, per quamuis intuitiuam cognitionem ita repræsentatur obiectum, vt illud ipsum appareat intuenti, sitque obiectiuè in mente eius, quod est in se re ipsâ, si datur, aut esset, si deratur. Ergo impossibile est, quòd ea, quæ in sunt vnum, & idem, appareant intuenti plura, sintque subinde plura in mente eius obiectiuè. Sic enim aliud essent in mente intuentis ab eo, quod sunt in se; contra naturam intuitionis. Ergo impossibile est, quòd distinguantur ab intuenti per rationem, quandoquidem ad omnem distinctionem rationis est necessarium vt plura appareant cognoscenti, quæ realiter vnum sunt, vt constat ex dictis. Confirmatur primò, & declaratur, quia si A in mente intuentis ex suo conceptu obiectiuo, atque adeo per essentiam, quam ibi habet, non est B, repugnat, quòd idem ipsum A à parte rei positum sit B; sicut repugnat, quòd homo, qui in mente intuentis est essentialiter animal rationale, idē ipse à parte rei

positus non sit animal rationale. Ergo conuertendo, repugnat, quòd A realiter identificatum cum B, distinctum sit à B in mente intuentis, & nihilominus sit idem A, prout postulat natura intuitionis. Confirmatur secundò, quia etiam natura distinctionis rationis poscit, vt eademmet appareant intellectui plura, quæ realiter vnum sunt; alioquin ea non per rationem tantùm; sed realiter distincta essent: repugnat autem apparere plura eadem, quæ in se sunt vnum, si apparent in se, & non in alieno substituto; qualiter necessario apparent per cognitionem intuitiuam, vt satis ex se est notum. Recognosce propositionem illam 10. *suprà quæst.* 3. stabilitam, vbi vniuersè est demonstratum. Quæcumque alicubi sunt idem, vbicumque per se ipsa, & non per substituta aliena sunt, necessariò esse idem. Et consequenter, quæ à parte rei sunt vnum, & idem, si in mente illa cognoscentis per se ipsa sint, vt sunt quando cognoscuntur per propriam speciem, non posse non esse ibi etiam obiectiuè vnum, & idem.

470 Sed obiici potest contra propositionem. Per intuitionem corporalem apparet sæpè nobis plura id, quod in se re ipsâ est vnum: tantumdemque consequenter euenit per intuitionem intellectualem corporali correspondentem, poteritque haud dubiè euenire per alias intuitiones possibiles habitas per species infusas independenter à sensibus. Ergo saltem distinctione rationis non præcisiuâ possunt per cognitionem intuitiuam distingui, seu multiplicari obiectiuè, quæ realiter neque distincta, neque multiplicata sunt.

471 Respondeo. Quoties per externam sensionem videtur nobis plura apparere id, quod realiter est vnum, re verâ non apparere plura, sed vnum in diuersis locis, quod est valde diuersum. Neque enim sensiones illæ suum obiectum repræsentant in plura inter se distincta multiplicatum (sic enim, vt constat ex dictis non repræsentarent obiectum verum, per cuius proprias species gignuntur, sed aliud fictitium, cuius sensus nullam speciem habet, quod patet esse impossibile) sed in pluribus spatiis collocatum, fingendo scilicet aliquam, aut aliquas eius præsentias. Quod quidem valet sensus præstare virtute propriæ speciei acceptæ ab obiecto. Quippe sensibilium communium, quorum potissimum est præsentia, non dantur sensibus externis particulares species, sed per easdem sensibilium propriorum illa cognoscunt, quæ indifferentes sunt suâ naturâ ad repræsentandum proprium sensibile, à quo nascuntur, sub hoc, aut alio sensibili communi; determinantur autem à parte sensiterij, cui imprimuntur penes illius quantitatem, figuram, situm, ordinem, &c. Quo fit, vt sensibile proprium, aut in spatio, vbi non est, aut cum maiore, vel minore quantitate, quam habet, aut sub diuersâ figurâ possit repræsentari virtute eiusdem propriæ speciei. Et ideo circa sensibilia communia fallacia in sensibus potest accidere; circa sensibilia verò propria, nequaquam. Esset autem fallacia circà proprium sensibile, si multiplex sensui appareret id, quod re ipsâ non multiplex, sed simplex est; quandoquidem esse vnum, vel multiplex non accidens extrinsecum, vt præsentia, figura, situs, &c. sed prædicatum est intrinsecum proprij sensibilis. Quæ omnia fusiori calamo sunt exposita *suprà disput.* 1. *quæst* 2. Quemadmodum autem in casu proposito sensui externo non plura, sed vnum in distinctis locis apparet; ita sensui interno, & intellectui non plura, sed vnum pariter apparet in distinctis locis ex vi apprehensionis intuitiuæ oriundæ ab externâ sensione, per propriamque genitæ speciem obiecti sensibilis.

Nec refert sæpe intellectum decipi putantem re 472
verâ esse plura, aut saltem plura apparere sensui id, quod, cùm in se sit vnum, in pluribus locis repræsentatur, nam talis deceptio in promptu est, hoc ipso, quòd ordinariè, quæ in pluribus locis apparent, plura re verâ sunt; aliundeque intellectus vi externæ sensionis nequit discernere an, quod in pluribus locis cernitur, sit vnum, vel plura similia. Quemadmodum si in eodem loco plura exactè similia successiuè proponerentur, discernere non posset intellectus vi externæ sensionis, an illa re verâ essent plura, vel vnum repetitè propositum. Huiusmodi autem intellectus fallax iudicium per alienas species fit, quibus pro vero obiecto apparente in pluribus locis plura similia, atque conficta supponuntur. Ex quibus omnibus concluditur per cognitionem intuitiuam, quæcumque illa sit, siue sensus, siue intellectus nullatenus posse diuidi, siue multiplicari in plura id, quod realiter est vnum. Atque adeo nullâ ratione fieri posse distinctionem rationis. Adde, esto sensus cognosceret duo, vbi vnum dumtaxat re ipsâ est, fingendo alterutrum, aut vtrumque, quâ ratione fingit præsentias, distinctionem ab illo oriundam non fore eius generis, quas dicimus fieri non posse per cognitionem intuitiuam: quia non esset distinctio extremorum alias in se non distinctorum, sed potius distinctorum in se.

Quod si circa substantiam diuinam per nullam 473
omninò cogitationem intuitiuam distinctio aliqua rationis effici potest, vti probauimus; neque circa entia creata poterit effici, quia, quod ad rem attinet, eadem prorsus circà omnia obiecta intuitiuè cognoscibilia est philosophia, vt est notissimum.

## DISPVTATIO XIV.

### *De connexione, deque oppositione entium seu rerum: atque adeò obiectorum intellectus humani. Vbi etiam de relatione.*

1

CONIVNGO in eadem disputatione connexionem, & oppositionem entium, seu rerum: quia termini isti quodammodo sunt inter se oppositi; siquidem id dicitur connecti cum altero, quod sine illo esse non potest: id autem alteri opponi, quod non potest esse cum illo. Et termini oppositi sub eamdem disciplinam; atque adeò sub eamdem disputationem iuxta rectam scientiæ methodum aptissimè cadunt. Quoniam autem ex vnâ parte oppositio, & connexio relationes quædam sunt ex conceptu suo; ex aliâ verò inter oppositionum genera, oppositio relatiua censetur. De relatione generatim ante omnia tractare opus est; summariè tamen, & breuissimè, vt sequitur.

QVÆSTIO

## QVÆSTIO I.

### *Quid sit relatio in vniuersum, & quotuplex?*

2 ARistot. in lib. Prædicam. cap. de *Ad aliquid* (ita enim appellat ipse relatiua) reiectâ antiquiore relatiuorum definitione, suam sic exhibet: *Ad aliquid sunt, quibus hoc ipsum est esse, ad aliquid quodammodò se habere.* Id est, relatiua sunt, quæ ex conceptu suo ad aliquid referuntur, ipsumve respiciunt aliquomodò. *In lib.* autem. 5. *Metaph. c.* 15. ad tria genera reducit omnes omninò relationes; ita, quòd primi generis sint, quæ fundantur in vnitate, & numero quavis ratione; cuiusmodi sunt relatio similitudinis habentium vnam qualitatem, æqualitatis habentium vnam quantitatem, & identitatis habentium vnam substantiam, siue essentiam. Tum relationes dupli, & dimidij, tripli, & tertiæ partis, excedentis, & excessi, & cæteræ huiusmodi; necnon relationes dissimilium, inæqualium, distinctorum, &c. Secundi autem generis relationes fundatæ in actione, & passione, eaque siue præsente, siue præteritâ, siue futurâ, vt causæ, & effectus, patris, & filij, domini, & serui, mariti, & vxoris, & aliæ huiusmodi. Tertij denique generis relationes fundatæ in quouis alio actu, siue secundo, siue primo; vt sunt relationes scientiæ, seu scientis, & scibilis; intellectus, seu intelligentis, & intelligibilis; sensus, seu sentientis, & sensibilis; mensuræ, seu mensurantis, & mensurabilis, & similes. Quas omnes aliqui dicunt in mensurâ, & mensurabili vniuersè fundari, quasi id voluerit Arist. non tamen benè: quia Arist. dumtaxat intendit inter alia exempla relationum ad hoc tertium genus spectantium, pro exemplo ponere relationes mensuræ, & mensurabilis, vt constat ex textu.

3 Cæterùm pro resolutione breuissimâ multarum difficultatum, quæ latissimè ab Auctoribus controuertuntur circa materiam huius quæstionis, suppono primò ex vniuersali doctrinâ actuum traditâ *suprà disputatione* 8. omnem relationem, quâ talem ex suo conceptu formali actum quemdam esse alicuius subiecti ad aliquem terminum, per quem tale subiectum ad talem terminum referri dicitur. Sicut è conuerso omnis actus, quo quoduis subiectum circa quemuis terminum exerceri concipitur, relatio quædam est ex suo conceptu formali, qua tale subiectum dicitur ad talem terminum referri, siue ipsum respicere. Quocirca de relatione in vniuersum proinde in præsenti philosophandum nobis est, atque de actu in vniuersum ibi philosophati sumus.

4 Vnde suppono secundò, iuxta dicta *ibidem*, aliquos actus; atque adeò aliquas relationes realiter esse tales, quales à nobis concipiuntur; atque adeò quales sunt formaliter, siue ex conceptu suo formali: quia realiter sunt modi quidam subiecti superadditi, eisque adhærentes, quibus subiecta ipsa circa terminos exerceri, siue versari, ad ipsosque subinde referri, siue ipsos respicere dicuntur. Talis enim est conceptus, quem nos formamus omnis actus significabilis per verbum; atque adeò etiam omnis relationis qua talis, prout latiùs *loco citato* explicatum est. Sunt autem actus; atque adeò relationes huius generis, actio, quâ efficiens producit effectum; passio, quâ passum recipit illum; vnio, quâ vnum extremum vnitur alteri, cognitio, quâ facultas cognoscitiua cognoscit obiectum; volitio, qua obiectum vult facultas volitiua, &c.

Suppono tertiò iuxta dicta *ibidem*, plerosque 5
actus; atque adeò pleraque relationes non esse realiter tales, quales à nobis concipiuntur; atque adeò quales sunt formaliter; siue ex conceptu suo formali; tametsi realiter dentur fundamenta, vnde nos tales desumimus conceptus; seu potius quæ nos per tales conceptus cognoscere intendimus. Huiusmodi autem fundamenta in triplici imprimis sunt differentia. Nam quædam adæquatè sunt identificata cum subiectis actuum, seu relationum; quædam adæquatè sunt ab illis distincta; & quædam partim identificata cum illis, & partim ab illis distincta sunt. e. g. actus, siue relatio, quâ dicitur scientia respicere tum obiectum scitum, tum intellectum scientem, aliud reale fundamentum non habet præter essentiam, siue entitatem ipsius scientiæ; atque adeò formalitas quædam est realis cum scientiâ ipsâ identificata adæquatè. Tantumdemque est de actu actu, siue relatione, quâ actio respicere dicitur principium, & effectum; & quâ vnio respicere dicitur extrema vnita; & quâ omnis creatura respicere dicitur Deum, vt causam primam sui, & quâ omne accidens physicum, & intrinsecum respicere dicitur suum subiectum inhæsionis, siue adhæsionis, &c. Actus verò, siue relatio, quâ obiectum prout cognitum, respicere dicitur cognoscentem, à quo cognoscitur pro vnico fundamento reali habet ipsius cognoscentis cognitionem, quæ adæquatè ab obiecto ipso distincta est. Tantumdemque venit dicendum de actu, quo dicitur obiectum amari ab amante, videri à videnti, audiri ab audiente, &c. Actus denique, siue relatio, quâ dicitur vnum extremum assimilari alteri, pro fundamento reali habet entitates vtriusque extremi: quo fit, vt fundamentum eius partim identificatum sit cum eius subiecto, & partim distinctum ab illo. Et idem est de actu, siue relatione æqualitatis, dissimilitudinis, inæqualitatis, distinctionis vnius extremis ab alio, &c. Similiterque relatio paternitatis pro fundamento habet entitates patris, & filij, & generationem præteritam: & relatio dominij pro fundamento habet entitates domini, & serui, & titulum dominij præteritum, siue ille sit aliquis contractus, siue captio in bello, siue alius, &c. Deinde fundamenta relationis ab eius subiecto distincta siue adæquatè, siue tantùm inadæquatè in triplici rursus sunt differentiâ. Aliquando enim requiritur, quòd omnia illa sint existentia de præsenti ad hoc, vt subiectum de præsenti denominetur, siue dicatur esse relatum aliquando verò tantùm requiritur, vt aliquod eorum, vel aliqua existant de præsenti; aliquando denique nullius eorum existentia de præsenti requititur, prout in exemplis adductis, in aliisque, quæ vniusquisque potest adducere, cernere est.

Appello autem fundamenta relationis ea omnia, 6
quæ ex parte rerum requiruntur, vt subiectum denominetur relatum: quia hic est congruentior modus loquendi: tametsi ab aliis communiter fundamentum relationis appelletur solum subiectum: terminus autem eius id, ad quod subiectum referri dicitur. Cætera autem, si quæ interueniunt requisita, ratio fundandi.

His

7 His positis, prima difficultas est, quid sit relatio prædicamentalis, quid transcendentalis, & quomodò differant inter se. Circa quã quot capita, tot ferme sunt diuersi modi dicendi, in quibus modò recensendis non est, cur moremur. Videri enim possunt apud Tolet. Conimb. Rub. Arriagam & alios, qui de relatione agunt in *Log.* ad lib. Prædicam. Arist. cap. de *Ad aliquid*. Tum apud Suar. *disp.* 47. Petr. Hurt. *disp.* 15. Ouiedo *contr.* 9. & 10. *Metaph.* & alios, qui in *Metaph.* agunt de relatione ad lib. 5. Arist. cap. similiter de *Ad aliquid*, satisque sit impræsentiarum scire primò: Relationem transcendentalem ab omnibus communiter appellari eam, quæ adæquatè est identificata realiter cum subiecto, quod per illam referri dicitur: pro vnicoque subindè fundamento reali habet solam essentiam, siue entitatem talis subiecti, iuxta dicta *suppositione tertia*. Secundò, actus relatiuos, qui re ipsa formalitas sunt, id est, tales, quales à nobis cõcipiuntur iuxta dicta *suppositione secunda*, communiter numerari ab Auctoribus inter relationes transcendentales; non, quòd tales sint comparatione subiectorum, quorum sunt actus; sed, quòd per essentiam suam respiciunt tum ipsa subiecta, tum terminos. Tertiò, omnes communiter condistinguere relationem prædicamentalem à transcendentali; vocareque prædicamentalem eam, quæ pertinet ad speciale prædicamentum relationis; ad quod proindè censent non pertinere transcendentalem, & consequenter; neque cadere sub definitionem Arist. *suprà* propositam, vtpotè, quæ solius prædicamentalis definitio est. Vtrum autem præter relationes, quas diximus appellari communiter transcendentales, cæteræ omnes commemoratæ, *suppositione tertia*, vel aliquæ tantùm earum, & quænam dicendæ sint prædicamentales, & quomodò prædicamentales à non prædicamentalibus differant, & qua ratione definitio dicta Aristotelis sit accipienda, vt solis prædicamentalibus conueniat; variè ab Auctoribus explicari contenditur, vt apud præcitatos videri potest. De quibus omnibus, quid ego sentiam, *paulò infrà* subiiciam.

8 Secunda, & potissima difficultas est. Quâ ratione relatio dicta prædicamentalis à dictâ transcendentali, aut etiam ab aliis diuersa distinguatur à fundamẽtis, quibus innititur; siue, vt loquuntur alij, à suo fundamento, & termino, & ratione fundandi, aut identificetur cum illis. Prima sententia asserit, posito fundamento, & termino, & ratione fundandi pullulare modum quemdam ab his tribus distinctum, per quem sibi superadditum, & inhærentem euadit fundamentum ipsum formaliter relatum ad terminum. Ita Rub. *suprà q.* 2. cum Caiet. Capreol. Ferrar. & aliis. Secunda sententia est, eiusmodi relationem cum fundamento, quod denominat adæquatè esse identificatam realiter, requirere tamen, vt illud denominet relatum tanquam extrinsecam conditionem, quòd terminus, & ratio fundandi subsistant. Ita aliqui Thomistæ, tribuiturque Patri Soar. *suprà sect.* 2. Sed re verâ Soar. ibi omninò censendus est stare pro tertia sententiâ, licèt ad secundam relatam quantum ad modum loquendi videatur accedere. Est autem tertia, relationem prædicamentalem cum suo fundamento, termino, & ratione fundandi realiter esse identificatam; atque ita hæc tria omninò, & nihil amplius includere in suo conceptu reali. Ita cum multis à se relatis tenent Petr. Hurt. Arriag. & Ouied. *suprà*, & omnes alij Recentiores communiter; estque sententia S. Th. vt multis comprobat Hurt.

Ego circa hac difficultatem assero primò, secundam sententiam commemoratam, quam Connotantium, siue Connotatorum, siue de connotatis appellant, omninò falsam esse, vt constat ex doctrina tradita à nobis, & demonstrata *suprà disp. 9. q. 5. proposit.* 19. quæ ad rem videnda. 9

Secundò assero, relationem dictam prædicamentalem neutiquàm esse modum realem superadditum, & intrinsecum subiecto relato, vt prima sententia commemorata fert; sed prorsus esse idem loquendo realitèr cum rebus, in quibus fundatur, siue cum suo fundamento, & termino, & ratione fundandi, vt fert tertia sententia. Itaque relatio similitudinis à parte rei aliud non est ab extremis similibus, & relatio æqualitatis aliud non est ab extremis æqualibus, & relatio distinctionis aliud non est ab extremis distinctis, & relatio paternitatis aliud non est ab entitatibus patris, & filij, & generationis præteritæ à quibus eisdem relatio filiationis etiam est indistincta, & in cæteris pariter. 10

Probatur autem assertum, primò: quia eo præcisè, quòd vna quantitas à parte rei non excedit alteram dicitur ei æqualis; & eo præcisè, quòd vna alteram excedit dicitur ei inæqualis, & eo præcisè, quòd vna res est sicut altera, dicitur ei similis; & eo præcisè, quòd vnus homo genuerit alterum dicitur ille pater, hic filius: omni alio modo realiter superaddito penitùs circunscripto; aliundeque talis modi realitèr superadditi ex hisce rebus resultantis nullum extat indicium: ergo superfluè talis modus, & sine fundamento adstruitur. 11

Secundò probatur: quia, posito Petro in rerum natura, Deus euadit illi dissimilis, est inæqualis in perfectione, & eius dominus à sola coëxistentia cum Petro; quin Deo vllus modus intrinsecè inhærens accrescat, vt est notissimum: cùm Deus ejusmodi modorum prorsus sit incapax, vt constat: ergo Petrus pariter absque vllo eiusmodi modorum sibi accrescente à sola coëxistentia cum Deo euadet ipsi dissimilis, & inæquàlis, & seruus. Tantumdem ergo ob eamdem prorsus rationem de cæteris extremis relatis prædicamentalitèr censendum est. 12

Tertiò probatur: quia, supposito fundamento, & termino, & ratione fundandi omninò necessariò fundamentum euadit relatum ad terminum. Ob id enim veritas hæc. *Tres anguli cuiusuis trianguli sunt æquales duobus rectis*; & vniuersim omnes veritates geometricæ, & arithmeticæ ex diuersarum quantitatum comparationibus resultantes, in huiusmodique proinde relationibus consistentes, omninò sunt necessariæ, vt constat: at si tales relationes in modis superadditis consisterent, etiam supposito fundamento, & termino, & ratione fundandi non euaderet necessariò fundamentum relatum ad terminum: quia adhuc eis suppositis, nõ esset cur Deus non posset impedire cuiusuis modi superadditi productionem, & existentiam, saltem de potentiâ suâ absolutâ: ergo. 13

Quartò probatur: quia supposito subiecto relationis, si ad positionem termini, & rationis fundandi naturaliter resultaret, produceretur que in ipso subiecto modus intrinsecus superadditus, quo euaderet relatum ad terminum, ad motũ vnius cuiusq; atomi, & vniuersè ad positionẽ vnius cuiusq; creaturæ producerentur in reliquis omnibus vniuersi innumeri intrinseci modi, quibus intrinsecè mutarentur; siquidem posita denuò quauis creatura, omnes reliquæ euaderent denuò similes illi, vel dissimiles, æquales, vel inæquales, distinctæ, distantes &c. Quis autem non censeat absurdum asserere, 14

ad

ad positionem singulorum accidentium, & substantiarum, quæ in omnibus temporis instantibus producuntur, cœlos, & elementa, & mixta, & singulas eorum partes seorsim; omnes Angelos, & animas, & omnes demum mundi entitates tam remotè dissitas loco, tot per singula instantia temporis intrinsecas pati mutationes? maximè cùm nulla se prodat earum necessitas.

15 Quintò probatur: quia si relatio esset modus realis resultans in subiecto ad positionem termini; atque adeò in omnibus rebus ad positionem cuiusuis, iuxta *nuper* dicta; ad positionem cuiusuis relationis resultaret alia in omnibus rebus, & ad positionem huius alia, & sic in infinitum: quia, quauis positâ, euaderent omnes res similes illis, vel dissimiles, æquales, vel inæquales, &c. processus autem infinitus effectuum de facto saltem admitti nequit, vt in confesso est apud omnes, & nos ostendemus *suo loco*. Neque suppositâ doctrinâ, quam impugnamus, talis processus vitari potest: quia licèt vnius modi non detur, alius ei præstans, quod ipse habet per suam essentiam (ob id enim vnio non vnitur per aliam vnionem extremis per eam vnitis: quia vnitur eis per suam essentiam; & actio non fit per aliam actionem ab agente per eam effectum, quia fit ab ipso per suam essentiam, &c.) at vnius modi aliùs debet dari ad præstandum illi, quod ipse non habet per suam essentiam, quando id sine modo superaddito præstari nequit; vti euenit in proposito iuxta sententiam, quam refellimus: Propterà enim licèt vnionis partium caloris non detur alia, quâ eis vniatur, quia per se essentialiter eis vnitur: at alia datur, quâ vniatur subiecto, cui vnitur calor: quia vnio partium caloris non magis, quàm calor ipse habet per suam essentiam vniri subiecto: supponimus autem, calorem per vnionem superadditam subiecto vniri. Pariter ergo licèt relatio, quâ Petrus est simili Ioanni aliâ relatione non egeat, quâ ad Petrum, & Ioannem referatur: quia ad eos referri habet per suam essentiam; attamen, vt referatur ad alias relationes aliorum extremorum, & omninò ad alias omnes entitates, ad quas non per essentiam, sed ex accidente refertur: nequit non aliâ egere superaddita relatione, suppositâ aduersâ sententiâ. Ex quo processum infinitum commemoratum statim sequi, compertum est.

16 Sextò probatur. Quia nemo est etiam Aduersariorum, qui non admittat aliquas denominationes extrinsecas, aut semiextrinsecas nullum modum superadditum appingentes subiecto denominato. Tales enim videntur omnes reputare denominationes cogniti à cognoscente, amati ab amante, coëxistentis cum alio in eadem tempore, cohabitantis cum alio in eadem domo, vel vrbe, & similes: at istæ denominationes non minùs sunt relatiuæ ex conceptu suo quàm denominationes patris, filij, similis, æqualis, dissimilis, inæqualis, & cæteræ, quas relationes appellant prædicamentales, vt satis ex se apparet: igitur neque relationes, quas dicunt prædicamentales appingunt modum superadditum subiecto relato; sed omnes æquè denominationes merè extrinsecæ, aut merè semiextrinsecæ sunt. Mitto alia: nam hæc sufficiunt pro opinione iam exoletâ penitus abiiciendâ.

17 Ex his infertur, relationes, quas prædicamentales appellant ex suo conceptu formali relationes rationis esse non fictas, sed suppositicias, quales sunt denominationes extrinsecæ, & semiextrinsecæ, prout *suprà disput. 12. q. 3.* statutum est. Quod tamen non tollit, quominus eæ, loquendo absolutè, relationes appellentur reales: quia fundamenta, vnde à nobis sumuntur, seu potius, quæ ab intellectu nostro cognoscere intenduntur, dum earum conceptus formatur, realia sunt. De quo plura *in ea q. 3. aliisque in locis ibi citatis* videnda sunt,

18 Sed contra doctrinam statutam obiici solet. Sequi ex sententia stabilita non dari speciale genus, seu prædicamentum relationis, contra Arist. & omnes. Tum quia fundamenta realia, à quibus relatio prædicamentalis dicitur non distingui entitatiue sunt ad alia prædicamenta spectantes, vt est notissimum: tum quia plerumque saltem sunt entitates suapte naturâ non relatæ, sed absolutæ: atque adeò nisi per relationem superadditam referantur ad prædicamentum relationis spectare prout relatæ non possunt.

19 Respondent communiter Recentiores, & benè, vt apud Quiedo, & alios videre est, entitatem pertinentem ad vnum prædicamentum sub vno conceptu formali, posse sub alio ad aliud item pertinere: indeque etiam fieri, vt entitates in se absolutæ, provt cadentes sub nostrum conceptum comparatiuum, & relatiuum ad prædicamentum relatiuum, seu relationis pertinere dicantur. Aristot. quippe eo solùm fine adstruxit prædicamenta, vt ad certas, diuersasque classes reduceret omnia prædicamenta, quæ nos de rebus prædicamus, congruenterque reuocauit ea ad decem genera, cùm posset ad plura, aut ad pauciora; nec tam ad diuersitatem realem prædicatorum, quàm ad formalem, quæ ex nostro modo concipiendi sortiuntur attendit. Propterea *actionis*, & *passionis* ob earum diuersitatem formalem diuersa prædicamenta constituit, tametsi realiter sint idem. Et, quæ relatiuè concipiuntur sub genere *relationis* reposuit quidquid sit de eorum entitate in se absoluta, aut non absoluta. *Situs* etiam speciale fert prædicamentum, cùm situs quædam præsentia sit contenta sub *Vbi*; sicut, & *Habere*, cuius itidem posuit speciale prædicamentum, quædam relatio est contenta sub *Ad aliquid*; ipsumque *Vbi* speciale prædicamentum fecit, cùm locum, à quo non distinguitur, sub genere quantitatis posuerit; sub quo etiam posuit tempus, & tamen *Quando*, quod quoddam tempus est, speciale etiam prædicamentum fecit. Numerum item sub prædicamento quantitatis locauit; cùm tamen numerus pro materiali; & quoad suam entitatem realem per omnia genera vagetur: potest enim esse numerus substantiarum, aut relationum, aut qualitatum, aut actionum, &c. Ex quo patet, benè etiam posse relationem prout talem ad speciale prædicamentum relationis spectare, aut etiam ipsum constituere, tametsi materialiter, siue fundamentaliter sumpta per omnia prædicamenta vagetur. Vt hinc appareat, Arist. maiore cum latitudine processisse in constituendis, & numerandis prædicamentis, quàm Expositores eius communiter existimare videntur.

20 Vnde iam pro plena resolutione difficultatis primæ propositæ *num.* 7. videtur inferendum. Primò contra plerosque, Aristot. in lib. Prædicam. cap. de *Ad aliquid* omnem omninò relationem etiam, quam vocant transcendentalem sua illa definitione *suprà num.* 2. relata voluisse complecti. Agit enim *ibi* manifestè, sicut & *lib. 5. Metaph. cap. 15.* de omnibus prorsus, quæ sunt ad aliquid, pro exemplisque affert inter alia habitum, dispositionem, sensum, scientiam, positionem, accubitum, stationem, sessionem, &c. quorum multa saltem sunt ex genere eorum, quæ relata transcendentaliter nuncupantur. Et quidem, legenti textus Aristotelis *locis citatis*

compertum,

compertum fiet, eum de omnibus omninò, quæ sunt ad aliquid vniuersalissime agere;& alioquin parùm scientificè procederet. Quod autem relatio dicta transcendentalis per plura, aut omnia prædicamenta vagetur entitatiuè (quo titulo appellatur transcendentalis)nihil obstat,quominùs sub speciali rationis conceptu ad speciale prædicamentum relationis pertineat;siquidem etiam relatio, quæ prædicamentalis dicitur, & sine controuersiâ pertinet ad speciale prædicamentum relationis, per plura, aut omnia alia prædicamenta vagatur entitatiuè, vt ex dictis *n.præced.*liquidum est.

21 Ex quo videtur inferendum secundò, relationem in vniuersum non benè diuidi communiter in prædicamentalem, & transcendentalem;siquidem vtraque sic appellata, & prædicamentalis dici deberet, vtpote spectans sumpta formaliter ad prædicamentum relationis ab Arist. institutum, & transcendentalis dici posset, vtpotè entitatiuè transcendens alia prædicamenta. Quarè relatio constitutiua prædicamenti relationis, quæ, vt reor, omnem omninò relationem realem amplectitur aliter mihi est diuidenda consentaneè ad diuisionem actus in genere traditam *disp.* 8. *quæst.* 3. Primò quidèm, in relationem re ipsâ formalem, id est, talem re ipsâ, qualis concipitur à nobis, cuiusmodi sunt actus relatiui *supra num.* 4. commemorati (qui proùt respectiui formalitèr ad prædicamentum relationis pertinere censendi sunt; tametsi quidam eorum, quâ talium specialia prædicamenta constituant) & in relationem re ipsâ non formalem; sed fundamentalem dumtaxat, quales sunt reliquæ omnes *num.* 5. recensitæ. Relatio autem non re ipsâ; sed ex modo tantùm concipiendi nostro formalis, rursus est triplex, iuxta *ibi* dicta secundum *esse* fundamentale, quod re ipsâ habet considerata: alia, quæ adæquatè identificatur cum subiecto per eam relato; alia, quæ adæquatè ab illo distinguitur; alia, quæ partim identificatur, partim distinguitur. De quo plura *ibidem.* Aduerto tamen, sub hanc diuisionem vniuersaliùs acceptam, etiam cadere relationem re ipsâ formalem, vtpote, quæ à suo subiecto realitèr adæquatè distincta est. Est quippè,vt sic diuisio adæquata relationis vniuersalissimè sumptæ.

22 Vndè tertiò videtur inferendum, omnem denominationem extrinsecam, aut semiextrinsecam ex suo conceptu formali respectiuam iuxta doctrinam statutam *disp.* 12. *q.* 3. ad prædicamentum relationis Aristotelicũ pertinere, siquidem omnis talis denominatio sub membris prædictis relationis prædicamentalis continetur, vt constat. Et quidem denominationes scibilis, sensibilis, mensurabilis, & aliæ huiusmodi,quæ extrinsecæ reputantur communiter inter ea, quæ dicuntur ad aliquid; ad dictumque proinde prædicamentum pertinent, numerantur ab Aristotele

23 Iam tertia difficultas est; quænam relationum appellanda sit relatio secundum dici, & quænam relatio secundum esse. In quo varij etiam sunt Auctores, vt apud præcitatos videri potest. Illi tamen sequendi sunt, qui solam relationem rationis vocant secundum dici; loquuntur autem de relatione rationis fictâ. Nam, quæ supposititia est non obest, quominùs conceptus, cui conuenit relatio realis, atque adeò secundùm esse dicatur iuxta dicta *n.*17.

24 Quarta difficultas est. Quot aliis diuisionibus præterea relatio sumpta vniuersè diuidenda est. Primò namque, diuidi solet in realem, & rationis. De quâ diuisione nihil est quod oporteat addere ad dicta *d.*12.de natura entis rationis, prout condistincti ab ente reali. Vnde etiam constat,quomodò relationi reali, & rationis vnus conceptus communis, & vniuocus dari possit, aut secùs. Id solùm aduerto, Caiet. & Canar. communiter ab omnibus reiici, quatenus 1. *p. q.* 28. *art.* 2. dixerunt, relationem quantumuis realem secundum *esse in*, neque realem, neque rationis esse secundum *esse ad*; sed quid præscindens à reali, & rationis;sed non benè: quia relatio tam quoad respectum ad terminum, quem vocant *esse ad*, quàm quoad respectum ad subiectum, quem vocant *esse in* potest esse, aut purè realis,aut purè rationis, aut quid præscindens à reali,& rationis, prout ex doctrinâ traditâ *disp.* 12. *q.* 1.& *in præsenti q.* quisque potest colligere.

Secundò diuidi solet relatio in mutuam, & non 25
mutuam, rursusque mutua in æquiparantiæ, & disquiparantiæ. Appellant autem mutuam, quando ita subiectum refertur ad terminum, vt etiam terminus referatur ad subiectum; quando autem relatio termini ad subiectum diuersa est à relatione subiecti ad terminum, vt euenit in relationibus patris, & filij, tunc vocant relationem mutuam disquiparentiæ: æquiparantiæ autem, quando non est diuersa, vti euenit in relationibus, quibus duo extrema inuicem sunt similia, aut æqualia. Non mutuam autem relationem dicunt, quâ subiectum ita refertur ad terminum, vt terminus ad subiectum nullatenùs relatus sit, qualem censent relationem, quâ creatura refertur ad Deum. Ego verò arbitror primò, iuxta hunc loquendi modum nullam esse relationem non mutuam: quia nequit subiectum referri ad terminum, quin terminus ad subiectum referatur relatione diuersâ; siquidèm eo ipso, quòd subiectum per suam relationem respicit terminum, nequit non terminus denominari relatiuè respectus à subiecto, terminansque relationem eius, vt patet; quod etiam euenit in Deo respectu creaturæ. Vnde arbitror secundò, multò aptiorem fore loquutionem, si tantùm dicamus, relationem esse mutuam, quando subiectum, & terminus inuicem referuntur relationibus eiusdem rationis specificæ, vti sunt similitudinis, æqualitatis, distinctionis, & aliæ huiusmodi. Secùs, quando diuersæ, vt sunt relationes paternitatis, & filiationis, mariti, & vxoris, domini, & serui, & similes. Quo ego pacto loquar, cum opus fuerit. Mitto alias diuisiones,quæ in iam *supra* traditas recidunt, aut recidere debent.

Quinta difficultas est. An relatio prædicamen- 26
talis requirat terminum existentem. Affirmant communitèr Auctores, vt videre est apud Soar. *disp.* 47. *Metaph. sect.* 8. & Ouied. *controu.* 9.*Metaph. punct.* 3. Ego verò, vt certum apud omnes statuo, ex relationibus tum adæquatè indistinctis, tum adæquatè distinctis, tum partim indistinctis, & partim distinctis realiter à suo subiecto aliquas esse, quæ non requirunt terminum existentem; vt cernere est in relatione, quâ scientia de obiecto non existente refertur ad ipsum, & in relatione, quâ obiectum existens à scientiâ non existente scibile dicitur; & in relatione, quâ hodiernus dies dicitur prior crastino; & aliquas esse, quæ requirunt terminum existentem; vt etiam apparet in relatione connexionis creaturæ cum Deo, & in relatione, quâ obiectum ab existente visione dicitur visum, & in relatione domini serui existentis. Quo posito, videant nunc Auctores, ad quod horum trium generum (omnem relationem

excogi

excogitabilem comprehendentium iuxta dicta *numer.* 21.) relationem prædicamentalem reducunt, vt sua assertio vera sit. Vel quam ipsi appellent relationem prædicamentalem, vt difficultas proposita locum habeat. Apud me enim, qui omnem omninò relationem prædicamentalem censeo appellandam, conspicua est eius resolutio, vt constat ex dictis; nimirum aliquas relationes prædicamentales exigere terminum existentem, aliquas verò secus. Quomodò autem relatio, quæ denominatio est re ipsa subiecto extrinseca, aut semiextrinseca, & consequenter essentia quædam per accidens dici possit existere tametsi non omnes partes eius sint existentes, ex doctrinâ vniuersali traditâ *suprà disp. 9. q. 5.* constat. Quæ ad rem rocolenda.

27 Sexta difficultas est; vtrum relatio terminetur ad absolutum: an verò ad respectiuum. Sunt, qui censeant, ad respectiuum, qua tale, terminari. In quibus est Rub. *suprà quæst. 7.* Soar. verò *sect. 17.* Hurtad. *sect. 7.* Ouied. *punct. 5.* & cæteri ferè omnes communiter ad absolutum terminari asseuerant; quibus assentior: nempè relatio paternitatis ex suo conceptu non respicit filium reduplicatiuè prout filium; siue prout relatum ad patrem; sed præcisè prout homo quidam est; & relatio, quâ A, est dissimilis B, non respicit B, prout dissimile ipsi A, sed præcisè quoad entitatem, quam habet, & in cæteris pariter. Quod certè adeò ex terminis ipsis videtur notum, vt miror, aliquos esse, qui oppositum senserint. Probatur tamen insuper primò: quia oculi non vident candorem, vt visum; sed præcisè secundum se: & agens non producit effectum vt productum; sed præcisè secundum se: & creatura non respicit Deum vt respectum; sed præcisè secundum se, vt est notissimum: ergo tantumdem est dicendum de cæteris relationibus. Secundò: quia si A, esset dissimilis B, prout sibi dissimili, esset dissimilis illi, vt supponitur, & simul non esset dissimilis: quia A, & B formaliter, prout dissimilia inuicem non sunt dissimilia: sed similia à relationibus similibus dissimilitudinis, quas habent. Est igitur vnumquodque eorum dissimile alteri quoad entitatem præcisè considerato. Tertiò: quia homo eius tantùm termini dicitur esse pater, quem physicè genuit: at non genuit physicè filium reduplicatiuè prout filium; siquidem in conceptu reali filij, quâ talis, entitas filij, & entitas patris & entitas generationis intrat: prout constat ex doctrinâ traditâ *suprà num.* 8. & certum est, non genuisse suam, generationisque entitates: sed solam entitatem filij: ergo huius tantùm pater est: ad haneque proinde præcisè terminatur paternitatis relatio. Quartò denique à priori: quia, vt subiectum referatur ad terminum impertinens est, quod terminus vicissim referatur ad subiectum ipsum. Nam sicut relatio subiecti ad terminum non poscit, quòd terminus, referatur ad subiectum relatione eiusdem rationis, vt patet, quando relatio subiecti ad terminum non mutua est: ita non poscit quòd vllomodo referatur: ergo subiectum non refertur ad terminum, prout ad se vicissim relatum; sed tantùm ad termini entitatem præcisè. Hæc satis. Quæ autem ex aduerso obiici possunt leuiora sunt, quàm, vt in eis dicendis morari oporteat: apud Auctores commemoratos videri possunt.

28 Septima difficultas est. An relationes suscipiant magis, & minus. Dico cum communi, aliquas suscipere, vt relationes inæqualitatis, dissimilitudinis, &c. Aliquas verò non suscipere, vt relationes æqualitatis, distinctionis, & similes.

Octaua difficultas est. Vtrum aliqua relatio ad terminum impossibilem esse possit. Vasquez & alij videntur negare, dum requirunt ad omnem relationem terminum aut existentem, aut possibilem. Sed communis sententia affirmat, quam tenent Soar. *disputat. 47. Metaph. sect. 4.* Ruiz *tom. de scient. disputatione 5. sect. 2.* Albertin. de prædicam. *ad aliquid quæst. 5.* Ouied. *controuers. 10. Metaph. punct. 2.* & apud eos alij. Egoque vt prorsus certam amplector: quia scientia de obiecto impossibili relatio quædam est ad ipsum, negatio etiam eius à nobis respectiuè ad ipsum concipitur cum fundamento: relationes etiam similitudinis, dissimilitudinis, inæqualitatis, distinctionis, oppositionis ad chimeras terminari sæpissimè ex suo obiectiuo conceptu manifestum est, cum possibilia impossibilibus, & impossibilia ipsa inter se verè sint ex conceptibus suis, aut similia, aut dissimilia, aut æqualia, aut inæqualia, aut opposita, aut distincta, &c. 29

Nona difficultas est. Vtrum eiusdem ad se ipsum relatio realis esse possit. Communis sententia videtur negare, quam latè tuetur Ouid. *contr. 10. Metaphys. punct. 3.* Ego verò cum Ruiz *tom. de scient. disputat. 5. sect. 2.* affirmo. Primò: quia cognitio quâ intellectus creatus cognoscit se ipsum, relatio quædam eiusdem ad se ipsum est, non solùm realis; sed etiam re ipsâ formalis. Similiterque amor, quo se amat voluntas creata. Secundò: quia connexio, quâ vnumquodque secum ipso est connexum, & identitas, quâ vnumquodque sibi ipsi est identificatum, relationes quædam sunt ex suo conceptu formali fundamentaliter reales: quod satis videtur, vt relationes reales absolutè dicantur; tametsi formaliter sumptæ relationes sint rationis supppositiuæ: sicut relationes similitudinis, æqualitatis, paternitatis, & aliæ, quæ prædicamentales vulgò appellantur, ex suo conceptu formali relationes rationis suppositiuæ sunt, & nihilominus, loquendo absolutè, reales relationis vocantur: quia fundamenta vnde sumuntur conceptus formales earum: seu potius, quæ per tales conceptus intenduntur ab intellectu nostro cognosci realia sunt, iuxta doctrinam statutam *suprà numer. 17.* Quo etiam iure relationes, quibus idem sibi ipsi dicitur simile, & æquale, reales appellari poterunt. Vnde iure potiori relationes scientiæ, & amoris, quibus Deus se cognoscit, & amat, eiusdemq; proinde sunt ad se ipsum, reales, loquendo absolutè, dicendæ venient, vt censuit Ruiz *vbi suprà.* Porrò relatio eiusdem ad se ipsum circularis vocari potest, sicuti actum eiusdem ad se ipsum *suprà disputat. 8. quæst. 3.* circularem vocauimus. 30

Quomodo autem omnium relationum vnus conceptus vniuersalis; atque adeo vniuocus, qualis per definitionem Aristotelicam principio positam exponitur, dari possit, ex doctrinâ generali tradendâ *infrà disp. 17.* compertum fiet. Vtrum autem ad relationem detur per se motus, necne, alibi est examinandum, vbi de motu sermo sit. Veniamus iam ad agendum de relationibus connexionis, oppositionisque speciatim. Quo tanquam ad scopum potissimum spectat præsens disputatio. 31

## QVÆSTIO II.

### *Quid sit connexio rerum, & quotuplex?*

32 ID dicitur vniuersè cum alio quopiam connecti; siue connexum esse, quod ita cum suâ naturâ est colligatum, vt sine eo esse non possit. Vnde patet, connexionem ex suo conceptu actum quemdam esse significabilem per verbum, quo vnum extremum tanquam subiectum cum alio, tanquam cum termino connecti, seu colligari dicitur iuxta doctrinam vniuersalem actuum traditam *suprà disput.* 8. Ex quo rursus fit, connexionem omnes conditiones, seu proprietates actus expositas ibi sortiri. Est autem connexio actus metaphysicus adæquatè per identitatem intrinsecus suo subiecto adæquato iuxta doctrinam *in ea disput.* traditam *q.* 3. atque adeò relatio quædam cum suo subiecto adæquato adæquatè identificata, iuxta doctrinam *quæst. præced.* Vnde connexio in suo conceptu reali non inuoluit terminum, cum quo suum adæquatum subiectum connecti dicitur, quando subiectum à termino adæquatè distinctum est. Id quod inde monstrandum venit. Nam, vel tale subiectum per suam entitatem præcisè est impotens esse sine tali termino, vel non? sed per suam simul, & termini entitatem? si primum, per suam entitatem præcisè erit cum termino connexum, quod ipsum est connexionem eius cum ipso esse adæquatè identificatam. Si verò dicatur secundum, tale subiectum cum tali termino connexum non erit, vt patet; tametsi cum illo connectatur coniunctum ex subiecto, & termino, vt omne totum connectitur cum sua parte, qui est casus excluſus. Constat igitur, connexionem cum suo subiecto adæquato esse adæquatè identificatam, quando subiectum à termino adæquatè distinctum est.

33 Dico autem, connexionem adæquatè esse identificatam realiter cùm suo subiecto adæquato: quia licèt sæpè aliqua res cum alio quopiam connectatur ex suppositione alicuius circumstantiæ extrinsecæ sibi; quo casu talis connexio cum tali re non est identificata adæquatè. At tunc subiectum adæquatum talis connexionis non sola res; sed coniunctum ex ipsâ, & tali circunstantiâ censendum est, cum quo certum est, esse eam adæquatè identificatam realiter; siquidem perinde est, rem ex suppositione circumstantiæ connecti cum termino, atque coniunctum ex re, & circumstantiâ connecti cum termino, vt patet. Cæterùm, quia res ex suppositione circunstantiæ, potiùs, quàm coniunctum ex re, & circunstantiâ solet plerumque dici connexa cum termino; talis connexio respectiuè ad tale subiectum actus est metaphysicus semiextrinsecus; id est, inadæquatè tantùm identificatus cum illo; cui etiam proinde contingens erit, quando circunstantia ex quâ etiam ille desumitur, ipsi subiecto fuerit contingens.

34 Dico etiam. Quando subiectum à termino adæquatè est distinctum: quia sæpè etiam idem secum ipso, & totum cum suâ parte connecti dicitur (connexione scilicet circulari, iuxta dicenda *postmodũ.*) Quo casu subiectum adæquatũ connexionis; atque adeò etiam ipsa connexio abeo indistincta realiter; aut adæquatè; aut inadæquatè identificantur cum termino. Ita tamen, vt connexio eo solùm titulo identificetur cum termino: quia subiectum, cum quo ipsa adæquatè est idem, identificatur cum termino. Vnde rursus apparet de ratione connexionis in vniuersum esse, cum suo subiecto adæquato adæquatè identificari realiter, quâ ratione explicatum est.

Iam verò connexio in metaphysicam, physicam, & moralem primâ diuisione diuiditur. Connexio metaphysica est, quâ subiectum ita est colligatum cum termino suapte naturâ, & essentiâ, vt sine illo nullâ potentiâ possit esse; adeò, vt si esset sine illo, duo necessariò sequerentur contradictoria simul vera: quod penitus est impossibile. Hoc pacto connectuntur actio cum effectu per illam facto, & cum principio efficiente: Cognitio omninò infallibilis cum suo obiecto: creaturæ cum Deo, &c. Connexio physica est, quâ subiectum ista est colligatum cum termino, vt sine illo naturaliter, & citra miraculum esse non possit; tametsi possit miraculo interueniente. Sic connectuntur ignis cum calore, Sol cum lumine, accidens physicum cum substantiâ, &c. Connexio denique moralis ea est, quâ subiectum ita est colligatum cum termino, vt sine illo esse non possit, spectato modo, quo cuncta, aut semper, aut ferè semper, aut plerumque solent accidere: tametsi possit absolutè: atque etiam spectato iure naturæ. Vnde connexio moralis varios gradus potest habere, quos ad supremum, medium, & infimum possumus reuocare, quales sunt tres insinuati: supremus scilicet, quando subiectum sic se habet ad terminum, vt in eadem rerum, & circumstantiarum peristasi nunquam sit sine illo. Medius, quando ferè nunquam. Infimus, quando maiori ex parte, etsi aliàs tum absolutè: tum naturaliter sine illo esse posset. Exemplum sit primi gradus, connexio, quam habet cum existentiâ Romæ testimonum eorum omnium, qui Romam esse testati sunt. Exemplum secundi connexio, quam habet indigentia parentis inopis cum largitione muneris à filio prædiuite, & probo facienda. Exemplum tertij, preces filij cum re faciliter præstandâ à matre.

Porrò connexio metaphysica in ipsis rerum essentiis, in essentialique exigentiâ nullâ potentiâ refragabili, quam illæ habent termini connexionis, fundatur: Connexio verò physica in exigentiâ naturali, iuridicâ, siue in naturali debito, quo terminus connexionis subiecto connexo debetur, adeò, vt nequeat citra miraculum illi negari; tametsi per miraculum possit: Connexio verò moralis in propensione, inclinatione, necessitudine, siue propinquitate, quam subiectum aliàs indifferens respectu termini connexionis præ extremo contradictorio habere censetur. Quæ tanta esse potest, vt de existentiâ talis contradictorij: ne physicam quidem formidinem, siue suspicionem relinquat, vel tanta, vt non relinquat formidinem prudentem, licèt relinquat physicam, iuxta primum, & secundum dictorum graduum, vel denique tanta, iuxta tertium, vt locum det, aut suspicioni prudenti, aut iudicio minùs probabili de existentiâ dicti contradictorij. Pro quo videnda dicta *suprà disput. 5. & 6.* 35 36

Secundò, quælibet cõnexio ex prædictis in immediatam, & mediatam diuiditur. Immediata est, quando vnum extremum cum alio per se immediatè; seu nullo medio interposito connexum est. Mediata verò 37

quando

quando vnum extremum cum alio connectitur per mediam aliquod, aut per plura media interposita. E. g. si A connectitur per se cum B, & B cum C, & C cum D, & D cum E, &c. Connexio, quam A habet cum B immediata est, sicut, & quam habet B cum C, & C cum D. & D cum E &c. quam verò habet A cum C, cum D, cum E &c. mediata est: sicut & quam habet B, cum D, cum E &c. necnon, quam habet C cum E &c. Ex quo patet primò, connexionem immediatam vno tantùm modo, siue vno tantùm gradu posse esse talem; mediatam verò multis: quia potest esse magis, aut minùs mediata; siue remota in quouis gradu numerabili, nempe in secundo, in tertio, in quarto, & ita deinceps. Secundò patet, quomodò series, siue progressio continua connexionum, terminorúmque cõnexorum possit compingi, si A cum B, B cum C, C cum D, D cum E & ita deinceps connectantur. Tertiò patet, seriem connexorum continuam aut posse excogitari ab vtraque parte infinitam, aut ab vtraque finitam, aut ab alterutra infinitam, finitámque à residua. Quæ autem ab vtraque parte est finita, aut potest esse circularis, vt si in hac connexorum serie A B C D E, E immediatè connectatur cum A, cuius remotissimam terminat connexionem; aut potest esse non circularis, vt si E in assignatâ serie cum nullo alio termino connectatur. Vtrum autem series connexorum ab vno latere, vel ab vtroque infinita possibilis sit, suo loco determinabitur.

38 Tertiò, diuiditur connexio quæuis in mutuam, & non mutuam. Mutua est, quando vnum extremum cum alio, & vicissim hoc cum illo connexa sunt. Non mutua verò, quando vnum extremum cum alio connexum est; sed non è conuerso. Connexio autem mutua; aut potest esse immediatè talis, vt si A cum B, & B cum A immediatè connexa sint; aut potest esse talis mediatè, vt si A mutuò immediatè cõnectatur cum B, & B similiter cum C, quo casu A, & C mutuò mediatè connexa erunt: aut potest esse talis partim immediatè, partim mediatè, vt in omni serie circulari alias non mutuò connexorum contingit. Si enim in illâ serie A B C D E, E connectitur immediatè cum A connexo secum remotissimè, A, & E partim immediatè, & partim mediatè mutuò inter se connexa erunt.

39 Quartò, connexio metaphysica in circularem, & rectam est diuidenda, iuxta diuisionem actus circularis, & recti traditam *disputatione* 8. *quæst.* 3. Circularis dicitur ea, quâ vnumquodque secum ipso connexum est; tum etiam ea, quâ totum quoduis connexum est cum qualibet suarum partium, à qua inadæquatè tantùm distinguitur. Recta verò dicitur ea; quâ quoduis subiectum cum termino adæquatè à se distincto connexum est; idque siue subiectum, & terminus per nostram rationem; siue realiter distinguantur. Dari quippe formalitates suopte conceptu connexas cum aliis, à quibus non distinguuntur realiter, sed per nostram rationem tantùm indubitatum est, vt ex dicendis apparebit.

40 Quintò, connexio sumpta vniuersè, alia est secundum *esse* quiditatiuum; siue subiecti; siue termini; alia secundum *esse* existentiale; alia secundum vtrumque *esse*. Quocircà nouem imprimis combinationes facindæ veniunt. Quiditas enim subiecti connecti potest cum quiditate termini, aut cum existentia termini; aut cum vtraque. Ecce tres; similiterque existentia subiecti, vnde aliæ tres; similiterque coniunctum ex quiditate, & existentia subiecti, vnde tres reliquæ. Et quoniam tam quiditas, quam existentia siue subiecti, siue termini aut absoluta, aut conditionata esse potest, iuxta doctrinam latè traditam *disputatione* 10. hinc crescunt combinationes; atque adeò connexionum genera vsque ad 225. in quibus prolixè recensendis non est, cur immorer: id enim facilè præstabit quisque versatus in combinando. Appello autem impræsentiarùm *esse* quiditatiuum, & quiditatem siue subiecti, siue termini, quamlibet veritatem spectantem ad statum quiditatiuum eorum; siue ad essentiam; siue ad passiones eorumdem pertineat illa. *Esse* verò existentiale, & existentiam dico, quamlibet similiter veritatem pertinentem ad statum ipsorum existentialem, iuxta dicta *loco citato*. Idque siue subiectum, aut terminus connexionis sit quid positiuum, cui formaliter, & propriè conuenit habere quiditatem, aut existentiam, aut vtrumque, siue sit quid negatiuum, cui tantùm per quandam æquiualentiam id conuenit, iuxta dicta *disputatione* 9. *quæst.* 3. de quo etiam *disputatione* 10. plura sunt dicta, quæ ad rem recolenda.

Hinc sextò, connexio sumpta vniuersè subiecti 41
ad terminum esse potest, aut respectiuè ad idem tertium, in quo ambo esse, siue habere suum *esse* dicantur, aut respectiuè ad diuersa: nimirum respectiuè ad eumdem statum, aut ad diuersos; ad idem tempus, aut ad diuersa, ad eumdem locum, aut ad diuersos; ad idemque subiectum, aut ad diuersa: res quippè esse, siue habere suum *esse* dicuntur in aliquo statu, in aliquo tempore, in aliquo loco, aut etiam in aliquo subiecto, sumpto subiecto vniuersè pro quouis alio tertio, aut pro subiecto prædicationis, quod tertium vniuersalissimum est; in quo prædicatum, quod ad rem attinet, dici potest sæpeque dicitur habere suum esse.

Vnde itidem multæ aliæ combinationes; atque 42
multa connexionum genera pullulant, quas numerare opus non est. Sat sit scire. e. g. fieri posse, vt A prout habens esse in statu existentiali connectatur cum B prout habente esse in eodem statu existentiali, aut in diuerso; nempe in quiditatiuo: primumque eueniet, si A non possit existere, quin existat B: secundum, si A non possit existere, quin B sit possibile; aut sit tale, vel tale quid ex suo conceptu obiectiuo. Tum fieri potest, vt A prout habens esse in tempore præsente connectatur cum B prout habente esse in eodem tempore; aut in diuerso: nempe in præterito, vel futuro. Primumque eueniet, si A nequeat existere in tempore præsente, quin in eodem existat B. Secundum, si A nequeat existere in tempore præsente, quin B vel extiterit in tempore præterito, vel sit extiturum in futuro. Tum fieri potest, vt A prout habens esse in hoc loco connectatur cum B prout habente esse aut in eodem; aut in alio. Primumque eueniet, si A nequeat existere in hoc loco, quin in eodem existat B. Secundum, si A nequeat existere in hoc loco, quin existat B in aliquo alio. Tum denique fieri potest, vt A prout habens esse in hoc subiecto connectatur cum B prout habente esse aut in eodem, aut in alio: primumque eueniet, si A nequeat conuenire huic subiecto; idque siue intra statum quiditatiuum, siue intra existentialem, quin conueniat eidem B pariter, aut quiditatiuè, aut existentialiter. Secundum. Si A nequeat conuenire huic subiecto, quin alteri subiecto conueniat B. Similitèrque in reliquis casibus residuarum combinationum, quas multas esse constat ex dictis, philosophandum est. Ex quibus omnibus satis apparet, quid sit connexio rerum, & quotuplex.

## QVÆSTIO III.

### *Quid sit oppositio rerum. Et quotuplex?*

43 ARistot. *in lib. Prædicam. cap.* 11. Vbi de iis incipit agere, quæ Postprædicamenta vocant, quatuor genera oppositorum exposuit. Alia enim, inquit, opponuntur relatiuè, vt duplum, & dimidium; alia contrariè, vt bonum, & malum; alia priuatiuè, vt visus, & cæcitas; alia contradictoriè, vt affirmatio, & negatio; siue, vt esse, & non esse. Quid verò sit oppositio in genere non definit Philosophus.

44 Quam, vt ego definiam suppono, ea vniuersè dici opponi, siue opposita esse, quorum vnum ita aduersatur alteri, siue ei repugnat, vt simul cum illo esse non possit. Ex quo patet, oppositionem ex suo conceptu actum quemdam esse significabilem per verbum, quo vnum extremum tanquam subiectum alteri tanquam termino, ita aduersari, & opponi dicitur, vt ambo simul esse non possint; sed sit necesse, alterum non habere esse, si alterum habet, & vice versa, consentaneè ad doctrinam vniuersalem actuum traditam *suprà disputatione* 8. Quæ subinde oppositioni conuenit quatenus actus est. Vnde etiam apparet oppositionem relationem quamdam esse ex conceptu suo formali, iuxta dicta *quæst.* 1. huius disputationis.

45 Hinc autem fit primò, oppositionem necessariò esse mutuã, vt est distinctio, dissimilitudo, inæqualitas, & alia huiusmodi, necesse quippe est, vt B non possit esse simul cum A, si A non potest esse simul cum B; sicut necesse est, vt B sit distinctum ab A, aut ei dissimile, aut inæquale, si A est distinctum à B, aut ei dissimile, aut inæquale, prout *infrà q.* 4. explicatius monstrabimus. In quo oppositio differt à connexione, quæ plerumque est non mutua, vt constat ex dictis *q.* 2.

46 Secundò fit, oppositionem actum quemdam esse metaphysicum semiextrinsecum respectu vniuscuiusque ex extremis oppositis; sicut est distinctio respectu vniuscuiusque ex extremis distinctis, dissimilitudo respectu vniuscuiusque ex extremis dissimilibus, & cæteri huiusmodi; & consequenter relationem semiextrinsecam esse, siue partim cum suo subiecto identificatam, & partim ab illo distinctam; In conceptu enim eius reali ambo extrema oppositionis includuntur vt minimùm: atque ita, dum vnum eorum tanquam subiectum alteri vt termino opponi dicitur, actus hic oppositionis, non solùm cum suo subiecto adæquato; sed etiam cum suo termino est identificatus realiter; in quo etiam ab actu connexionis discriminatur, qui solùm cum suo subiecto adæquato; non item cum suo termino, quando hic à subiecto distinguitur est identificatus realiter, vt vidimus *q.* 2.

47 Dico autem conceptum realem actus, seu relationis oppositionis ambo extrema opposita, vt minimùm includere in suo conceptu reali: quia sæpe fit, vt aliquam aliam præterea circumstantiam includat. Quia sicut sæpè res aliqua cum aliâ quapiam connexa est, non absolutè; sed ex suppositione alicuius circumstantiæ; quo casu nequit non talis circumstantia in conceptu reali talis connexionis includi, iuxta dicta *q.* 2. ita etiam sæpè res aliqua alteri cuipiam est opposita, non absolutè; sed ex suppositione alicuius circumstantiæ; quo etiam casu nequit non talis circumstantia includi in conceptu reali talis oppositionis, vt patet.

Includuntur autem in conceptu reali oppositionis extrema opposita, non quoad esse, secundum quod sunt opposita; (siquidem verum est, ea esse opposita, cùm non sit verum, habere illa tale *esse*, hoc ipso, quòd sunt secundum illud opposita, vt patet) sed quoad aliud esse quidditatiuum sui, à quo habent vt sint opposita secundum illud. e.g. A, & B opposita secundum vtriusque existentiam, non componunt suam oppositionem prout habentia existentiam; (siquidem verè habent ambo illa inter se oppositionem; cùm tamen verè non habeant ambo illa existentiam: imò neque possint habere) sed prout habentia talem essentiam, â quâ habent, vt ambo simul non possint existere. Et in cæteris pariter. 48

Quòd autem relatio oppositionis sit semiextrinseca modo dicto inde probatur. Primò: quia tales citra dubium sunt relationes distinctionis, dissimilitudinis, inæqualitatis, & aliæ huiusmodi, quibus apertè assimilatur. Secundò: quia si relatio oppositionis esset identificata adæquatè cum subiecto relato, quoduis ex extremis oppositis titulo oppositionis esset intrinsecè connexum cum quiditate alterius, ipsamque exigeret essentialiter, iuxta doctrinam demonstrandam *q.* 4. *propos.* 17. Hoc autem, quis non censeat absurdum? siquidem talis connexionis, & exigentiæ nullum extat indicium; & Deus titulo oppositionis, quam habet cum altero Deo chimerico, cum eius quiditate connexus non est, vt *suo loc.* ostêdemus, quod manifesto argumento est, ex titulo oppositionis non nasci talem connexionem, vti deberet, iuxta *propos. citatam.* Si relatio oppositionis esset identificata adæquatè cum subiecto relato, vt *ibi* videbimus. 49

Iam verò oppositio sumpta vniuersè in contradictoriam, & contrariam venit imprimis diuidenda. Contradictoria est, quâ duo quæque extrema opponuntur, quorum vnum est negatio alterius. Contraria, quâ opponuntur duo quæque, vel plura extrema, quorum nullum est negatio alterius, siue ea sint positiua, siue negatiua, siue mixta. Ex quo patet, omnes omninò oppositiones ad ista duo membra reduci. Oppositio enim priuatiua reducitur ad contradictoriam; relatiua autem ad contrariam. 50

Nam oppositio priuatiua, & contradictoria dumtaxat differunt penes connotationem subiecti apti, vel inepti ad habendum earum positiuum extremum, iuxta dicta *disp.* 9. *q.* 4. de discrimine priuationis, & negationis. Quâ proinde connotatione præcisa in eamdem oppositionem, nimirum contradictoriam recidunt ambæ; siquidem ambarum extrema ita se habent, vt vnum sit negatio alterius. Oppositio verò relatiua aliud non est ab oppositione duarum relationum, quarum neutra est negatio alterius respectiuè ad idem subiectum, quo nihil desideratur, vt ea sit oppositio contraria, iuxta definitionem datam: siquidem extrema correlatiua non ob aliud relatiuè opponi dicuntur, nisi quia relationes amborum alterutri eorum simul conuenire non possunt. e.g. pater, & filius idcircò relatiuè opponi dicuntur, quia paternitas, & filiatio in illis reperta in eorum alterutro simul reperiri non possunt. Non enim potest pater esse etiam filius filiatione repertâ in filio, aut filius esse etiam pater paternitate reperta in parte: quia pater esset filius sui tanquam distincti 51

stincti à se, & filius esset pater sui tanquam distincti à se quod planè repugnat: hos namque effectus formales præstant subiectis, quibus insunt hæ relationes. Quod ipsum est illas respectiuè ad idem subiectum contrariè esse positas.

52 Et hæc oppositio relationum in omnibus omninò extremis correlatiuis inuenitur, vt ex se patet; siue relationes eorum dissimiles inter se sint, vt in exemplo posito, siue sint similes, vt sunt relationes æqualitatis, inæqualitatis, similitudinis, dissimilitudinis, aliæque huiusmodi extremorum æqualium, inæqualium, similium, dissimilium, & huiusmodi cæterorum. Quando verò relationes extremorum correlatiuorum dissimiles sunt inter se, alia insuper relatiua oppositio solet in illis reperiri, quatenus in alterutro talium extremorum non solùm coniungi non possunt eædem numero relationes amborum; sed neque coniungi possunt aliæ illis similes, eædemve secundum speciem; idem enim homo non solùm non potest esse pater, & simul filius eadem numero filiatione, quam habet suus filius; sed nec potest esse absolutè respectu eiusdem simul pater, & filius. Similiter neque idem ens respectu eiusdem potest esse simul causa, & effectus; nec eadem quantitas respectu eiusdem simul dupla, & dimidia; aut totum, & pars. Pariterque euenit in aliis huiuscemodi correlatiuis.

53 Quæ cùm ita sint, oppositionem priuatiuam sub contradictoriâ, relatiuam autem sub contrariâ comprehendemus deinceps, quoties aliud non notauerimus expresè, vt vniuersaliùs, & expeditiùs oppositionum scientiam texamus. Quomodo autem negatio quæuis, tametsi re ipsâ sit nihil, extremum nihilominus oppositionis contradictoriæ; atque etiam contrariæ dicatur ex dictis *suprà disputat. 9. quæst. 3.* circa finem, *& quæst. 5. proposit. 8.* compertum est. Quibus positis, pergamus iam ad alias earum diuisiones.

54 Secundò itaque venit diuidenda oppositio, quemadmodum *quæst. 1.* diuisa est connexio, in metaphysicam, physicam, & moralem. Oppositio metaphysica est, quâ extrema opposita ita sibi aduersantur, vt nulla omninò potentia possint simul esse; adeò vt si essent simul, duo necessariò sequerentur contradictoria simul vera. Quod prorsus impossibile est. Oppositio verò physica est, quâ extrema opposita ita sibi aduersantur, vt naturaliter, & citra miraculum simul esse non possint. Oppositio denique moralis ea est, quâ extrema opposita ita sibi aduersantur, vt non possint esse simul, spectato modo, quo cuncta, aut semper, aut ferè semper, aut plerumque solent accidere: Vnde oppositio moralis varios gradus potest habere, quos ad supremum, medium, & infimum reducere possumus, iuxta dicta de connexione *num. 35. & 36.* quæ pariter oppositioni, suâ proportione seruatâ, applicanda sunt. Sed est adnotandum, oppositionem contradictoriam dumtaxat, posse metaphysicam esse, vt constat. Vnde in rigore diuisio facta soli oppositioni contrariæ conuenit, quæ aut metaphysica, aut physica, aut moralis, esse potest.

55 Tertiò, oppositio aut inter duo tantùm extrema, aut inter plura potest esse. Et quidé oppositio contradictoria inter duo tantùm censetur semper esse, quorum vnum negatio alterius est, siue ea sint incomplexa, siue complexa, seu composita ex pluribus; siue ambo sint determinata, siue alterum vagum, vt fieri potest. Oppositio verò contraria tum inter duo tantùm, tum inter plura extrema esse potest, quorum singula singulis mutuò opponantur. Dum enim vnum extremum collectioni plurium inter se non oppositorum, aut alicui eorum vagè opponitur, talis oppositio inter duo tantùm extrema censetur esse, quorum alterum simplex, & alterum complexum, seu compositum ex pluribus est; siue, quorum alterum est determinatum, & alterum vagum, aut quorum vtrumque vagum est. Tot enim modis potest dari contraria oppositio.

Quartò. Oppositio sumpta vniuersè alia esse po- 56
test quoad *esse* quiditatiuum extremorum oppositorum, alia quoad *esse* existentiale; alia quoad vtrumque. Quocirca nouem imprimis combinationes faciendæ veniunt, quando extrema opposita sunt duo. Potest enim quiditas primi opponi quiditati secũdi; aut existentiæ, aut vtrique; similiterque existentia primi, coniunctumq; ex quiditate, & existentiâ eiusdem: quo nouem dictæ combinationes resultant. Et quoniam tam quiditas, quàm existentia extremorum oppositorum aut absoluta, aut conditionata esse potest, hinc crescunt combinationes; atque adeò oppositionum genera, vsque ad 225. vt dicebamus in simili *n. 40.* Vbi etiam, quid per *esse* quiditatiuum, & quiditatem extremi oppositionis tum negatiui, tum positiui veniat intelligendum in simili expositum est. Quod si verò extrema oppositionis non duo tantùm: sed plura sint, crescent profectò combinationes, generaque oppositionum commemorata proportionatè ad numerum extremorum, vt constat.

Adnotare tamen oportet circa hanc diuisionem, pleraque earum oppositionum, quæ per illam recensentur à cognoscentibus per proprias species non esse conceptibiles: quia extrema, in quibus consistũt solùm per species alienas conceptibilia sunt; vnde nec sunt oppositiones veræ formaliter: sed tantùm per æquiualentiam. Quod vtique euenit, quoties alterum ex extremis oppositionis quiditas aliqua ficta est (vt est in plerisque: siquidem ex extremis oppositis, quâ talibus alterum sit fictum necesse est, vt constat.) A cognoscentibus quippè per proprias species nulla quiditas ficta concipi potest: vtpote necessariò inuoluens identitatem, aut distinctionem fictam non conceptibilem ab illis, iuxta doctrinam stabilitam *disp. 10. 11. & 12.* vnde plena huius adnotationis intelligentia petenda est.

Quintò oppositio extremorum sumpta vniuersè, 57
aut potest esse respectiuè ad idem tertium, puta statum, tempus, locum, aut subiectum, in quo ea dicantur non posse simul esse: siue habere simul suum esse: aut potest esse respectiuè ad diuersa. Vnde multæ itidem aliæ combinationes, multaque subinde genera oppositionum resultant, vt dicebamus in simili de connexione *num. 41.* Itaque oppositionis extrema imprimis possunt esse opposita quoad existentiâ vtriusq, atque adeò respectiuè ad eumdẽ statum existentialem; insuperque quoad existentiam vtriusque, aut in eodem tempore, aut in eodem loco, aut etiam in eodem subiecto. Deinde possunt esse opposita quoad existentiam vnius, & quiditatem alterius; atque adeò respectiuè ad diuersos status, scilicet existentialem, & quiditatiuum. Præterea possunt esse opposita quoad existentiam vnius in tempore, aut in loco, aut etiam in subiecto A, & existentiam alterius in tempore, aut in loco, aut etiam in subiecto B; atque adeò respectiuè ad diuersa tempora, aut ad diuersa loca, aut ad diuersa subiecta, &c. omni factâ combinatione terminorum, quorum mentionem fecimus *n. 56.*

Est tamen aduertendum, etsi oppositione contra- 58
riâ possint extrema aliqua opposita esse respectiuè ad quæuis diuersa tertia commemorata: oppositione

tamen contradictoriâ nullatenus posse, nisi respectiuè dumtaxat ad vnum, & idem, siue illud sit status, siue tempus, siue locus, siue subiectum: quia extremum positiuum, & eius negatio eatenus contradictoriè opponuntur, quatenus extremum positiuum per sui negationem indo omninò remouendum venit formaliter, vbi habet esse, non aliundè. Itaque negatio Petri remouens Petrum ab statu existentiali absoluto tantùm opponitur contradictorie ipsi Petro, proùt habente esse in statu existentiali absoluto; non verò proùt habente esse in statu quiditatiuo, aut in existentiali conditionate. Quocirca hæ propositiones contradictoriè opponuntur. *Petrus est existens: Petrus non est existens*, hæ verò non item. *Petrus est homo: Petrus non est existens*; sicut neque hæ: *Si Petrus extiterit existet: Petrus non existet.* Tametsi omnes nihil importent aliud à Petro, & negatione eius. Quia scilicet in duabus prioribus Petrus, & eius negatio pertinent ad eumdem statum: In quatuor autem posterioribus ad diuersos: similiterque, imò, & potiori iure negatio remouens quidpiam positiuum ab hoc tempore, aut ad hoc loco, aut ab hoc subiecto tolùm opponitur contradictoriè tali positiuo, proùt habenti esse in eodem tempore, aut loco, aut subiecto; non verò proùt habenti esse in aliis distinctis, vt est notum.

60 Sextò: oppositio sumpta vniuersè alia dici potest recusans medium, alia verò admittens medium inter extrema opposita. Sunt namque quædam extrema opposita, inter quæ non datur medium; quædam verò inter quæ datur, vt phrasis est Arist. tum *loco citato supra*, tum *alibi*. Dicitur autem, inter ea extrema opposita non dari medium, quæ ita non possunt simul esse, vt neque possint simul deesse; sed alterum esse, alterumque deesse necesse est. Inter ea verò extrema opposita dicitur medium dari, quæ ita non possunt esse simul, vt nihil vetet, simul deesse: proindeque necesse non est, alterutrum esse. Et quidem omnis oppositio contradictoria recusans medium inter extrema opposita est: quia ex duobus quibusque extremis contradictoriis, alterum esse, & alterum non esse, siue alterum verum, & alterum falsum esse, necesse est. Ob id enim in omnium ore circumfertur, inter duo contradictoria non dari medium. Oppositionum verò contrariarum quædam sunt, quæ recusant, & quædam, quæ admittunt medium inter extrema opposita. Recusant, quæ inter hæc extrema inueniuntur idem, & distinctum, simile, & dissimile, æquale, & inæquale, par, & impar, aliaque huiusmodi: siquidèm necesse est, vt quoduis ens collatum cũ alio, aut idem cũ illo sit, aut ab eo distinctum, vt quæuis qualitas cum aliâ collata aut sit ei similis aut dissimilis. Paritèrq; vt quæuis quantitas alteri sit aut æqualis, aut inæqualis: demùm, vt quilibet numerus, aut sit par, aut impar &c. Admittunt autem medium oppositiones, quæ inueniuntur inter extrema ista. Album, & nigrum; calidum, & frigidum; assentiens, & dissentiens; volens, & nolens, & similia; siquidèm possibile est, vt subiectum quoduis neque sit album, neque nigrum. Tum neque sit calidum, neque frigidum. Tum neque sit assentiens, neque dissentiens. Tum denique neque sit volens, neque nolens &c. Per quæ omnia satis videtur explicatum, proùt ad præsentem quæstionem attinet, quid sit oppositio rerum, & quotuplex.

## QVÆSTIO IV.

*Quænam propositiones euidentes, aut aliàs certæ, seu per se notæ, seu demonstratæ ex terminis huius disputationis in superioribus expositis eliciantur, tum inter se, tum cum terminis præcedentium collatis.*

Dico elici, quæ sequuntur. 61

### *Propositio 1.*

Connexionem, aut non mutuam, aut mutuam esse, possibile est. 62

Supposuimus *id q. 1. n. 38.* modò affirmamus, & ostendimus Quia imprimis nihil est, quod vetet, posse vnum esse sine alio, tametsi hoc sine illo esse non possit; siquidem Deus sine creaturâ esse potest; tametsi creatura non possit esse sine Deo, vt est certissimum; passimque occurrunt similia exempla. Deinde: quia neque est aliquid, quod vetet, ita esse extrema aliqua inuicem colligata, vt neutrum possit sine altero esse, vt cernitur in diuinis personis, in essentiis, & proprietatibus, in aliisque huiusmodi, aut citra dubium possibilibus, aut etiam existentibus.

### *Propositio 2.*

Impossibile est, vt consortium quoduis vnius extremi cum alio mutuum non sit. 63

Est clarum: quia quoduis consortium vnius extremi cum alio quædam est amborum coniunctio, siue simultaneitas, siue societas, vt est notissimum Repugnat autem, duo esse coniuncta, aut esse simul, aut inter se associata; quin vnum cum altero, & hoc vicissim cum illo aut coniunctum, aut simul, aut associatum sit, vt patet.

Vnde constat, consortium vnius extremi cum alio necessario esse mutuum, siue sit consortium eorum quoad esse existentiale, quod coëxistentia dicitur; siue sit quoad esse quiditatiuum, & vtrumque siue absolutum, siue conditionatum. Tum, siue sit consortium quoad esse eiusdem rationis in vtroque extremo repertum; siue quaod esse vnius rationis in vno, & alterius in altero. 64

### *Propositio 3.*

Quâ ratione vnum extremum alteri opponitur, eadem cum negatione eius, siue cum eius contradictorio connexum est. 65

Est clarum ex ipsis terminis, insuperque demonstratur. Primò quia esse vnum extremum alteri oppositum; est non posse esse simul cum illo per difinitionem expositam *q. 3.* Non quæ autem esse simul cum illo idem est, ac non posse esse, quin illud non sit; quod ipsum est non posse esse sine illius negatione atque adeò cum illius negatione connexum esse. Secundò: quia si extremum alteri oppositum cum negatione eius connexum non esset, absque tali negatione esse posset, hoc autè ipsum est posse illud esse simul cum talis negationis contradictorio, quod alterum extremum est; & consequentèr non esse illud oppositũ alteri extremo, cui est oppositũ, vt supponitur. Quod est chimericum.

Ex hâc propositione constat. Si vnum extremum metaphysicè est alteri oppositum, metaphysicè quo- 66

que

que connexum cum negatione eius ; paritérque, si physicè tantùm , aut moraliter est oppositum, physicè tantùm, aut moraliter erit connexum.

66 Et tamen animaduertendum connexionem, quam habet extremum quoduis cum negatione sui oppositi ; ei adæquatè intrinsecam per identitatem non esse;sed semiextrinsecam : quia fundatur in oppositione , quam habet cum extremo contradictorio talis negationis , quæ semiextrinseca ipsi est,ipsumque extremum quoad eius *esse* quiditatiuum muoluit in suo conceptu reali,vt vidimus *quæst. 3.* quod idem *esse* quiditatiuum proindè inuoluit etiam in suo conceptu reali dicta connexio. Itaque pono A, & B esse opposita quoad vtriusque existentiam , & dico,quemadmodum A,& B in conceptu realis talis oppositionis includuntur, non prout existentia ; sed prout habentia talem essentiam , à quâ habent , vt simul existere non possint , prout *ibidem* statutum est ; sic etiam A,& B non prout existentia;sed prout habentia eamdem essentiam includuntur in conceptu reali connexionis, quâ quoduis eorum est connexum cum negatione alterius , sine illaque proindè existere nequit.

66 Ex quâ doctrinâ inferemus suo loco ; connexionem, quâ Deus connectitur cum negationibus chimerarum,quibus quoad existentiam suapte essentiâ oppositus est, vt sunt peccatum proprium , secundus Deus , & similes , non esse adæquatè intrinsecam ipsi Deo ; sed partim extrinsecè desumptam à veritatibus quiditatiuis , seu obiectiuis, quas essentialiter , & de suo habent tales chimeræ. De quo *ibi* plura.

## *Propositio 4.*

68 Quâ ratione vnum extremum cum altero connexum est, eâdem eius negationi , siue eius contradictorio oppositum est.

Est clarum : quia extremum connexum cum altero eo ipso sine illo esse non potest, iuxta definitionem datam *quæst.* 2.Hoc autem ipsum est non posse esse cum eius contradictorio ; atque adeò illi oppositum esse iuxta definitionem datam *q. 3.*

69 Ex hac propositione infertur,si vnum extremum metaphysicè est cum alio connexum, metaphysicè quoque esse oppositum contradictorio eius;physicè autem si physicè , moraliter, si moraliter.

## *Propositio 5.*

70 Oppositionem esse non mutuam impossibile est. Necessariò enim est mutua.

Statuimus hoc *quæst.* 4. *num.* 45. explicatiùs hic monstraturi. Ponamus enim , si fieri potest, extremum A quoad existentiam oppositum esse extremo B, non tamen è conuerso ( idem quippe est , quod ad rem attinet , de oppositione quoad existentiam, ac de aliis omnibus, vt patet. ) Fiet vtique inde primò, extremum B posse coëxistere extremo A,vtpotè ei non oppositum quoad existentiam, quin possit extremum A coëxistere extremo B , vtpote oppositum ipsi quoad existentiam. Quod est extremum B posse coëxistere extremo A coëxistentiâ non mutuâ, contra *propos.* 4. Secundò fiet , existente extremo A , posse quoque existere extremum B , vtpotè illi quoad existentiam non oppositum ; atque ita extremum A extremo B oppositum quoad existentiam absque negatione existentiæ eius existere posse ; proindeque cum tali negatione connexum non esse quoad existentiam,contra *propositionem 3.* Repugnat ergò , oppositionem quoad existentiam extremi A cum extremo B, & consequenter quamlibet aliam esse non mutuam. Quod erat demonstrandum.

## *Propositio 6.*

Positio cuiusuis ex extremis contradictionis suo- 71
pte conceptu formalis est alterius exclusio , siue defectus. Et è conuerso,cuiusuis exclusio,siue defectus formalis est alterius positio.

Ita omnes : quo verò pacto vera sit & intelligenda propositio hæc *disputatione 9. quæst. 5. propos. 2.* notauimus.

## *Propositio 7.*

Quoties duo aliqua extrema connexionem inter 72
se habent , eorum contradictoria inuersam connexionem habere necesse est.

Est dicere. Si A connectitur cum B necesse est, vt contradictorium ipsius B connectatur cum contradictorio ipsius A. Si enim A nequit esse sine B, necesse est, vt deficiente B , deficiat A ; hoc autem ipsum est , defectum ipsius B , qui est contradictorium eius, sine defectu ipsius A, qui etiam est eius contradictorium,esse non posse;atque adeò cum illo connexum esse.

In hoc certissimo principio fundatur regula illa 73
Logicorum. *Quoties est bona consequentia à contradictorio consequentis, ad contradictorium antecedentis est etiam bona.* Nam tunc est bona consequentia,quando antecedens est connexum cum consequente, quo casu , cùm nequeat non itidem contradictorium consequentis esse connexum cum contradictorio antecedentis , iuxta præsentem propositionem nequit non esse itidem bona consequentia à contradictorio consequentis ad contradictoriuin antecedentis.

Habet autem propositio locum intra quoduis ge- 74
nus connexionis seorsim, metaphysicæ scilicet,physicæ,& moralis quidem,vt, quam connexionem inter se habent [illegible]ema vel metaphysicam,vel physicam, vel moralem, eamdem inuersâ vice inter se habeant contradictoria eorum. Vnde planè sequitur : si duo quæpiam extrema mutuo inter se connexa sint aliquo genere connexionis,& eorum contradictoria mutuo inter se connexa esse eodem connexionis genere.

Argui tamen potest contra propositionem hoc 75
modo.Quando contradictorium extremi terminantis connexionem alterius cum ipso extremo , cuius est contradictorium connexum est suopte conceptu , vt sæpe euenit , cùm tale contradictorium chimericum est, iuxta doctrinam latè traditam *disputatione* 11. tunc non est necesse,vt tale contradictorium cum contradictorio alterius extremi habentis connexionem connexum sit : Igitur propositio data non est vniuersaliter vera. Consequentia est bona,& antecedens videtur certum : quia quantumuis A sit connexum cum B , si tamen contradictorium ipsius B cum ipso B connexum est suopte conceptu , opus non est , quòd contradictorium ipsius B connexum sit cum contradictorio ipsius A. Cuius ratio conspicua est : quia inuersa connexio , quam habent contradictoria extremorum inter se connexorum , tunc solùm necessariò datur, quando per contradictorium extremi terminantis connexionem alterius simpliciter , & vndequaquè excluditur ; atque adeò deficit tale extremum;

mum ; tunc enim necesse est, quòd deficiat alterum, & consequenter, quòd adsit eius contradictorium : in casu verò proposito per contradictorium extremi terminantis connexionem alterius non excluditur ; atque adeò nec deficit extremum ipsum simpliciter, & vndequaque: quia ita deficit, vt etiam adsit, eo quòd ita per tale contradictorium tanquam per sibi oppositum destruitur, vt simul per idem tanquam per connexum adstruatur.

77 Respondeo, in propositione datâ de contradictoriis simpliciter talibus sermonem esse ; atque ita vniuersaliter esse veram : quia contradictoria simpliciter talia ea sunt, quæ simpliciter, & vndequaque excludunt extrema, quibus contradicunt ; quoties autem contradictorium extremi terminantis connexionem alterius simpliciter, & vndequaque excludit ipsum extremum, cui contradicit; impossibile est adesse tale contradictorium, quin adsit quoque contradictorium alterius extremi habentis connexionem ; proindeque non potest non illud cum hoc connexum esse, vt propositio data fert; in ipsoque argumento opposito planè supponitur. Cæterùm, contradictorium chimericum, de quo in eo termo est, non simpliciter; sed secundum quid tantùm est contradictorium extremi, cui contradicit; atque adeò licèt sit contradictorium extremi terminantis connexionem alterius, non opus est, quòd sit connexum cum contradictorio alterius extremi habentis connexionem, vt benè per argumentum ipsum probatur. Ex quibus patet, nihil per illud derogari propositioni nostræ.

78 Ex cuius tamen doctrinâ venit colligendum pro multis casibus, qui fors occurrent, regulam illam Logicorum. *A contradictorio consequentis bonæ argumentationis ad contradictorium antecedentis arguitur benè*, quò vniuersaliter sit vera, de contradictorio consequentis simpliciter tali, esse dumtaxat intelligendam. A contradictorio enim chimerico consequentis cum ipso consequente connexo, quod tale est secundum quid, ad contradictorium antecedentis non benè arguitur, vt argumentum factum probat. Pro cuius maiore intelligentiâ, quæ *suprà* dicta sunt in simili *d. 3. & disp. 9. q. 5. propos. 1.* videri possunt.

## *Propositio 8.*

79 Vnum ens sæpè est connexum quoad existentiam cum alio ente proùt existente.

Ita enim connectitur omne ens ab alio cum aliquâ causâ effectiuâ sui ; & omnis actio cum termino per illam facto, & omnis vnio cum extremis, quæ vnit, & vniuersè omnis modus physicus cum subiecto, cuius est modus, vt in confesso est apud omnes. Nec solùm metaphysicâ connexione, vt in exemplis datis euenit; sed etiam physicâ tantùm, aut morali est vnum ens sæpè quoad existentiam connexum cum alio, proùt existente, vt cunctis manifestum est, sexcentisque exemplis potest ostendi.

## *Propositio 9.*

80 Vnum ens sæpè est oppositum quoad existentiam alteri enti prout existenti.

Sic enim opponuntur assensus, & dissensus; amor, & odium ; volitio, & nolitio eiusdem obiecti, & subiecti. Sic peccatum, & gratia ; calor, & frigus ; albedo, & nigredo respectiuè ad idem subiectum. Tum similitudo, & dissimilitudo ; æqualitas, & inæqualitas, & alia innumera, vt cunctis est notum: idque, aut metaphysicâ oppositione, aut tantùm physicâ, vel morali.

## *Propositio 10.*

Nulla negatio quoad existentiam cum aliquo 81
ente proùt existente distincto à Deo connexa est.

Quo pacto per quamdam solùm æquiualentiam dicantur verè negationes existere suppono explicatum *superiùs disp. 9. q. 3.* & consentaneè ad doctrinam traditam *ibi* loquor semper de negationum existentiâ.

Igitur nullam negationem earum, quæ verè exi- 82
stunt, aut possunt, potueruntve existere in sensu suppositò, siue possibilium, siue impossibilium entium sint negationes (de iis enim omnibus loquor) connexam esse quoad existentiam cum aliquo ente, proùt existente distincto à Deo, certum secundum fidem est : quia certum est secundum fidem, nullum ens distinctum à Deo extitisse ab æterno ; & consequentèr omnes negationes omnium entium distinctorum à Deo absque vllo eorum proùt existente ab æterno extitisse. Quod ipsum est, nullam ipsarum, quoad existentiam cum vllo ente proùt existente distincto à Deo connexam esse.

## *Propositio 11*

Sæpè vnum, ens quoad existentiam cum aliquâ 83
negatione proùt existente connexum est.

Quoties enim vnum ens quoad existentiam alteri enti proùt existenti oppositum èst, vt sæpè fit, iuxta *propos.it. 9.* tale ens cum negatione sui oppositi proùt existente connexum est, quoad existentiam, iuxta *propos.it. 3.*

## *Propositio 12.*

Vna negatio quoad existentiam sæpè cum aliâ 84
quoad existentiam connexa est.

Quoties enim vnum ens quoad existentiam, cum alio ente proùt existente connexum est, iuxta *propos.it. 8.* non potest non negatio huius simpliciter excludens illud, pariter esse connexa cum negatione illius, iuxta *propos.it. 7.* Connexio autem negationis cum negatione talis erit, qualis erit entis cum ente, metaphysica videlicèt, physica, vel morâlis.

## *Propositio 13.*

Nulla negatio quoad existentiam, alicui negatio- 85
ni entis à Deo distincti proùt existenti opposita est.

Tum quia omnes simul coëxtiterunt ab æterno secundum fidem ; tum quia aliqua negatio quoad existentiam, cum aliquo ente distincto à Deo proùt existente connexa esset, contra *propos.it. 10.* siquidem extremum negationi oppositum, nequit non esse connexum cum negationis contradictorio, iuxta *propos.it. 3.*

## *Propositio 14.*

Sæpè vna negatio quoad existentiam alicui enti 86
proùt existenti opposita est.

Quia sæpe vna negatio, quoad existentiam, cum aliquâ negatione proùt existente connexa est, iuxta *propos.it. 12.* Nequit autem esse sic connexa cum illâ, quin sit quoad existentiam opposita enti contradictorio eius proùt existenti, iuxta *propos.it. 4.*

Propos

## *Propositio* 15.

87 Sæpè vnum ens quoad existentiam alicui negationi prout existenti oppositum est.

Quia sæpè vnum ens quoad existentiam cum alio ente prout existente connexum est, iuxta *prop.* 8. Nequit autem esse sic connexum cùm illo, quin sit quoad existentiam oppositum negationi eius prout existenti, iuxta *propositi.* 4.

## *Propositio* 16.

88 Omne ens quoad existentiam cum suâ quiditate connexum est.

Quia nullum ens potest existere sine suâ quiditate, & consequenter, quin sit id, quod quiditatiuè est; vt constat.

89 Vnde sequitur, omnem etiam negationem, quâ ratione per æquiualentiam existere dicitur, iuxta dicta *disputatione* 9. *quæst.* 3. quoad existentiam esse connexam cum quiditate suâ: quâ ratione per æquiualentiam itidè dici potest, habere quiditatem.

## *Propositio* 17.

90 Omnis actus quoad quiditatem cum quiditate subiecti, cuius est actus, & termini, ad quem est actus ex suo conceptu obiecto connexus est.

Hanc propositionem obiter statuimus *suprà disputat.* 8. *quæst.* 4. *propositi.* 2. quia tamen magni momenti est, hic tanquam in proprio loco eam distinctius, atque explicatius demonstrare. Demonstratur autem sic. Primò: quia omnis actus ex suo conceptu, & essentiâ alicuius subiecti, ad aliquem terminum est actus, vt *loco citato* statutum est; satisque cunctis ex ipsis terminis erit euidens, semel apprehenso conceptu actus exposito *in eâ disputat. quæst.* 1. Ergo impossibile est, stare quiditatem actus, quin stet quiditas sui subiecti, & sui termini; quod ipsum est, etiam quoad quiditatem cum quiditate sui subiecti, & sui termini connexum esse. Patet consequentia: quia si subiectum, aut terminus non esset id, quod quiditatiuè est, neque actus esset actus eius, vt modò est; atque adeò neque haberet quiditatem, quam modò habet. Confirmatur, & declaratur ampliùs: quia nequit quidpiam suapte essentiâ esse actum huius subiecti ad hunc terminum præ cæteris, quin hoc subiectum, & hic terminus, talem essentiam habeant, qualem modò habent distinctam à cæteris. Si enim hoc subiectum, & hic terminus, aliud quid essent ab eo, quod sunt, actus non huius subiecti ad hunc terminũ; sed alius ad aliũ esset actus suapte essentiâ, aliamq; essentiam ab ea, quam modò habet, haberet. Quod patet impossibile esse.

91 Secundò demonstratur id ipsum: quia omnis actus ex suo conceptu obiectiuo respectus quidam est per se tangens suum subiectum, & suum terminum, vt ex dictis *loco citato* liquidum est. Repugnat autem intelligere, hunc actum tangere hoc subiectum, & hunc terminum, non intellectis hoc subiecto, & hoc termino: est clarum: ergo repugnat esse hunc actum quid tangens hoc subiectum, & hunc terminum, quin hoc subiectum sit hoc subiectum, & hic terminus sit hic terminus; atque adeo, quin hoc subiectum, & terminus sint id, quod sunt. Quid clarius? Hoc autem ipsum est, hunc actum quoad suam quiditatem cum quiditate sui subiecti, & sui termini esse connexum, vt patet.

92 Tertiò impossibile est, quòd actus retinens suam essentiam non respiciat suum subiectum, & suum terminum; siquidem ex suo conceptu quiditatiuo respectus quidem est ad talia extrema, vt statuimus: ergo impossibile est, quòd actus retinens suam essentiam, non respiciat essentias sui subiecti, & sui termini: Est clarum. Ergo impossibile est, quòd retentâ essentiâ actus subiectum, & terminus non retineant suas essentias; quod ipsum est, actum quoad quiditatem cum quiditate subiecti, & termini connexum esse. Patet consequentia: quia, cum retentâ essentiâ actus, necesse sit, actum respicere suum subiectum, & terminum, vt statuimus; si retentâ essentiâ actus, subiectum, & terminus non retinerent suas essentias, retentâ essentiâ actus, actus respiceret subiectum, & terminum, quin respiceret eorum essentias ab ipsis penitus indistinctas. Quod est chimericum.

93 Ex hâc propositione sequitur primò: quando actus à parte rei est formalis, per seque immediatè tangens, respicienſve subiectum, & terminum, vt est vnio, actio, passio, cognitio per propriam speciẽ habita, amor eam supponens, & similes. non posse non talem actum quoad quiditatem cum quiditatibus talis subiecti, & talis termini tanquàm cum extremis à se adæquatè distinctis connexum esse. Quandò verò actus dumtaxat euadit formalis per intellectum nostrum, cùm sit solùm fundamentalis à parte rei; tunc non posse non in conceptu eius reali, in aggregatoue fundamentorum eius includi aliquid quoad suam quiditatem connexum cum quiditate subiecti, & termini, à cuius connexione totus actus, tanquàm à connexione suæ partis connexus euadat. Itaque, si actus sit adæquatè intrinsecus subiecto per identitatem; siue ei adæquatè identificatus realiter, necessariò erit tale subiectum connexum cum quiditate termini à se adæquatè distincti, sicut, & secum ipso. Si verò actus subiecto semiextrinsecus sit, vtpotè inuoluens in suo conceptu reali subiectum, & terminum, eatenus cum subiecto, & termino erit per essentiam connexus, quatenus subiectum secum ipso, & terminus etiam secum ipso suapte essentiâ connectuntur. Recognoscatur doctrina actuum tradita *disp.* 8. *q.* 3. Pariterque, venit philosophandum de relatione, ac de actu, quod ad rem attinet, cùm omnis relatio sit actus quidam, & vice versâ, iuxta dicta *suprà q.* 1.

94 Secundò sequitur, cognitionem iudicatiuam per propriam speciem habitam de quiditate cuiusuis entis, proindeque per se immediatè tangentem quiditatem ipsam, non posse non esse veram, si affirmatiua sit: quia non potest non esse suapte essentia connexa cum obiecto suo. Aliud est de cognitione iudicatiuâ habitâ per speciem alienam de quiditate cuiusuis entis; proindeque non per se immediatè; sed per substitutum alienum tangente talem quiditatem; hæc enim cum illâ prout est in se non est connexa; atque adeò, etsi affirmatiua falsa esse potest, vt pluribus explicatum est *suprà disput.* 3. *q.* 1. *propositi.* 5. Vnde deprehendes, propositionem datam de actibus venire intelligendum, qui per se immediatè; non verò per substitutum alienum subiecti ad terminum sunt actus; secus de illis, qui aut circa subiectum, aut circa terminum peraguntur per substituta, qui quidem rati admodum sunt.

95 Tertiò sequitur, omnem actum de quo in propositione quoad quiditatem mediatè esse connexum cum omni illo, cum quo connectitur quiditas sui subiecti, aut sui termini, de quo plura *in seq.*

## *Propositio* 18.

96 Omnis actus quoad existentiam cum quiditate sui subiecti, & sui termini connexus est.

Quia omnis actus quoad quiditatem cum quiditate sui subiecti, & sui termini connexus est, iuxta *propositi.*

*posit.*17.Sed omnis actus quoad existentiam est connexus cum suâ quiditate, iuxta *prop.*16.ergo omnis actus quoad existentiam cum quiditate sui subiecti, & sui termini connexus est de primo ad vltimum connexione mediatâ.

## *Propositio 19.*

97 Omnis negatio quoad suam qualem qualem quiditatem;atque etiam existentiam cum quiditate entis,quod negat,connexa est.

Quia omnis negatio ex conceptu suo actus quidam est entis,quod negat,vt subiecti;siquidem hoc per illam formaliter dicitur negari,remoueri,excludi,deficere,&c. sed omnis actuis quoad suam quiditatem ; atque etiam existentiam cum suo subiecto connexus est,iuxta *prop.*17.& 18.Igitur omnis negatio,&c. Et quidem veritatē hanc negatiuam *Petrus non existit* neque in se re ipsâ stare;neque à Deo cognosci posse absque eo, quòd Petrus de suo sit Petrus, ex terminis est manifestum:siquidem si Petrus de suo *non esset Petrus*, sed lapis,à nullo intellectu esset iudicabile;atque adeò neque in se verum hoc obiectum *Petrus non existit*;sed loco eius hoc : *lapis non existit*,vt ex se patet. Vnde infertur ex duobus extremis contradictoriis existentialibus negatiuum semper esse connexum cum quiditate positiui.

## *Propositio 20.*

98 Omnis actus contingens prout talis cum possibilitate sui contradictorij, cumque potentia ad illud connexus est.

Est clarum:quia actus contingens dicitur ille,qui potest deficere ; posse autem actum deficere absque possibilitate, potentiâque ad eius defectum stare non potest, vt constat. Quod ipsum est, stare non posse absque possibilitate,potentiâq; ad suum contradictorium ; vt etiam constat. In quocumque demùm consistat eiusmodi possibilitas,atque potentia.

99 Ex hâc propositione sequitur, omnem actum contingentem impossibilitati , impotentiæque ad suum contradictorium oppositum esse;siquidem extremū connexum cum alio, eius contradictorio est oppositum, iuxta *prop.* 4. & impossibilitas possibilitatis, impotentiaque potentiæ contradictorium est.Est autem in propositione sermo de actu vniuersalissimè sumpto ; atque adeò comprehendente tam negatiuum, quam positiuum.

## *Propositio 21.*

100 Omnis actus necessarius cum impossibilitate ad suum contradictorium, & omnis actus impossibilis cum necessitate ad suum connexus est. Primusque proinde oppositus est necessitati sui contradictorij, & secundus impossibilitati sui.

Hæc propopositio post precedentē adeò est ex terminis nota,suppositā eorū explicataione *d.* 11.tradita, vt in eâ amplius explicanda non opus sit morari.

## *Propositio 22.*

101 Si primum extremum cum secundo,& secundum cum tertio,& tertium cum quarto , & ita deinceps connexū sit,primum vtique cum tertio,& cum quarto,& cum reliquis connexū erit mediatā cōnexione.

Hæc propositio cunctis est euidens ex terminis: quia si A non potest esse sine B,& B non potest esse sine C,& C sine D, & sic deinceps, euidens est, A non posse esse sine C,nec sine D,nec sine reliquis.

102 Hoc autem non ita euenit in oppositis : quia ex eo quòd A sit oppositum B, & B sit oppositum C, non sequitur , A esse oppositum C : poterunt namque A,& C simul esse, si aliunde non obstet, quantumuis nec A possit esse simul cum B, nec B possit esse simul cum C. Ita enim gratia nequit esse simul in anima cum peccato graui actuali;& hoc nequit esse simul in anima cum necessitate ad non peccandum ; & tamen gratia benè potest esse simul in animâ cum necessitate ad non peccandum, vt est in paruulis, & in beatis.

## *Propositio 23.*

Quoties vnum extremum alteri oppositum est;& 103
omnibus cum illo connexis oppositum est.

Est clarum : quia si A non potest esse simul cum B;nec poterit simul esse cum aliis,quæ nequeunt esse sine B. Alioquin si cum his posset esse, & cum eisdem necessariò annexo posset esse contra suppositionem : vt est notissimum.

## *Propositio 24.*

Quoties vnum extremnm cum altero connexum 104
est, omnibus aliis , quibus illud fuerit oppositum, oppositum est.

Est etiam clarum : quia si A nequit esse sine B,& B simul cum aliis esse non potest ; necesse est, vt A simul cum eisdem non possit esse: Alioquin si posset, & B, quod secum fert necessariò annexum , posset contra suppositionem : vt satis ex se est notum.

## *Propositio 25*

Duo, vel plura extrema sumpta seorsim ; siue di- 105
stributiuè cum eodem tertio possunt esse connexa, & sæpè sunt.

Ita namque connectuntur omnes creaturæ, quoad existentiam cum vnâ causâ primâ : nimirum cum Deo, & plures actus fidei diuinæ de eodem obiecto cum ipso obiecto ; plures actiones cum eodem principio effectiuo , & vniuersè plures modi cum eodem subiecto.

## *Propositio 26.*

Duo, vel plura extrema sumpta indiuisim ; siue 106
collectiuè, cum eodem tertio possunt esse connexa, sæpeque sunt. Cum quo tamen sumpta seorsim;siue distributiuè non sunt connexa.

Quia sæpè euenit vt coniunctum duorum sine alio quopiam tertio esse non possit,sine quo benè potest esse alterutrum eorum duorum seorsim sumptum E. g.hæc veritas conditionata:*Si detur Petro auxilium A consentiet*, benè potest subsistere seorsim ab existentiâ absolutâ auxilij A,absque existentiâ absolutâ consensus Petri. Similitérque existentia absolutâ auxilij A seorsim à tali veritate:Cùm tamen coniunctum ex tali veritate,ex talique existentiâ auxilij A absque existentiâ absolutâ consensus Petri stare non possit. Similiter veritas maioris cuiusuis syllogismi legitimi seorsim à veritate minoris,& veritas minoris seorsim à veritate maioris bene possunt stare absque veritate conclusionis:coniunctum verò ex vtrâque nequaquam. Pariterque in similibus.

Ex hâc propositione sequitur primò , extremum 107
quod absolutè cum alio connexum non est,cum illo posse connexum esse ex suppositione alterius adiuncti : quia in idem recidit , esse primum ex suppositione secundi connexum cum tertio , cum quo citrà talem suppositionem connexum non est;atque coniunctum ex primo , & secundo esse connexum cum tertio, cum quo primum sumptum seorsim connexum non est, vt constat.

Vnde sequitur secundò ; etsi negatio quoad exi- 108
stentiam cum nullo ente distincto à Deo prout existente

stente absolutè connexa sit, iuxta *propositi.* 10. ex suppositione tamen alicuius entis bene posse eam cum aliquo connexam esse. Ita enim negatio amoris connexa est cum cogitatione retrahente ab amore, ex suppositione cogitationis trahentis voluntatem ad illum: quia tali suppositione factâ, impossibile est, voluntatem omittere amorem absque dictâ cogitatione retrahente ab amore, vt notum est ex principiis de libertate.

## *Propositio 27.*

109 Quoties plura extrema seorsim cum aliquo tertio connexa sunt, & collectim connexa sunt; sed non vice versâ.

Posterior pars constat ex *propositi.* 25. Prior autem monstratur: quia si nulla pars aggregati potest esse sine aliquo tertio, neque aggregatum ipsum poterit esse, vtpotè, quod sine omnibus suis partibus esse non potest; siquidem qualibet earum deficiente, ipsum deficiat necesse est iuxta *propositi.* 9. 13. *statutam disp.* 9. 9. 5. Vnde patet: aggregatum plurium cum eo etiam tertio connexum esse, cum quo, vel vna tantùm pars eius connexa est.

110 Itaque: quia quoduis aggregatum plurium collectim sumptorum cum omnibus, & singulis suis partibus quantumuis seorsim acceptis connexum est; ideò nequit illud connexum non esse cum eo tertio, cum quo partes eius, aut aliqua eorum seorsim sumptæ connectuntur: quia tamen partes è conuerso cum suo toto seorsim sumptæ connexæ non sunt: ideò potest totum collectim sumptum cum aliquo tertio connexum esse; quin cum eodem partes eius seorsim sumptæ connectantur, iuxta *dictam propositi.*

## *Propositio 28.*

111 Vnum extremum cum pluribus tum collectiuè, tum distributiuè sumptis potest connexum esse, & sæpè est.

Ita enim connectitur actus fidei diuinæ de aggregato plurium rerum cum ipso aggregato, & partibus eius; ita quæuis essentia cum aggregato suarum passionum, & cum earum singulis; ita vnio cum extremis, quæ vnit, & multi alij actus cum suo subiecto, & suo termino, &c.

112 Vbi nota: quia partes totius non possunt sumptæ distributiuè habere esse, quin habeant sumptæ collectiuè, nec vice versâ, iuxta doctrinam stabilitam *disputatione* 9. *quæst.* 5. Et connecti vnum cum aliis aliud non est, quàm illud non posse habere esse, quin habeant alia; inde nasci manifestè, vt non possint vnum cum omnibus partibus totius distributiuè sumptis connexum esse, quin sit connexum cum eisdem collectiuè sumptis, nec è conuerso.

## *Propositio 29.*

113 Vnum extremũ cum aliquo plurium vagè, seu distinctiuè sũpto connexũ esse potest, & sæpe est; quin sit connexum cum eorum vllo sumpto determinatè.

Sic enim connectitur effectus cum aliquâ actione productiuâ sui; sic actus fidei diuinæ de obiecto vago cum ipso, & alia sexcenta. Quomodò autem connexio vnius extremi cum alio vago re ipsâ ad illud, prout vagum est, non terminetur; sed potiùs ad vnumquodque determinatum eorum, per quæ illud vagari concipitur sub conditione defectus aliorum, ex vniuersali doctrinâ traditâ *disp.* 10. *quæst.* 2. constat. Quæ ad rem recognoscenda est.

114 Vt autem, vnum extremum cum aliquo alio vagè sumpto modo dicto potest connexum esse, & sæpè est; ita pariter plura extrema tum collectiuè tum distributiuè vsurpata cum aliquo alio vagè sumpto connexa esse possunt, & sæpè sunt. De quo nullum est dubium.

Quomodè verò vice versâ aliquod extremum ex 115
aliquâ multitudine vagè sumptum cum alio nequeat esse connexum; quin sit vllum talis multitudinis determinatum, determinatéve assignabile connexum cum illo, ex doctrina generali omnia entia vaga remouente à rerum naturâ, & *loco citato* etiam traditâ colligere est.

## *Propositio 30.*

Plura extrema sumpta seorsim eidem tertio pos- 116
sunt opposita esse, & sæpè sunt.

Talia enim sunt, quæ sic connectuntur cum eodem tertio, iuxta *propositi.* 25. comparatione contradictorij ipsius tertij, iuxta *propositi.* 4.

## *Propositio 31.*

Plura extrema sumpta indiuisim eidem tertio pos- 117
sunt esse opposita, & sæpè sunt: cui tamen seorsim seorsim non sunt opposita.

Talia enim sunt, quæ sic connectuntur cum eodem tertio, iuxta *prop.* 26. comparatione contradictorij ipsius tertij, iuxta *prop.* 4. Vnde, seruatâ proportione, possunt circa oppositionem inferri, quæ dictâ *prop.* 26 illata sunt circa connexionem.

## *Propositio 32.*

Quoties plura extrema seorsim elicui tertio oppo- 118
sita sũt, & collectim opposita sunt; sed nõ vice versa.

Quia sic per oppositionem se gerunt relatè ad contradictorium tertij iuxta *prop.* 4. quæ sic se gerunt relatè ad tertium per connexionem iuxta *prop.* 27. cuius doctrina ad rem perpendenda, & seruatâ proportione applicanda est.

## *Propositio 33.*

Vnum extremum pluribus tum collectiuè, tum 119
distributiuè sumptis potest oppositũ esse, & sæpè est.

Tale enim est, quod cum pluribus ita est connexum, iuxta *propositi.* 28. relatè ad contradictoria singulorum ipsorum plurium iuxta *propositi.* 4. vbi notanda est doctrina adiuncta dictæ *propositi.* 28. & huic pariter, suâ seruatâ propositione, adiungenda.

## *Propositio 34.*

Vnum extremum alicui plurium vagè sumpto 120
potest oppositum esse, & sæpè est, quin sit oppositum eorum vlli sumpto determinatè.

Hæc propositio per doctrinam *propos.* 29. suâ seruatâ proportione, est demonstranda, & explicanda: quia, quod ad rem attinet, de oppositione eadem philosophia est; ac de connexione, de quâ *ibi*, vt consideranti patebit.

## *Propositio 35.*

Duo extrema contradictoria sumpta seorsim, cum 121
eodem tertio possunt esse connexa, sæpèque sunt.

Duo enim quique actus contradictorij contingentes cum eâdem alterutrius possibilitate, potentiâque connexi sunt; siquidem quilibet eorum cum possibilitate, potentiâque ad alterum est connexus, iuxta *propositi.* 20. itidèmque cum suâ possibilitate, & potentiâ, iuxta *propositi.* 3. *statutam disp.* 8. *q.* 4. Quo fit, vt ambo cum eâdem vniuscuiusque possibilitate, & potentiâ; atque adeò cum eodem tertio connexi sint. Duo etiam quique actus existentialiter contradictorij, quorum alter necessarius, & alter

impossibilis est, cum quiditate positiui;atque adeò cum eodem tertio connexi sunt; siquidèm existentia positiui nequit non esse connexa cum suâ quiditate, iuxta *propos.* 16. & negatio talis existentiæ, qui est actus negatiuus,nequit non cum eâdem quiditate connexa esse iuxta *propos.* 19. Sic existentia necessaria Dei, & eius negatio impossibilis cum ipsius quiditate connectuntur ex suo conceptu. Similitèrque negatio necessaria, & existentia impossibilis cuiusuis chimeræ habentis de suo quiditatem cum quiditate ipsâ connexæ sunt.

## *Propositio 36*

122 Tertium, cum quo duo extrema contradictionis connexa sunt, nequit non esse necessarium.

Si enim esset contingens, ad eius defectum possibilem possent ambo contradictoria deficere contra *propos.* 1. *statutam disp.* 9. *quæst.* 5. Si autem esset impossibile, ad eius defectum necessarium deficerent ambo contradictoria contra *eamdem propos.* Nequit ergò necessarium non esse:quia nihil superet,quod sit;quandoquidèm omne conceptibile aut sit necessarium,aut impossibile, aut contingens necesse est,iuxta*propos.*7.*statutam disp.* 11.*quæstione* 5.

123 Vnde egregie confirmatur doctrina tradita *disp.* 11. de veritate necessariâ quiditatis cuiusuis chimeræ habentis in se quiditatem, cum quâ duo extrema contradictoria connexa sunt, vt dictum *propositione* 35 nempé, negatio necessaria, & existentia impossibilis talis chimeræ.

124 Colligi autem obiter potest ex dictis in hac, & *præced. propos.* maioris claritatis gratiâ,extrema contradictoria necessariò debere esse aut ambo contingentia,aut alterum necessarium, & alterum impossibile, vt est notissimum. Necessitas enim ad vnum fert secum impotentiam ad alterum, & vice versâ. Indéque fit, vt quandò vnum est necessarium,alterum, neque necessarium possit esse;neque contingens;sed impossibile debeat esse. Et quando vnum est impossibile, alterum neque impossibile, neque contingens esse possit, sed necessarium esse debeat. Et quando vnum est contingens,alterum neque necessarium, neque impossibile possit esse;sed pariter debeat esse contingens Porrò contradictoria contingentia semper existentialia sunt ea verò,quorum alterum necessarium, & alterum impossibile est,aut existentialia,aut quiditatiua esse possunt;id est, spectantia, aut ad statum existentiale,aut ad quiditatium rerũ,iuxta doctrinã traditam *suprà d.* 10.& 11.

## *Propositio 37.*

125 Quoties duo extrema contradictoria cum eodem tertio connexa sunt,contradictorium talis tertij cum ipsis contradictoriis extremis connexum est.

Quoniam contradictorium talis tertij cum contradictorio vniuscuiusque ex extremis contradictoriis cum tertio ipsò connexis connexum est iuxta *propos.* 7. hoc autem ipsum est, contradictorium talis tertij cum ambobus ipsis extremis esse connexum; siquidèm contradictorium vniuscuiusque eorum alterum est.

126 Ex quo fit, à contradictorio tertij, cum quo duo quæque extrema contradictionis connexa sunt, ad quoduis eorum extremorum optimam consequentiam fieri; vti semper fit, ab antecedente connexo ad consequens, cum quo illud verè connexum est. Quoniam verò, bonitas talis consequentiæ in materiis specialioribus scientiarum sæpè est occultissima; adeò, vt sæpè pessima appareat consequentia, quæ re verâ est bona; pulcherrima hinc, & profundissima nascuntur sophismata, quibus ego non semel in publicis disputationibus respondentes vexaui, imò manifestè concluſi.

Arguitur enim sic primò, ad probandum, decretum Dei prædefiniens actum liberum prout liberum, & impedibile per libertatem(proùt esse debet, ne eam tollat)esse impossibile: quia cùm actus liber prædefinitus quà talis cum possibilitate carentiæ,seu non existentiæ talis decreti debeat esse connexus, vt constat; consequenter tale decretum erit mediatè connexum cum possibilitate suæ carentiæ; fietque subinde, vt tam decretum, quàm eius carentia,quæ sunt duo contradictionis extrema, cum possibilitate ipsius carentiæ connexa sint; certissimum quippè est,carentiam connecti cum suâ possibilitate.Ex quo sic: Hæc est mala consequentia: *Carentia decreti non est possibilis: ergo existit*;sed esset optima,si existeret dictum decretum: ergo illud impossibile est. Maior ab omnibus statim conceditur ( quia re verâ videtur mala consequentia, quam malam asserit, cùm sit à negatione potentiæ ad actum. ) Et illatio est legitima. Minor autem sic demonstratur. Hæc est bona consequentia: *decretum existit: ergo eius carentia est possibilis*, vt constat ex dictis:igitur à contradictorio consequentis ad contradictorium antecedentis erit hæc quoque bona iuxta *propos.* 7. *suprà statutam*,& apud omnes certam: *Carentia decreti non est possibilis: ergo decretum non existit.* At idem est prorsus decretum non existere, & carentiam eius existere, vt est notissimum: ergo hæc est bona consequentia. *Carentia decreti non est possibilis:ergo existit.* Quod erat demonstrandum.Conclusum ergo videtur ab absurdo, dictum decretum esse impossibile. 127

Similiter ad probandum, Christum Dominum per opus præceptum non potuisse mereri, arguitur sic. Tale meritum, si daretur,titulo libertatis, quam inuolueret, esset connexum cum Christi potentiâ ad carendum illo; cum quâ pariter connexa esset ipsa carentia, vt est notissimum. Ex quo sic. Hæc est mala consequentia: *Christus non potest carere merito: ergo caret illo*; sed esset optima,si Christus meritum haberet:ergo nequit habere illud. Maior conceditur statim, & illatio est legitima. Minor autem sic demonstratur. Hæc est bona consequentia: *Christus habet meritum: ergo potest carere illo*: igitur,& hæc quoque est bona, iuxta *dictam propos.*7. *Christus non potest carere merito: ergo non habet illud.* At idem est prorsus illud non habere, atque illo carere: ergo hæc est bona consequentia: *Christus nõ potest carere merito:ergo caret illo.* Quod erat demonstrandum Conclusum ergo videtur ab absurdo Christũ nõ potuisse mereri per opus præceptum. 128

Quo eodem pacto venit vniuersè probandum: impossibilem esse omnem actum connexum cum possibilitate suæ carentiæ;siue cum potentiâ ad suam carentiã;cùm tamen omnis cõtingens titulo contingentiæ cõnexus sit iuxta *prop.* 20.& multi specialioribus aliis titulis in variis materiis:circa quos subinde forma proposita arguendi magis occultam habet suam fallaciam, quæ tota in eo stat, vt indicauimus, quod consequentia illa: *carentia actus non est possibilis: ergo existit*; *siue*: *subiectum non potest carere actu ergo caret*, specie tenus pessima est, taliſque ab omnibus eam audientibus reputatur: cùm tamen re verâ sit optima: quia est consequentia ab antecedente impossibili connexo ex conceptu suo cum actu, & cum carentiâ actus: eo ipso, quòd actus,& carentia actus connectuntur cum eius contradictorio, iuxta *præsentem propositi.* 129

Cuius doctrina suppositâ, secundo aliter in eisdem casibus, & aliis pluribus sophisticè potest sic 130

argui

argui, ad probandum, actum, & carentiam actus cum eodem tertio connecti non posse; cùm tamen certissimum sit, sæpissimè connecti, vt demonstrauimus. Nam, si actus, & eius carentia connectuntur cum eodem tertio, sequitur ex duobus extremis contradictionis alterum cum altero connexum; atque adeò prorsus ab illo inseparabile esse; sed hoc est absurdum: cùm duo extrema contradictionis potiùs se ad inuicem excludant, & destruant, vt est notissimum: ergo actum, & eius carentiam cum eodem tertio connecti impossibile est. Hoc audito syllogismo, omnes sophismatis ignari facilè reputant absurdam sequelam in maiori propositam; atque ita intrepide negant maiorem. Quæ tamen facilè etiam sic demonstratur. Actus connectitur cum tertiò: ergo iuxta *propos. 7. suprà statutam*, & cunctis notam: contradictorium tertij connectitur cum contradictorio actus, quod est eius carentia: ergo si hæc, vt ponitur cum eodem quoque tertio connexa est, contradictorium tertij media ipsa carentia connectitur cum ipso tertio, iuxta *propos. 22. suprà statutam*, & cunctis certam: ergo, si actus, & eius carentia connectuntur cum eodem tertio, planè sequitur: ex duobus extremis contradictionis alterum cum altero esse connexum, quod erat absurdum demonstrandum. Cæterùm, quia hæc sequela nullatenus absurda est; eo quòd quando extremum contradictionis est impossibile, vti euenit in casu argumenti; licèt ex vnâ parte excludat alterum, ex alterâ connectitur cum illo, vt ex generali doctrinâ impossibilium traditâ *disp. 11.* constat. Ideò tota fallacia argumenti in eo est, quod reputatâ absurda dicta sequela, negetur maior syllogismi primò propositi: debet enim planè concedi: quia planè demonstrabilis est, vt constat ex dictis.

## *Propositio 38.*

131 Duo extrema contradictoria sumpta seorsim eidem tertio possunt opposita esse, & sæpè sunt.

Quia possunt esse connexa cum eodem tertio, sæpéque sunt iuxta *propos. 35.* Eo autem ipso possunt esse, & sunt opposita contradictorio talis tertij, iuxta *propos. 4.*

## *Propositio 39.*

132 Tertium, cui duo contradictoria opposita sunt, non potest non esse impossibile.

Quia contradictorium eius, cum quo ipsa contradictoria non possunt non eo ipso connexa esse iuxta *propos. 3.* nequit non esse necessarium, iuxta *propos. 36.* Quoties autem, vnum ex contradictoriis est necessarium, nequit non alterum esse impossibile, iuxta dicta circa *eamdem propos.* Tum, quia, si tertium, cui duo contradictoria opponuntur; esset contingens, ambo possent deficere: si autem esset necessarium, ambo necessariò deficerent. Quod vtrumque repugnat ex *propos. 1. statuta disputat. 9. quæst. 5.* Restat ergo, vt sit impossibile iuxta dicta etiam circa *propos. 36. citatam.*

133 Vnde colligitur: tertium impossibile, cui duo contradictoria opposita sunt; tum illis oppositum esse: quia oppositio nequit non esse mutua, iuxta *propos. 5.* tum cum illis esse connexum iuxta *propos. 37.* Nec mirum: quia nihil est, quod prohibeat extremum impossibile cum suo contradictorio connexum esse, iuxta dicta *ibidem*, cui etiam titulo contradictionis oppositum est. Quippe huiusmodi repugnantiæ chymeris impossibilibus annexæ sunt, vt ex dictis *disp. 11.* satis etiam est notũ.

Ex quibus etiam patet, quomodo vnum extremum cum duobus contradictoriis possit esse connexum; sæpeque sit, eisdemque item oppositum, dummodo illud sit impossibile. 134

## *Propositio 40.*

Duo extrema contraria sumpta seorsim cum eodem tertio possunt esse connexa, & sæpè sunt. 135

Ita enim connectuntur amor, & odium: assensus, & dissensus: aliaque huiusmodi contrariè opposita cum quiditate, aut etiam cum existentiâ eiusdem subiecti; cum quiditate eiusdem obiecti; cum causâ primâ, &c.

Tertium autem, cum quo contraria connectuntur necessarium esse debebit, si illa sint ex genere eorum, quæ medium recusant; atque adeò; nec simul esse; nec simul deficere possunt. Aliàs ad tertij defectum, aut contingens, aut necessarium ambo illa simul possent deficere contra suppositionem. Si verò contraria ex genere aliorum, quæ medium non recusant, sint, tertium cum quo connexa sunt; aut necessarium; aut contingens; aut impossibile esse poterit, dummodo, quando tertium est impossibile; ipsa quoq; contraria impossibilia sint. Possibile quippe, cum impossibili cõnexum esse nequit, vt constat. 136

Vnde etiam apparet, duo contraria eidem tertio posse esse opposita, & sæpè esse: talia enim sunt respectu contradictorij tertij cum quo connectuntur. Quæ omnia ex dictis *in præcedentibus* satis euidenter sunt nota. 137

Ex quibus satis item conspicuum est. Quomodò vnum extremum cum duobus contrariis connexum esse possit, si sit impossibile. Quomodò etiam duobus contrariis possit esse oppositum, si sit similiter impossibile; quando contraria recusant medium; quando verò non recusant, siue illud sit impossibile, siue necessarium, siue contingens. 138

## *Propositio 41.*

Idem secum ipso necessariò connexum est; sibi verò esse oppositum impossibile est.

Quia idem non potest esse sine se ipso; esset namque, & non esset simul contra *propos. 1. statutam disp. 9. q. 5.* Vnde patet: quæcumque re ipsâ sunt inuicem identificata, re quoque ipsâ inuicem esse connexa. Atque hæc satis modò. 139

Aduerto tamen ad extremum, in omnibus huius quæstionis propositionibus, de metaphysicâ imprimis connexione, oppositioneque rerum sermonem esse; tametsi pleræque earum connexioni etiam, oppositionique physicæ, atque morali, sua proportione seruata, communes sint; vt consideranti patebit. Quomodò autem, quæ sunt connexa, aut opposita metaphysicè, physicè quoque, & moraliter connexa, aut opposita sint; sed non vice versâ, ex dictis *in superioribus* liquidum est. 140

---

# QVÆSTIO V.

## *Quomodo obiecta intellectus prout talia relata, connexa, aut opposita esse possint, vel etiam sint.*

BIfariam dici possunt duo, vel plura extrema relata, aut connexa, aut opposita, prout obiecta sunt intellectus. Primò: quia cognoscenti apparent relata, aut connexa, aut opposita; idque siue talia sint in se re ipsa, qualia cognoscenti apparent; siue non item. 141

Secundò: quia in ordine ad hoc ipsum, quod est esse obiecta intellectus, aut conuexa sunt quia nequit vnum sine alio cognosci; aut sunt opposita quia nequit vnum cognosci simul cũ alio; sicq; subindè sunt relata, aut connexiõnis, aut oppositionis relatione.

142 Hoc posito, ex dictis *in superioribus* certum est primò; multa apparere nobis relata, quæ in se re ipsâ non sunt relata; quo casu relatio quædam rationis suppositicia interueniat necesse est. Relatio autẽ rationis ficta tunc etiam interueniet, quando per conceptum relatiuum; non solùm, quæ re ipsâ sunt; sed insuper ea relatio ficta cognosci ab intellectu intendatur, prout *suprà disp. 12. est in præsenti disp. quæst. 1.* satis est explicatum. Quo pacto, connexione, aut oppositione ficta connexa, aut opposita possumus, solemusque concipere, quæ in se realiter; neque connexa; neque opposita sunt. A cognoscentibus autem per proprias species; neque relatio suppositicia; neque relatio ficta; proindeque neque connexio; neque oppositio ficta concipi possunt: quia cuncta hæc ex genere eorum entium rationis sunt, quæ solùm sunt conceptibilia à cognoscentibus per species alienas; prout etiã cõstat ex dictis *locis citatis.*

143 Secundò est certum, à cognoscentibus; tum per proprias; tum per alienas species sæpe concipi relata, aut connexa, aut opposita extrema, quæ re ipsâ sunt talia. Quo casu, licèt relatio, aut oppositio rationis non dicatur interuenire, illa tamen non solùm prout in se sunt; sed insuper prout obiectiuè in intellectu, siue prout sunt obiecta intellectus, aut relata, aut connexa, aut opposita dici poterunt, quatenùs talia apparent, seu cognoscuntur.

Tertiò certum est apud omnes, & ex se satis notum, relationem, quæcumque ea sit, sub expresso
144 conceptu relationis, à nullo intellectu cognosci; quin simul cognoscatur terminus eius. Ex se enim perspicuè appareat, nullatenùs posse concipi vnum quatenùs relatum ad aliud, non concepto alio. Vnde omnis relatio, qua talis cum suo tetmino connexa est in ratione obiecti; id est, nequit obiectiuè esse in intellectu, quin simul sit ibi obiectiuè terminus eius. Quomodò autem, cum hoc bene stet, necessarium non esse, quòd relatio, & terminus eius per eamdem cognitionem concipiantur, sed possunt concipi per duas, quarum prima cum secunda connexa sit; imo, & debeant, si sermo sit de nostro intellectu pro hoc statu, *superius d. 2. q. 3. conclus. 3.* monstrauimus. Dixi verò, *sub conceptu expresso relationis* nam aliter confusè, aut obscurè benè potest cognosci relatio, etiam per speciem propriam, quin simul cognoscatur terminus eius, vti per cognitionem sensus, perque intellectionem ei respondentem habitam per speciem propriam cognoscitur relatio creaturæ identificata cum accidente sensibili, nullatenùs cognito Creatore, qui est terminus eius, vt experimur.

Quartò certum est, quæ in se re ipsâ sunt euiden-
145 ter contrariè opposita; etiam in ordine ad sui iudicium affirmatiuum opposita esse; minimè verò in ordine ad sui positiuam apprehensionem: quia nullus intellectus, cui est euidens, A, & B simul esse nõ posse affirmare potest, simul esse A, & B affirmaret enim obiectum sibi euidenter falsum; quod ei repugnat, vt constat ex doctrinâ traditâ *disp. 7.* Omnis verò intellectus potest simul simplici, & positiuâ apprehensione apprehẽdere A, & B, quantũuis ea euidenter simul esse non possint; quia potest simul affirmare esse vnum, & negare esse alterum; ad quod præstandum est necesse, quòd ambo positiuè apprehendat, vt ex doctrinâ datâ *suprà disp. 2. q. 4.* notum est. Vnde patet, extrema re ipsâ opposita in ratione obiectorum simplicis apprehensionis, etiam positiue opposita non esse; esse tamen in ratione obiectorum iudicij affirmatiui, secùs in ratione obiectorum iudiciorum, quorum alterum affirmatiuum, & alterum negatiuum sit. Ex quo rursùs patet, obiecta, de quibus saltem probabiliter constat, opposita non esse re ipsâ, nullatenùs in ratione obiectorum opposita esse.

Quintò est certum, quæ in se re ipsâ sunt contra- 146
dictoriè opposita, in ordine ad sui iudicium proportionatum; etiam esse opposita: quia nullus intellectus, cui euidens est oppositio eorum, vt omnibus, aut ferè omnibus est, potest simul idem affirmare, & & negare, quod esset iudiciis proportionatis iudicare simul ambo contradictionis extrema. Adde, in ordine etiam ad sui iudicium affirmatiuum, & ad sui iudicium negatiuum opposita esse comparatione nostri intellectus; quatenùs hic, licèt possit quoduis eorũ seorsim affirmare, aut negare iudiciis saltem æquiualẽtibus dictis proportionatis; ambo tamen simul, aut affirmare, aut negare in casu dicto euidentię oppositionis non potest, vt est notissimum. In ordine verò ad sui apprehensionem simplicem positiuam comparatione intellectus nostri non sunt opposita: quia nos ambo simul possumus simpliciter, & positiuè apprehendere: quia ex vnâ parte possumus positiuè apprehendere non solùm contradictorium positiuum; sed etiam negatiuum iuxta doctrinam stabilitam *disp. 9. q. 3.* Ex aliâ verò negare per iudicium possumus, ambo simul existere, quod absque amborum apprehensione positiuâ stare non potest.

Sed dubitati potest: an comparatione intellectus 147
cognoscentis per proprias species, extrema contradictoria obiectiuè opposita sint, non solùm in ordine ad iudicium; sed etiam in ordine ad simplicẽ apprehensionem. Ratio dubitandi est: quia condictorium negatiuum nihil est positiuè conceptibile comparatione intellectus cognoscentis per proprias species, vt *dicta q. 3. nuper citatâ* ostensum est; eatenusq; sub talem intellectum iudicatiuè cadere potest; quatenus ab eo iudio recessiuo negari potest contradictorium positiuum iuxta dicta *ibidem.* Hoc autẽ pacto merè apprehensiuè sub illum non videtur cadere posse: quia apprehensio recessiua, seu negatiua contradictorij positiui, non videtur possibilis. Asserendum tamen est nihilominus, possibilem talem apprehensionem esse intellectui cognoscenti; tum per proprias; tum per alienas species. Quo cessat ratio dubitandi. Cùm enim quiuis intellectus hanc veritatem iudicat: *Si Petrus existeret simul, & nõ existeret, existeret, & non existeret*; ex parte hypothesis apprehendit existentiam Petri; tum positiuè; tum recessiuè, seu negatiuè, atque ita ambo simul contradictionis extrema subiectum apprehensiuè cadunt; caderéve censenda sunt, quâ ratione positiuè, & negatiuè cadere possunt, obiectiuéque proinde non sunt opposita in ordine ad simplicem apprehensionem sui; idemque euenit circa similes veritates, circa quas videnda sunt, quæ scripta reliquimus *disp. 3. q. 4.* & *disp. 9. q. 5. proposit. 1.*